EX LIBRIS
GABRIELIS PIJON,
S. Th. Prof.

44.683

Rs 44683

APOCALYPSIS ENARRATIO.

AUTORE PETRO POSSINO,
Societatis JESU Presbytero.



BIBLIOTHECA SEMINARII DIOC. TOLOSANI
DÉPOT LÉGAL BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ TOULOUSE

TOLOSÆ,
Apud JOANNEM PECH, Comitiorum Fuxensium Typographum, juxta Collegium PP. Societatis JESU, sub Signo Nominis JESU.

M. DC. LXXXV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.





EMINENTISSIMO

CARDINALI BONSIO,

ARCHIEPISCOPO NARBONENSI,

ET

COMITIORUM OCCITANIÆ

PRÆSIDI NATO.

PETRUS POSSINUS, Societatis JESU, Presbyter

FELICITATEM.

TAM esse sortem, & quasi naturam hujus sacri Libri APOCALYPSIS, *ut non nisi* PRINCIPIBUS ECCLESIÆ *offerri debeat; demonstratum est, ex ipso protinùs ejus Ortu, exemplis & Autoris & Editoris.*

Primarius istius Autor Operis CHRISTUS JESUS *est. Hunc ipse sibi Titulum primis Libri versibus asserit; sic in fronte proscribens*: Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere Servis suis. *Hanc autem cui ante omnes communicet, statim declarat, subdens*: Et significavit mittens per Angelum suum Servo suo Joanni.

Hæc prima Emissio est Libri à Christo formati, compositi, digesti: Cui autem directa? utique JOANNI, *non solùm Apostolo: sed etiam inter Apostolos eximiè dilecto; adscitoque in peculiaris Primatûs Ordinem Trium, quasi dixerim, Archiapostolorum, ad arcana quædam, unde cæteri novem excludebantur, admitti à Christo solitorum. Ipse porrò Ioannes suâ Exscriptoris operâ curatum Librum quem Christo dictante exceperat, septem Episcopis, quos nominat Angelos, totidem Ecclesiarum Asiæ Pastoribus dedicat, prolixâ Nuncupatoriâ, duo in solidum capita explente. His adactus præjudiciis ad hanc novissimam, quam molior,* APOCALYPSIS, *Editionem cuipiam* ECCLESIÆ PRINCIPI, *uti debitam, quasi depositi fide reddendam:*

quem ad id potiùs respiciam, homo in Tuâ Diœcesi Narbonensi natus, quàm Te meum Antistitem: cum Ecclesiasticæ disciplinæ antiquissima observatissimaque sanctio sit: nihil Presbyterum ad Populum proferre, quod non priùs suo Episcopo exhibuerit.

Quamquam, longè tua latiùs quàm in limites Diœceseos Narbonensis patet autoritas; amplas alias Diœceses novem Tuæ subjectas Archiepiscopali Sedi, &, ut vocant, Suffraganeas *amplectens. Quare in quocumque istius Decapoleos loco nascerer, Te debui Pastorem summum Patronumque venerari.*

Quin & ex qualibet extrà sphæram Tuæ Metropolitanæ Iurisdictionis, Occitaniæ parte forem ortus. Tibi essem obnoxius; qui ejus universæ Provinciæ Comitiorum Præses natus *eam universaliter curas, defendis, protegis; ejus commodis invigilas; Mediator gratus, benevolus, & efficax, inter ipsam & Regem; hujus illi gratias procurans; illius huic obsequia commendans.*

Verumenimverò vix in hoc quidquam habet singulare Occitania: cum æquè cunctæ Regni Francici Regiones in Te colendo, Te

prædicando conſpirent. Quacumque per omnes terrarum tractus, vel olim poſſeſſos vel recens partos LUDOVICI MAGNI *felix ſe Imperium extendit, Tua quoque laus viget, Honos regnat, merita celebrantur, Amor & veneratio crebreſcit. Planè hìc quoque ad magnum Magni ſui Regis exemplum libens tota quanta eſt, ſe componit Francia, quòd Te obſervat, Te admiratur: quin & eò prorumpit, ut Te verè ac propriè ſuum eſſe glorietur; ac de Tui poſſeſſione litem audeat movere vel tuæ inclytæ Florentiæ.*

Natalibus licet illa ſe jactet tuis: atque hauſto inde jure Alumnum Te ſuum ac Civem Etruria nominet: juſto tamen non minùs titulo poſſidere Te, ac in ſuis numerare contendit Gallia: commutatione videlicet magni pariſque Capitis.

Donaverat hæc olim Inſubriæ, haud dubiè ſuum, apud ſe natum, Mediolanenſem laudatiſſimum Præſulem. Nec nomen iſtud vetus quo Celtis Inſubres obſtricti tenebantur, poſt tot adhuc Ætates Italia diſpunxerat. Ergo Te oriundum ex antiquis Mediolanenſium Dynaſtis, prout ſtemma Gentilitium declarat, in compenſationem arripuit Gallia.

Non hæc alienæ rei usurpatio; sed propriæ recuperatio est. Nam quis æquus Iudex non ab omni suspicione furti aut plagij absolvat Personæ vindicationem, cui alterius illustrissimæ præimpensæ prærogata concessio jus adstruit?

Similis quoque fuit utrimque usus, sic commutatorum Celtas inter & Italos invicem Heroüm. Magnum AMBROSIUM *à Galliâ donatum Italia splendidis arduisque Legationibus adhibuit: Nec minùs Gallia Te pro Ambrosio sibi redditum; tractandis pro se rebus apud Exteros magnis sæpe impendit, diù detinuit; fructu semper amborum in commune bonum maximo. Quia enim fidem in his, industriamque ac robur mentis illustris illius Antistitis Tu sedulò imitabaris, parium, ut fit, studiorum & actorum non dispares successûs, Deo fortunante, retulisti.*

Concinunt in hujus Tuæ laudis Elogia Tres diversæ Mundi Partes, Occasus, Oriens, Septentrio: dum Tibi à Rege Christianissimo demandatas Oratoris partes apud se sapienter, fortiter, suaviterque obeunti certatim applauserunt Hispania, Polonia, Venetiæ; dulci omnes virtutum adhùc Tuarum memoriâ perfusæ.

Nec minùs æmulari Mediolanensem, cui compararis, Episcopum Tu Narbonensis Præsul in

Ecclesiæ Tibi commissæ cura satagis. Ille Politica sic negotia tractavit, ut Ecclesiasticorum partem umquam nullam negligeret. Te pariter videmus, amplitudine animi multis & diversis parem, ita regiis pleniſſimè perfungi muniis; ut nihil omittas ejus attentionis quam gregi tuo pascendo, dirigendo, emendando, impositum tibi à Christo Principe Pastorum, Ecclesiæ ac Diœcesis Tuæ gubernandæ Officium postulat. Ita ibi per Te, per à Te prudenter lectos idoneos Ministros, Provisionibus, Ordinationibus, Iudiciis causarum ritè cognitarum, Visitationibus, omnique Canonicæ disciplinæ indesinenter observato res geritur ordine, ut nihil desit quod vel incommodis arcendis, vel periculis avertendis opportunum videatur. Patere me quiddam ejus generis Tuis suggerere, quod certè non Te latet. Vnum est ex Episcopalibus Officiis, nec postremum, tradere Subjectis divinas Scripturas explicatas. Hujus Tu aliquâ muneris parte defungi vidêris posse, hâc oblatâ Tibi, communicandâ Subditis, Enarratione Libri Sacri, facilè omnium inter Canonicos abstrusiſſimi.

Sed ut ad me redeam, quemadmodum fas-

sus

ſus paulò ſuperiùs ſum: triplici me titulo; quod Narbonenſis, quod Occitanus, quod Gallus ſim, ad ſpem niti Tuæ gratiæ: ita ſentio Librum hunc meum propriâ ſuâ quadam ſorte ac dote ad parem aſſurgere fiduciam: eo nomine autumantem, ſe non ingratum fore Tibi Romanâ Purpurâ fulgenti; quod ortu ipſe, atque Argumento Romanus ſit. Natus ille quidem Romæ eſt. Ibi eum concepi, formavi, limavi; oſtendi quin etiam; & ſeveris haud molliter explorandum Cenſoribus expoſui. Materia quoque quàm potiſſimâ ſui parte tractat, Roma eſt: Partim vetus Chriſto infenſa. cujus primùm furores in Eccleſiam, poſteà caſus acerbos, Peſtium, Cædium, Incendiorum, Expugnationum; exautorationis demùm ac deſolationis extremæ; ſuppliciorum ipſi juſtè inflictorum in pœnam iniquiſſimè fuſi Chriſtiani ſanguinis, diſertè ac tragicè repræſentat: partim recentior hodiè florens Roma Chriſtiana, centrum Catholicæ unitatis, Metropolis Imperii Chriſti ſpiritualis in Terris: Cujus Origines, Natales, Dotes, Decora, Victorias, Triumphos, idem hic Liber ſplendiſſimè diſſerit. Hujus autem Tu Romæ, CARDINALIS EMINENTISSIME,

cum unus è ſupremis Proceribus ſis ; inter Apices ejus PURPURATI SENATUS , *& quidem jam antiquiores , Eminens : an non illi non improba blandiatur ſpes : quippiam ſe Tibi non planè à Te alienum afferre ?*

Vtcumque tamen eveniat : & vel ſi memorata huc uſque (quod fieri credo non poſſe) fallerent omnia : confiderem nihilominùs auderemque ; uno fretus pignore , perſpectiſſimæ cunctis Tuæ Pietatis in Deum , Benignitatis in Homines. Continet hoc quod offero Volumen , Primò Librum Canonicum à Chriſto dictatum , ab Apoſtolo exſcriptum : Huic Tali certus à Tuâ præſtanti Religione paratus ac patens deeſſe profectò non poteſt aditus. Adjungitur Enarratio mea : hanc quamvis forſitan exilem , ne prorsùs aſperneris , Tua Te ſumma tenebit clementia : illáque vera Grandium Animarum Nota ; è quamlibet Eminente faſtigio demittere ſe prona in occurſum etiam infimæ humilitatis , faventer nos intueri non dedignabitur Humanitas. Ita Te , PRINCEPS EMINENTISSIME , *Tuoſque , ac Tua omnia , velit (Precor ac veneror) Deus Optimus Maximus ſervare ,*

provehere, fortunare, in quàm longissimam, quamque optabilissimam omnis generis prosperitatem & felicitatem.

In his auspiciis non frustrabilis spei; in hâc devotione iterabilis in dies & horas voti, securè ac gratè desino. Scribebam Tolosæ XIII. *Kal. Decembris anno* CIↃIↃCLXXXIV.

FACVLTAS PRÆPOSITI GENERALIS, & Provincialis Societatis IESV, cum teſtimonio Approbationis.

NOS Petrus Allemand Præpoſitus Provincialis Soc. Jeſu in Provinciâ Toloſanâ, poteſtate ad id mihi factâ à Reverendo admodum Patre noſtro Carolo de Noyelles Generali ejuſdem Societatis: facultatem concedo, ut Rever. Patris Petri Poſſini ex eâdem Societate, liber cui titulus eſt: *Apocalypſis Enarratio* à tribus Theologis noſtræ Societatis recognitus & approbatus, typis mandetur. In quarum fidem has Literas manu noſtrâ ſubſcriptas & officii noſtri ſigillo munitas dedimus Romæ die 28. Julii, Anno 1682.

Locus Sigilli.

PETRUS ALLEMAND.

APOCALYPSIS

APOCALYPSIS ENARRATIO.

PROLOGVS AVTORIS.

ÆQVO ET STUDIOSO LECTORI.



IBRVM omnium Canonicorum obſcuriſſimum declarare hinc ordior Enarratione novâ, brevi quidem: at non brevi perfectâ, citò expeditâ, curſim cogitatâ. Nihil ibi eſt non acri meditatione, plurium annorum morâ, proviſum, expenſum, diſquiſitum. Interpretum propè innumerabilium, veterum ac recentium, Sacri ejus Libri Commentarios legi, excuſſi, contuli, è cunctis profeci: gratuſque ac venerans, laudo ſingulos, admiror univerſos. Nullius tamen in ſensûs aut verba juravi: viam quin etiam non rarò à pleriſque ipſorum diverſam inivi: ſine præjudicio aut præoccupatione; verum unicè ſenſum Oraculorum penitiſſimè latentem ſummâ vi ſcrutari eruereque contendens. An operpreætium fecerim: & utrum omninò ſermo hic noſter ſilentio ſit potior; tui juris atque arbitrij eſto definire; poſtquam tamen ritè cognoveris. Videas, inquam, modò ipſe, ac per te intelligas, quid in re ſit. Tum pronuncia, ut voles, abſque recuſatione citrà provocationem acquieſcam. Vale.

APOCALYPSIS JOANNIS APOSTOLI.

CAP. I.

1. APOCALYPSIS Jesu Christi, quàm dedit illi Deus palàm facere servis suis, quæ oportet fieri cito mittens per Angelum suum servo suo Joanni. 2 Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit. 3 Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ hujus: & servat ea quæ in ea scripta sunt. tempus enim propè est. 4 Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem Spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. 5 Et à Jesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 6 Et fecit nos regnum, & sacerdotes Deo & patri suo, ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen. 7 Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt Et plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam. Amen. 8 Ego sum α & ω principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens. 9 Ego Joannes frater vester & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu, fui in insula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei & testimonium Jesu. 10 Fui in spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tanquam tubæ. 11 dicentis: quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, Philadelphiæ & Laodiciæ,

12 Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Et conversus vidi septem candelabra aurea: 13 & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podére, & præcinctum ad mamillas zona aurea. 14 Caput autem ejus & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi ejus tanquam flamma ignis: 15 & pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti: & vox illius tanquam vox aquarum multarum: 16 & habebat in dextera sua stellas septem, & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat, & facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. 17 Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens: noli timere, ego sum primus & novissimus. 18 & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni. 19 Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. 20. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea, septem stellæ Angeli sunt septem ecclesiarum: candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.

APOCALYPSIS

ENARRATIO.

AD CAPUT PRIMUM.

℣. 1. *APOCALYPSIS.*

APOCALYPSIS Græca vox est, revelationem latinè sonans. Quæ ambo vocabula Ecclesiasticâ institutione significant afflatum divini Spiritûs creatæ menti rem ipsi priùs ignotam aperientis. Perspectissima Theologis hæc notio est, qui toto de Fide tractatu tam multa de Revelatione sic intellectâ disputant. Porrò, quod hunc propriè locum spectat, duo notanda sunt: Primum, per *Apocalypsin*, prout hujus libri titulus est, non cujuslibet obscuræ rei manifestationem: sed signatè futurorum præsignificationem intelligi. Id cum Operis decursu totius cernitur: tum in ipso jam tunc principio indicatur verbis illis mox hoc primo versiculo sequentibus: *quam dedit illi (Jesu Christo) Deus palàm facere servis suis, quæ oportet fieri citò.* Alterum est: non unam quamdam hîc revela-

tionem Joanni factam designari: sed plures diversis locis & temporibus, de rebus etiam non parùm inter se discrepantibus oblatas eidem Apostolo & Prophetæ Joanni manifestationes eventurarum rerum, ab eo in unum Prophetici libri corpus digestas, uno singulari Apocalypsis titulo comprehensas esse. Singulari enim nomine tota genera & species universæ plerumque denotantur. Sic Evang. Joan. cap. 29. dum Baptista de Christo dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: peccati nomine universam peccatorum omnium pluralitatem & diversitatem uno singulari collectam vocabulo exprimit. Et, ut exemplo magis adhuc simili utar, cum Isaïas hunc Operi suo titulum præfigit: *Visio Isaiæ filii Amos quam vidit super Judam & Jerusalem in diebus Oziæ, Joatam, Achaz & Ezechiæ Regum Juda*, manifestè singulari visionis nomine, multas & valde diversas toto illo sparsim spatio annorum supra sexaginta uni eidemque Prophetæ oblatas indicat visiones. Scio esse multos, qui quòd hoc parùm observaverint, persuasum habent: Apocalypsin totam simul & semel uno fuisse obtutu Joanni repræsentatam in Patmo insulâ, & ab eo ibidem continenter scripto esse mandatam. Quod si ita esset; cum relegatio Joannis in Patmon, ex ipsorum id opinantium sententiâ, contigerit sub Domitiano Principe, non potuisset hujus Imperium quasi futurum in Apocalypsi prædici quod tamen disertè fit Capite XVII. ut ibi manifestè demonstrabitur: prætereáque, quæ à Cap. IV. ad XI. luculentissima porrigitur Belli Judaïci à Vespasiano gesti, Hierosolymæ per Titum destructæ Prophetia, nihil nisi rancida (quod blasphemum, vel cogitatu est) esset rapsodia in speciem vaticinii formata, res tamen exequens multis retrò peractas annis & planè desitas: quales Epici veteres aut alij Poëtæ prædictiones simulant per ludum fictas rerum quas ipsi viderunt, aut dudùm transactas audierunt: quo nihil non modò absurdius, sed & sacro Scriptori, & Spiritui S. ipsum afflanti, dici magis injuriosum potest. Maximi ergo refert momenta distinguere in interpretatione Prophetiarum. Imò, si rectè advertimus, magna pars difficultatis quæ huic spisso negotio inest, inde existit, quod, quid ad quod tempus referendum sit, Pophetæ obscuritatem ferè affectantes in suis scriptis studiosè occultare solent, quod si quis alicunde cognosceret, facilè jam & ludibundè, quasi ariadnei cujusdam fili ductu, quàmlibet perplexis illis & labyrintheis mysteriorum sese extricaret amfractibus.

Quare ut hunc locum non exiguæ ad successum operis cui accingimur, utilitatis semel præmuniam, Aïo S. Joannem ex quo, ut Patres veteres magno consensu tradunt, in illo singularis privilegii recubitu supra Christi pectus in Cœnâ ultimâ, Prophetiæ spiritu donatus est, sæpe locis diversis, variis occasionibus, multa prævidisse ac prædixisse prophetico subinde instinctum afflatu. Non tamen continuò cuncta vulgasse; quin & pleraque Discipulis ad eorum informationem aut consolationem clàm ostensa, ab Exterorum conscientiâ sedulò removisse, donec maturum esset illa edere publicè: quo modo alios quoque Apostolos consuevisse in

privatis Fidelium conventibus revelationes sibi vel aliis oblatas rerum eventurarum, ad eos roborandos & animandos, arcanò communicare, intelligitur cum ex aliis locis Epistolarum & Actuum Apostolorum, tum præsertim è Cap. II. Secundæ ad Thessalonicenses, ubi Paulus eos admonens de signis præcessuris diem Domini, hoc est, Excidium Hierosolymorum v. 5. hæc ait: *Num retinetis quod cum adhuc essem apud vos hæc dicebam vobis?* Sic etiam, & Prophetæ veteres Isaïas, Jeremias, Alij, solebant voce tenus suis dicere quæ futura prævidebant, nec palàm interim vulgare: quoad sub vitæ finem cuncta simul uno Libro congesta ederent. Quod in Patmo fecisse Joannem, certum est, scripto ibi, & ad septem à se in Asiâ fundatas Ecclesias misso hoc Apocalypsis Opere, cui præposuit quasi nuncupationis loco, peculiarem de istarum ipsarum Ecclesiarum præsenti statu recens illic ipsi oblatam visionem tribus primis Capitibus descriptam. Deinde à Cap. IV. ad XI. visa referuntur quæ prædicationem Evangelij in Judæâ, ejusque successum, tum pœnas Judæis inflictas ob repulsum Evangelium, ejusque Ministros vexatos & occisos; denique reprobationem ultimam Gentis illius, urbisque ac Templi supremum excidium prænuntiant. Hæc tum quidem palàm Libri hujus editione publicantur è Patmo insulâ sub Domitiano factâ, cum à longo jam tempore patrata erant: sed fuerant eadem antequam fierent, arcanò, ut dixi, monstrata Fidelibus: unde ab illis non inutiliter tunc quoque legebantur. Comparata quippe cum eventis palàm notis, sanciebant fidem Prophetiarum, & erant pro pignore ad certò credendum quæ mox eodem Libro nondum impleta prædicebantur. Hæc autem sunt quæ à Cap. XII. ad Libri finem perscribuntur de persecutionibus quas Ecclesia Christi à Romanis Imperatoribus passura erat: deque malis à Deo in ultionem fusi Christiani sanguinis Romæ Idololatræ inferendis usque ad ejus destructionem, & excidium Romani Occidentalis Imperij. Inter hæc de augmento, & profectu Christianæ Religionis, deque Pace plenâ per Constantinum ipsi dandâ: insperfis identidem digressionibus, Antichristi persecutionem ultimam, Turcorum Tyrannidem, Hæreticorum in Ecclesiam insultus, & alia quædam ejus generis obiter perstringentibus. Ex quibus abundè constat quodnam hujus Libri Argumentum sit; quasve, ac quot in partes præcipuas dividatur.

IESV CHRISTI.

Cum Ecclesia in exteriore Libri titulo hanc Apocalypsin B. Joannis Apostoli esse dicit, non contradicit ipsi Joanni intra Operis corpus eam Jesu-Christo tribuentis, ut enim modus idem agentis, & passi est, qui in illo dicitur actio, in hoc passio, ita hæc revelatio, Christi est ut revelantis, Joannis ut revelationem accipientis: ille autor & dictator hujus Libri est: hic amanuensis, & exscriptor. Quæ enim in eo affirmantur, & præcipiuntur, Christi Assertiones, & præscriptiones sunt: & quidem in

personâ propriâ loquentis. Quæ causa est cur Evangeliorum quoque Libri quatuor Christo autori vindicentur, quod ejus sensa & sermones in iis majori ex parte referantur. Unde hac quoque ex parte lex Evangelio, & Moyses Christo respondet, quod sicut legis Libri quinque sunt à Moyse dictati, ita novum Testamentum quinque habet Libros quorum autor Christus est.

Quam dedit illi Deus palam facere servis suis.

Christo nihil agenti nisi è Patris æterni nutu, juxtà illa Evang. Joannis Cap. V. 19. *Amen amen dico vobis non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Et Joan. VIII. 29. *Ego quæ placita sunt ei facio semper.* Quædam evulgare dum adhuc in terris versaretur haud permisit ille, prout ipse significat verbis Act. I. 7. ad Discipulos dictis interrogantes: *Si in tempore hoc restitues Regnum Israël?* quibus reposuit: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate.* Hoc est, quæ à me vobis indicari nunc quidem non permittit Pater: arbitrio suo reservans electionem temporis quo illa sinat à me vobis declarari. Id momentum advênit post Christi Ascensionem, quando idem Christus, Patre jam volente, Joanni ostendit hæc quæ Libro Apocalypsis continentur: inter quæ est restitutio Regni Israël, perpetrata, juxta verum Prophetiarum illam prædicentium sensum, in constitutione plenâ & splendidâ Spiritualis Regni Ecclesiæ in terris, quæ per ejus victoriam hoc Libro prædictam de Tyrannis Persecutoribus, & Pacem libertatemque Christianæ Religioni per Constantinum datam facta est. Nam vocatione Gentium ad fidem, earumque adoptatione in sortem filiorum Abrahæ verè perpetrata vetera oracula sunt, quæ summam in terris claritudinem Filijs Abrahæ, & Israël, non carnalibus, sed spiritualibus, pollicebantur. Prout Paulus Apostolus multis locis declarat: præsertim ad Rom, IX. 7. Ad Gal. III. 14. IV. 28. Et Ecclesia in duabus collectis recitari ad Aram solitis Sabbato Sancto disertè profitetur: quarum prioris hæc verba sunt: *Deus Fidelium Pater summe, qui in toto Orbe terrarum promissionis tuæ Filios diffusâ adoptionis gratiâ multiplicas: & per Paschale Sacramentum, Abraham Puerum tuum universarum, sicut jurasti, Gentium efficis Patrem.* Posterior sic habet: *Deus cujus antiqua miracula etiam nostris sæculis coruscare sentimus: dum quod uni Populo à persecutione Ægyptiacâ liberando, dexteræ tuæ potentiâ contulisti, id in salutem gentium per aquam regenerationis operaris: præsta ut in Abrahæ filios, & in Israëliticam dignitatem, totius Mundi transeat plenitudo.* Hoc igitur hic Joannes dicit: permisisse Deum Patrem Christo post Ascensionem suam quædam Ecclesiæ revelare per Joannem, quæ anteà prodi vetuerat.

℣. 2 Mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei: & testimonium Jesu Christi quæcumque vidit.

Duplici testimonio se perfunctum Joannes hic asserere videtur, quod ego ita acceperim, ut his significet Martyrium, quod Romæ ad Portam Latinam subiit, & Evangelium quod scripsit. Immissionem quidem ejus in fervens dolium præcessisse relegationem in Patmon, ubi Apocalypsis ex parte visa, & ex toto in unum Libri corpus redacta est, satis constat ex Traditione veteri: de quâ vide Baronium ad annum Christi 92. Domitiani 9. de Evangelio difficultas est, quòd multi putent id à Joanne post Domitiani mortem postliminio Ephesum reverso, in ea Civitate scriptum & editum fuisse. Verisimilius tamē est, quod Metaphrastes ex antiquissimâ Traditione asserit: Evangelium quoque in Patmo insulâ fuisse à Joanne conscriptum: de quo vide Baronium An. Chr. 99. Sanè illa verba: *Et testimonium Iesu Christi quæcumque vidit*: satis bellè videntur quadrare in Evangelium à Joanne scriptum: ut pote in quo se non semel contestatur scribere quæ olim viderat, cum Christo in carne degente familiariter conversans. Videtur ergo Joannes initio scripti quo propositurus erat res inopinatissimas, & valdè miras, tanquam sibi à Christo revelatas, affirmationi suæ authoritatem captare commemoratione duarum ipsi convenientium dotium, quæ apud Christianos magni utique ponderis erant ad fidem asserti cujusvis illi conciliandam qui eis insigniretur; videlicet quod & Martyr, & Evangelista esset.

℣. 3. Beatus qui legit, & qui audit verba Prophetiæ hujus; & servat ea quæ in ea scripta sunt.

Non enim solæ Prophetiæ continentur hoc Libro: sed admonitiones, & præcepta inseruntur: præsertim in primâ visione.

Tempus enim prope est.

Nempè mortis: quæ unicuique imminens, stimulare omnes debet ad proficiendum ex occasionibus oblatis emendandorum morum, & felicitatis promerendæ. Hactenus titulus Libri.

℣. 4 Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asiâ.

Incipit hinc quædam quasi nuncupatio Apocalypsis à Joanne peculiariter inscriptæ septem Ecclesiis à se in Asiâ fundatis. Sic Lucas Evangelium, & Acta, Libros licet in communem Ecclesiæ usum scriptos & editos, Theophilo cuidam Amico suo inscriptos voluit.

Gratia vobis, & pax.

Salutatio Apostolica: spiritualia priùs: inde temporalia quoque obtās bona.

Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.

Hoc est, à Deo. Nam hæc ex Hebræo interpretatio est Tetragrammati Dei nominis, ineffabilis dicti, quòd uno verbo efferri nequeat, cum quatuor constet vocabulis. Extat sæpè in libris Sacris designatum quatuor hisce litteris

יהוה quarũ occurſu Hebræi אדונך *Adonai* hoceſt *Dominus* pronunciare ſolent. Idque olim ſecuti ſunt Interpretes ab Eccleſia probati. Sunt porrò illæ quatuor literæ, initiales totidem dictionum יהך *Iihie* היה *Hoiie*, ך *Ve* היה *Haiiah* quæ ſignificant: *Erit*, *Eſt*, *&*, *Fuit*. Pro quo Joannes hîc in Græco originali poſuit ἀπὸ τοῦ, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Vbi notanda mira conſtructio articuli genitivi cum nominativo, quâ indicatur: omnia quæ poſt, τοῦ, ſequuntur verba uſurpari inſtar nominis unius inflexibilis, cujus proinde caſus primus à ſecundo non differat. Emollivit prudenter Vulgatus noſter illam duritiem facili detorſione, ſic reddens: *ab eo qui eſt, & qui erat, &c.* Sicut & idem rectè Græco participio præſentis temporis oppoſuit in verſione latinâ participium futuri, *venturus*, nec de nihilo eſt quod tam in Græco quam in Latino contextu loci hujus adhibetur *veniendi* verbum ad exprimendum יהך *Iihie* quod ſonat *erit*. Inde enim id factum quòd Sancti illi veteres legis naturalis, & ſcriptæ, cum ſpes rationeſque ſalutis omnes humano generi lapſo, in adventu olim futuro promiſſi Meſſiæ, hoc eſt, Dei naturam humanam aſſumpturi, repoſitas eſſe ſcirent, in omni divini nominis prolatione renovare profeſſionem iſtius Fidei curabant, expectare ſe Deum venturum declarantes; ad ejus uſum ſignificationis leniter inflexâ ea tetragrammati nominis parte, quæ ad abſolvendam emphaſim immutabilis, & indiviſibilis æternitatis, propriiſſimum divinæ naturæ habentis characterem, præteriti, & præſentis indicationi temporis, futuri mentionem adjungit. Quæri poteſt, cur Joannes mutarit ordinem. Cum enim veteres dicerent: *Ab eo qui erit, eſt, & fuit*: Joannes hîc dicit: *Ab eo qui eſt, & qui erat* (ſivè fuit) *& qui venturus* (hoc eſt futurus) *eſt*. Reſpondeo: Veteres à futuro incepiſſe, quia cum ei (ſicut modò dictum eſt) divini nominis particulæ peculiarem incarnandi Verbi notionem illigaſſent, illam prolatione præponendam reliquis putabant, ut ſignificarent: principium ſibi boni omnis à venturo eſſe Meſſiâ, cujus, licet nondum nati, certò tamen promiſſi, ex præviſis meritis, quidquid ipſis obtingeret gratiæ, ſpeique, ac rerum divinarum notitiæ, daretur: proptereáque ſe ex eo præ omnibus pendere, & in eum unicè intentos eſſe, declararent. Joannes autem ſcribens hæc poſtquàm jam Chriſtus advenerat, & redemptionis humanæ negotio morte ſuâ in Cruce conſummato, in Cœlum redierat, dudùm illic reſidens ad Patris dexteram, æquum eſſe credidit reſtitui tribus partibus tetragammati nominis naturalem inter ipſas ordinem. Ideóque primum locum præſenti tempori; ſecùndum, præterito; tertium, futuro aſſignavit. Dicet forſitan aliquis: debuerat eadem ex cauſâ Joannes omittere mentionem *venturi* ad Chriſtum relatam, cum jam ipſum ſciret adveniſſe. Reſpondeo, illam retinuiſſe cum reſpectu ad ſecùndum ejus adventum qui nondum patratus eſt: ſed expectatur in fine ſæculi. Addo ad extremum: notum quoque id Dei nomen fuiſſe Sibyllæ Phemonoë, cujus hunc verſum recitat Pauſanias in Phocicis: Ζεὺς ἦν, Ζεύς ἐστι, Ζεὺς ἔσεται· ὦ μεγάλε Ζεύς. *Jupiter*

piter erat, Iupiter eſt, Iupiter erit. O magne Iupiter. Ζεὺς autem ibi ex Sibyllæ mente non Cretenſem illum fabuloſum, Saturni filium: ſed Deum univerſi conditorem ſignat, ut facilè omnes intelligunt.

Et à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu Throni ejus ſunt.

Aſſentior magnis Autoribus, S. Ambroſio, Primaſio, Bedæ, Ruperto, Aymoni, Victorino Martyri, Abbati Joachimo, & D. Thomæ, intelligentibus per ſeptem hos ſpiritus, tertiam divinæ Triadis perſonam ſpiritum Sanctum propter dona ſeptem, ſeptiformem dictum: juxta quàm expoſitionem tota Trinitas hîc ſigillatim ſic eſt â Joanne memorata, ut primæ quidem Perſonæ tetragrammatum nomen, licet omnibus commune, per quamdam accomodationem quaſi proprium attributum ſit: Secùda verò propter Incarnationis myſterium quâ in creaturarum quaſi ordinem ſponte redacta eſt, poſtremo loco ſit numerata verbis illis verſûs ſequentis: *& à Ieſu Chriſto* tertia denique plurali numero expreſſa propter ſeptuplicem vulgò celebratam ejus operationem in functionibus quotidianis univerſæ divinæ providentiæ mundi gubernationem adminiſtrantis: quæ Providentia, & gubernatio, utcumque duabus pariter aliis convenit; tamen tertiæ potiſſimum uſu recepto loquendi tribuitur, ita ut ea exercere præcipuè dicatur ſeptem attributa quibus providentiæ generalis ferè continetur functio. Sunt autem hæc ex Alcaſare Notatione V. Sapientia, Potentia, Æquitas, Beneficentia, Patientia, Comminatio, Severitas: quæ & Chriſto, peculiari capitis officio Eccleſiam quàm condidit gubernanti tribuuntur infrà cap. V. 6. ſeptem oculorum Symbolo; & ſtatim ibi dicuntur eſſe *ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram.* Obiicit contra hæc Ribera: non poſſe dici ſeptem hîc memoratos ſpiritus eſſe Spiritum ſanctum quòd hi dicantur *in conſpectu throni eſſe*: cum Spiritus ſanctus, ut pote Deus, in throno collocari debeat. Reſpondetur primò retorquendo argumentum: neque enim Chriſtus, utcumque Dei Verbum & verus Deus, in ea quæ mox fit illius mentione, collocatur in throno. Deinde Aïo: certo myſterio factum ut ſolus Pater; quæ prima perſona numquam miſſa eſt, in throno conſtitui videatur à Joanne: ſecunda, & tertia non item; quippe quæ inde per miſſionem velut exierint.

℣. 5 Et à Jeſu Chriſto qui eſt teſtis fidelis.

In Græco eſt eadem paradoxa conſtructio, quam ſuperiori verſu obſervavimus: καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστός. Ubi nominativus cum genitivo invitâ grammaticâ nectitur: niſi: *Teſtis fidelis*, & quæ ſequuntur pro uno nomine indeclinabili ſumantur. Quod videtur affectaſſe S. Joannes, ut Verbo Incarnato par honor in nomenclatione, ac Deo adhiberetur: & ut Dei nomen ex tribus quaſi ſententijs conflatur; ita & Chriſti appellatio ex tribus componeretur elogijs, *Teſtis fidelis, Primogeniti mortuorum, & Principis Regum terræ.* Vulgatus Interpres, vel in ſuo exemplari à

nostris diverso legit ὅ ἐστιν ὁ μάρτυς, vel illud landabili ἐπιεικείᾳ supplevit, uti & in verbis mox sequentibus *qui dilexit nos, &c.* Novam ἀντίπτωσιν, *permutationem anomalam casum* dissimulavit: cum in Græcis legatur per casum tertium cum nullo superiorum congruentem τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, &c. Sed hæc parvi sunt momenti, nec mysterium habere videri debent cum similia occurant in scripturis Apostolicis Græcè compositis exempla parùm observatorum in ejusmodi Grammatices Canonum. Illud videamus cur Christus *Testis fidelis* appelletur. Græca vox πιστὸς fide dignum, & idoneæ authoritatis, cui sine dubitatione debeat credi, significat. talis est ille qui primus, & solus clarissimè cognovit rem cunctis aliis, nisi quibus ipse indicavit, ignoratam. Videtur ergo hæc scribens Joannes habuisse menti præsens illud Christi dictum Luc. X. 22. *Nemo scit quis sit filius nisi pater, nec quis sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius revelare.* Et quod ipse refert Evang. III. 2. *Amen amen dico vobis quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: & testimonium nostrum non accipitis.* Hoc argumento Joannes Præcursor Christo esse credendum probaverat Joan. cap. I. 18. sic dicens: *Deum nemo vidit umquam: unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit.*

Primogenitus Mortuorum.

Primus enim Christus ad vitam immortalem, & impassibilem à mortuis surrexit, quæ resurrectio quædam quasi nova generatio, & nativitas est. Unde Act. XIII. 33. Paulus apud Antiochiam Pisidiæ concionem in Synagogâ habens, docet in resurrectione Christi impletam esse illam Ps. II. 7. Prophetiam: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cur dicatur *Princeps Regum terræ*, satis patet.

Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Et, hoc loco, non, ut alibi sæpè, merè conjunctivum aut continuativum est, sed causale, & illativum. Argumentum enim ducit ad probandum dilectos nos à Christo fuisse ex eo quod laverit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Et fecit nos Regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo.

Adscivit nos in regale Sacerdotium; quale ipsius fuit, *Sacerdotis* (ex Psal. CIX. 4.) *secundum ordinem Melchisedech*; qui Rex idem & Sacerdos erat Gen. XIV. 18. Sacerdotium Aaronicum compatiebatur statum conjugalem, Familiæ administrationem, educationem liberorum: res servitute implicitas multâ, privatarumque variæ attentioni rationum addictas. Sacerdotium novæ legis, ad quod vocati Apostoli, & qui ab eis aut eorum successoribus ordinati sunt, cœlibi conjuctum vitæ, omni exolvit nos nexu rerum terrenarum: & si non censum; at saltem αὐτάρκειαν *sufficientiam* habet regiam; qualis illius fuit Virgiliani senis Georg. IV. *cui pauca relicti*

jugera ruris erant : & tamen *Regum æquabat opes animis.* Cum autem duplex via sit ad satietatem, quæ est fructus copiæ; vel larga congestio rerum expetibilium : vel limitatio cupiditatis : hunc potissimum secundum regnandi modum Christiani Sacerdotes tenent, qui optimus judicatur à sapientibus, juxta illud Philosophi veteris.

Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam.

Hunc verum esse sensum arbitror tam hujus loci, quam illius celebris 1. Petr. II. 9. nec refert quod illic Petrus, Fidelibus videatur tribuere omnibus *regale Sacerdotium*, vel enim à potiori parte Christianum universum denominat Populum : vel significat omnes, cujuscumque conditionis sint, ad istam usurpationem regni per temporalium contemptum, invitari, si non cogi. Vnde omnes initio Fideles possessionum suarum pretia ad pedes Apostolorum afferebant Act. II. 45. IV. 37. certè Christus omnibus promiscuè qui discipuli ejus fieri voluerint (discipulorum porro nomen comune omnium Christianorum erat Act. XI. 26.) edicit ut renuncient omnibus quæ possident, Luc. XIV. 33. Hæc est. *Paupertas Spiritûs*, cui proprius etiam in hâc vitâ fructus respondet, Regni possessio. Mat. V. 3. Luc. VI. 20.

℣. 7 Ecce venit cum nubibus Cœli.

Digressio de judicio futuro in fine sæculi. Quando Gloria Christi consummabitur, splendidissimo ejus triumpho, quo ut est in Ps. IX. Deus Pater ponet omnes inimicos ejus scabellum pedum ipsius.

Et videbit eum omnis oculus.

Omnium ætatum, omnium gentium homines in unum congregati.

Et qui eum pupugerunt.

Judæi necis illius autores : quibus satagentibus, & infesto clamore cogentibus, manus ejus clavis, latus lancea transfixum est.

Et plangent se super eum omnes Tribus terræ.

Reprobi è cunctis humani generis Familiis : penes quos tum adhuc residebit culpa vulnerum Christo inflictorum, quam in vitâ, ut Electi, non expiaverint, luctum ingentem plangendo pectora ostendent : quòd videant sibi ipsis per cruciatus æternos luendam restare tam indignæ cædis invidiam.

Etiam. Amen.

Duæ particulæ votum, & desiderium significantes. Imo una, & eadem duabus continenter linguis expositа ναὶ, ἀμὴν, Græcâ, & Hebræâ. Ad significandum concors in Christi gloriam votum Ecclesiæ utriusque, sivè

quæ ex Judæis, ſive quæ ex Gentibus coaluerat. Similis eſt geminatio in Abba Pater. Marc XIV. 36. Ad Rom. VIII. 15. Ad Gal. IV. 6.

Ego ſum α & ω, principium & finis : dicit Dominus Deus qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.

Quod ſe α & ω Chriſtus dicit : eundem eſſe ſe ſignificat conſummatorem Mundi qui creator ejus fuerit : de quo & in primo Canonicæ Scripturæ libro Geneſi agitur, & in ultimo, nempe Apocalypſi : quorum ille primo elemento alphabeti Græci reſpondet, hic poſtremo. Ubi notandum : conſueviſſe veteres corpora librorum litterarum ſignis diſtinguere. Ut videmus in Homeri Iliade & Odyſſeâ quarum partes Rhapſodi quatuor & viginti pro numero elementorum græcæ linguæ, diſtinxerunt. Crediderim præiviſſe in hoc Græcis Hæbræos. Qui olim reperiuntur ſacrum ſuorum librorum canonem ſectionibus duabus & viginti diſpertiſſe ; pro numero ſcilicet litterarum totidem linguæ ipſorum. Videtur Joannes græcè ſcribens id ad uſum idiomatis quo utebatur accommodare ſtuduiſſe, adjungendo Novum Teſtamentum Veteri. Cumque illud, uti dictum eſt, 22. conſtaret libris ; novum in duos redegiſſe ; quorum alter Chriſti alter Apoſtolorum dicta factaque recenſeret. Ac ſic libros 24. feciſſe : quorum primo adaptari rectè Alpha poteſt, noviſſimo, Omega. Cætera jam ſuperiùs ſatis expoſita ſunt.

℣. 9. Ego Joannes frater veſter & particeps in tribulatione & regno & patientia in Chriſto Jeſu.

Coacervat commemorationes plurium ſecum neceſsitudinum eorum quibus ſcribit, ut ſic eorum conciliet benevolentiam & ex eâ attentionem ad dicenda. Fratris nomen innuit communionem religionis. Participatio tribulationis habet ſocietatem ſortis, quæ ſolet inter ſe ligare affectu eos qui malis iiſdem ſubjacent. Mentio adjuncta regni oſtendit perſecutiones Chriſti cauſa toleratas non reddere infelices illos qui eas patiuntur, ſed potiùs invidendos, ut qui tum maximè regiâ fruantur in animo libertate & pace ; & centuplo gaudiorum à Chriſto promiſſorum tunc quoque beentur, juxta illud Marc x. 30. *Nemo eſt qui reliquerit domum aut fratres*, &c. *propter me* (Chriſtus loquitur) *qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, fratres*, &c. *cum perſecutionibus : & in ſæculo futuro vitam æternam.*

Fui in inſula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu.

Et Latinum *fui* & Græcum ἐγενόμην præteriti temporis ſunt. Quod ni fal-

lor trahi poteſt ad ſuſpicandum, non tunc primùm ac ſolùm quando Joannes hæc ſcribebat, fuiſſe illum in Patmo inſulâ: ſed ibidem quoque antea fuiſſe: & viſis illic tunc quoque divinis illuſtratum. S. Epiphanius, ejus & antiquitatis & authoritatis Scriptor quam omnes venerantur, in diſſertatione LI. earum quas contra hæreſes edidit; quæ eſt contra quoſdam quos vocat ἀλόγους *Alogos* ſivè inſanos, qui Evangelium & Apocalypſim Joannis agnoſcere pro Libris Canonicis recuſabant, bis affirmat Joannem ſub Claudio in Patmon inſulam fuiſſe relegatum. Id enim diſertè ſcriptum legitur num. XII. pag. 434. editionis Petavianæ: & non minùs clare iteratur num. XXIII. pag. 456. nec eſt credibile tam doctum patrem hoc temerè ac ſine idoneorum teſtium ſuffragio poſuiſſe. Veriſimilem puto Hugonis Grotii ad hunc locum conjecturam: qui exiſtimat Proconſulem Aſiæ qui tunc erat, cum ad ipſum delata fuiſſet ſeditio Epheſi per Demetrium argentarium contra Chriſtianos concitata, quàm ægrè Alexander ſedaſſet, admonens vociferantes: *Nam & periclitamur argui ſeditionis hodiernæ*, &c. v. 40. capitis XIX. Actorum, ſcripſiſſe ad Claudium: commoveri Populum Epheſi occaſione invaleſcentis illic novæ Sectæ Chriſtianorum, quorum Dux Judæus quidam nomine Joannes eſſet. Quibus auditis Claudius, & in Judæos parùm benevolè affectus, ut apparuit quando eos Româ expulit; & de Chriſto, ac Chriſtianis tunc Romæ apparere incipientibus, eâ præoccupatus opinione quam malus ei Dæmon progreſſum Evangelii metuens ſtudioſè ſuggerebat, uti & aliis quoque Romanis, quam videmus expreſſam in ſcriptis Hiſtoricorum illius temporis, Suetonio & Tacito, de iis ſemper contemptim, ac contumeliosè loquentibus, reſcripſerit, velle ſe Joannem, uti ſeditionis authorem in inſulam deportari, ea enim erat frequens tunc temporis pœna, ut apparet ex L. Rei capitalis §. conſtat & L. relegati D. de pœnis maximè in cauſâ ſeditionis L. capitalium §. ſolent quidem D. tit. de pœnis, quod confirmat Paulus ſententiarum v. tit. 22. §. 1. in ſeditioſorum porrò numero habebantur, & illi qui ſuperſtitione nova hominum animos commovebant, ut eſt in L. ſi quis aliquid de pœnis. Eligi autem ſolebant ad iſtam deportationem inſulæ ac ferè deſertæ, qualis erat Patmos in mari Ægæo. In hanc ergo relegatus Ioannes ſub Claudio, inde vel ſub initia Neronis, quando is benignitatis famam affectabat, Epheſum redire permiſſus fuerit: uti apparet remiſſum tunc Iudæis fuiſſe indictum illis ab urbe exilium: cum Petrus, tanquam eo revocato, impunè ac liberè Romam reverſus ſit: vel ſi toto Neronis Imperii tempore perſtitit Patmi Ioannes, Veſpaſiani certe beneficio poſtliminii gratiam ceperit. Nam autor eſt Tertullianus vetera contra Chriſtianos edicta à Veſpaſiano fuiſſe ſublata: à Domitiano verò reſtituta. Quare ſub hoc Ioannes primùm citatus Romam, poſt mirificam illic ejus à dolio ferventi libertationem ad priùs exilium remiſſus fuerit. Quin & videri, ni fallor, his verbis Joannes poteſt duplex iſtud ſuum in Patmo exilium innuere, diſtinguens cauſas utriuſque. Dum enim ait ſe fuiſſe in Patmo *propter verbum Dei*, ſe primò illùc rele-

gatum indicat ob prædicationem Evangelii exercitam Epheſi: cum autem addit: *& propter teſtimonium Ieſu* Græcè διὰ μαρτυρίαν Ιησοῦ χριστοῦ ſignificare videtur alterius ibidem exilii ſibi cauſam fuiſſe novam, confeſſionem nominis Chriſti Ieſu quâ erat Romæ perfunctus ſub Domitiano. Non eſt autem incommoda notitia & diſtinctio duplicis iſtius apud Patmon commorationis Ioannis Apoſtoli. Ex eâ enim habetur via ſatisfaciendi affirmationi multorum Veterum teſtantium pleraſque hoc comprehenſas Libro viſiones ei fuiſſe apud Patmon oblatas, quod verum putamus; lucrifacientes modò dictæ obſervationis beneficio incommodum graviſſimi abſurdi, in quod incidunt illi qui ſolam ſub Domitiano Ioannis in Patmon relegationem agnoſcunt. Inde coacti admittere plurima hoc Libro perſcripta viſa, quæ belli Iudaïci ſucceſſus tragicos prædicunt, & alia quæ Imperium Domitiani præceſſerunt, prophetice fuiſſe prævisa poſtquam jam patrata erant. Hæc clariùs patebunt ex dicendis deinceps ſuis locis.

℣. 10 Fui in ſpiritu in Dominicâ die.

Accingit ſe ad declarationem viſionis ſequentis quam primam ponit, licet longè poſt pleraſque hoc libro relatas ſibi oblatam. Sed aptè ad id delectam ut eſſet quaſi nuncupatoria Operis totius, cum de cætero Prophetæ, vates quidam ſacri, hoc commune cum Poëtis profanis habeant, ut hiſtoricam ordinationem temporum adeò non conſectentur, ut ſtudiosè potiùs vitare profiteantur. Ait autem ſe raptum *in ſpiritu*, hoc eſt internâ mentis operatione ſine concurſu ſenſuum corporis, idque ſibi contigiſſe die Dominicâ, orationi præcipuè jam tum dicatâ. Et congruebat Chriſtum Dominum eam potiſſimum diem ſibi ſacratam, à ſe denominatam, ſui ſuorumque myſteriorum manifeſtatione inſignire.

Et audivi poſt me vocem tamquam tubæ dicentis: quod vides ſcribe in Libro, & mitte ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſiâ Epheſo, Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

Cum antea generaliter de hoc raptu dixerit fuiſſe illum *in ſpiritu*, intelligitur non aure corporis hanc auditam vocem: ſed ut fit in ſomnis; quamquam ſublimiori modo: ſomniorum enim viſa fiunt per motum ſpecierum in phantaſiâ hoc autem gerebatur in ſupremo mentis apice imaginibus divinitùs formatis, & oſtenſis. In illo præſenti, *quod vides ſcribe* agnoſcenda eſt prolepſis, non enim adhuc videbat quidquam ſed mox viſurus erat, & in inſtantaneâ ſucceſſione momentorum temporis eſt aliqua moralis duratio præſentiam extendens ad totum ſpatium ceptæ actionis. Iubetur autem Propheta, & ſcribere viſionem, & ſcriptam continuò communicare; cum infra cap. x. 4. prohibeatur ſcribere quæ audierat propter cauſam ibi

dicendam. Etiam quæ permittebantur scribere non statim sinebantur Prophetæ divulgare; sic Danieli dicitur XII.4. *claude sermones, & signa Librum* (hoc est arcanum, & obsignatum tene) *usque ad tempus statutum.* Quo modo multæ hoc Libro expositæ revelationes diù pressæ silentio aut paucis duntaxat fuerant comunicatæ: donec uno comprehensæ volumine simul ederentur, ac ne tum quidem editio fuit omnibus exposita: Sed totus hic Liber servatus sub potestate regentium Ecclesias, & iis tantum ostensus quos idoneos, delectu habito Præpositi judicassent. Quæ causa fuit cur aliqui olim dubitaverint de ejus autoritate Canonicâ, quòd initio in Evangeliorum & actorum scriptorumque Apostolicorum collectione ad Populi usum expositâ Apocalypsis non poneretur: donec maturum est visum eam ex toto vulgare.

℣. 12 & conversus ut viderem vocem &c.

Hoc est, vocis autorem. Sic Ioannes Bapt. se vocem esse ait Ioan. I. 23.

℣. 13 Vidi septem Candelabra aurea.

Ut Familia focus dicitur: quia in singulis Familiis focus saltem unus est ad quem domestici conveniunt: ita Ecclesia quælibet Candelabri mentione designatur, quia in cœtibus sacris, quibus primi Christiani nomen ἐκκλησίας tamquam proprium indiderunt, quo Græci veteres, populares cœtus ad res politicas tractandas in suis Democratijs celebrari solitos nuncupabant, lucebat Candelabrum, non solùm ad vincendas tenebras noctium, per quas, persecutionum tunc ferè continuarum causâ, clàm & noctu exercenda Religio erat, ibi dominantibus exosa: sed etiam ad Deum honorandum qui voluerat in lege veteri flamma perenniter ardenti, tum in altari Holocaustorum, tum in Candelabro septem instructo lampadibus, coli: & hunc ritum quadamtenus perpetuari in Ecclesiâ volebat.

Et in medio septem Candelabrorum aureorum similem filio Hominis.

Cur non *Filium Hominis* hoc est, Christum; sed *similem filio hominis* in medio Candelabrorum Joannes videt? Hâc opinor de causâ, ut ostendatur unamquamque Ecclesiam non à Christo ipso præsente palàm conspecto regi, sed à suo Episcopo Christum repræsentante. Cur Christus vocetur Filius hominis expositi fusè in spicilegio Evang. §. 32.

Vestitum podere.

Poderes, ex Hieronymo Ep. CXXVIII. tunica erat talaris linea strictè corpori adhærens, & à summo collo ad imos pertinens pedes, unde & nomen obtinet. De eâ vide. Exod. 28. 38. Levitici 6. 10. est insigne Pontificatûs.

Præcinctum ad mamillas zona aureâ.

Regum erat gestare baltheum aureum Job. XII. 18. quò alludit Psalmus XVII. 33. 40. & Isaïas XI. 5. insigne igitur hoc Christo convenit, ut Regi. Clarè Psalmista Ps. XCII. *Dominus regnavit decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.*

℣. 14. Caput autem ejus & Capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix.

Daniel capite VII. 9. Hæc eadem antiquo dierum nempè Deo tribuit. Significat porrò candor hic capitis, & comarum irreprehensibilem innocentiam judiciorum Dei nullis affectuum aut perturbationum suspicionibus laborantium, sive prosperum aliquid benignè; sivè asperum severè decernant, ad hoc enim junctæ sunt similitudines duæ lanæ, ac nivis, quarum prior propitia est, & fovendis apta corporibus: altera rigore infesta glaciali.

Oculi ejus tamquam flamma ignis.

Videri possit angustè dictum de claritate oculorum Christi, quòd eos non soli comparat, sed flammæ ignis. Non ita Ecclesiasticus XXIII. 28. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem.* Sanè infra v. 17. facies ejusdem lucere dicitur, *sicut Sol in virtute sua*, hoc est, in meridianâ claritate. Non hæc vacant mysterio: Sol non penetrat arcana domuum, excluſus tectis & muris, ac tantum quasi precariò admitti solitus per fenestras, clausas aut patentes pro usu, & arbitrio ibi degentium. Haudquaquam his obstaculis prohibetur acies oculorum Christi Ecclesiæ invigilantis: ideo comparatorum flammæ ignis in face aut lucernâ lustrantis recessûs domuum intimos unde Sophoniæ I. 12. Deus dicit *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Facit hùc Pauli locus Hebr. 4. 13. de verbo Dei, hoc est, Christo, loquentis: *Omnia sunt nuda, & aperta oculis ejus.* Voci *aperta* in Græco respondet τετραχηλισμένα participium passivum verbi τραχηλίζειν, quòd primò significat, circumspectare curiosè aliquid ante, retrò, supernè, subtùs, & ex omni latere: secundò excoriare, & quid sub pelle lateat, videre: postremò dissecare cadaver animalis per spinam dorsi, & sic patefacere intima viscerum, ex quâ observatione, gradus illis verbis quadruplex signatur perspicaciæ oculorum Christi; innuitur que primò, neminem se illi obtentu vestis occultare posse, cum ei *omnia nuda* sint, secundò, nuda ipsa corpora non obiter ab ipso aut perfunctoriè aspici, sed explorari accuratè, tertiò trans pellem ipsum cernendo penetrare, ac quartò denique lynceæ perlustrationis aciem usque ad intima viscerum, & medullas ossium perferre. Addo: cum hic agatur de *simili filio hominis* hoc est Christi Vicario in Ecclesiæ regimine, innui per hæc debere Præsides Ecclesiarum acrem in subditos intendere vigiliam, penetrareque (quoad opus est ad ipsos juvandos) in eorum arcana mentium: ac multò magis explo-

rare

rare scelera, & flagitia in occulto perpetrata, ut ea emendari, & per congruam pœnitentiam expiari curent.

Et pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ardenti.

Græcè pro aurichalco est χαλκολίβανον, quam vocem Suidas interpretatur, speciem electri, vel auri genus quoddam mixtum ex vitro, & lapide. Aurichalcum hic à Vulgato positum, quod frequentius à Latinis Orichalcum scribitur, Plinius l. xxiv. cap. 11. uti & Servius ad 12. Æneid, & Scholiastes Hesiodi ad Clypeum, æris esse genus præstantissimum docent, ipso etiam auro, saltem ob raritatem, pretiosius. Per pedes significari actiones docet S. Cyrillus lib. 9. contra Julianum: quòd iis Homines quasi quibusdam passibus ferantur ad felicitatem. Indicatur hoc Symbolo, omnes Christi actiones ex merâ, & ardentissimâ caritate imperatas, & purissimas, & pretiosissimas fuisse. Vocat Virgilius orichalcum album: unde alia est ab auro substantia, candori argenti splendorem etiam novum addens, aptum ideo Symbolum indicando nitori pretioque operationum Christi theandricarum, ipsi utique proprio, nec ullo conatu creatæ, quantumvis sanctæ, mentis adæquabili, quippe cum ex unione cum divinitate procedat, sicut orichalcum ex monte, à quo nomen habet, non ab auro (ὄρος enim Græcè mons dicitur; quare primam Syllabam hujus nominis optimi Poëtæ, Virgilius, Horatiusque corripiunt) Montis autem Symbolo eminentia divinæ naturæ aptè designatur. Simul verò innuitur iis qui vices Christi gerunt in Ecclesiæ gubernatione, debere ipsos agere omnia ex quàm synceriissimâ intentione Deo placendi, studioque, ac zelo flagrantissimo caritatis erga proximos: quò pertinet mentio *camini ardentis*. Nam infrà videbimus ad v. 18. cap. 3. zelum eo differre à caritate, quo aurum in laminâ rigidum à se ipso ἐν χωνευτηρίῳ *in conflatorio* liquefacto vi flammæ vehementissimè ardentis, differt. In monte Libano fuisse orichalchum optimum repertum, indicat Græca vox χαλκολίβανον. & eò forte Plinius modò laudatus allusit, dum commemoratâ primâ in Cypro insulâ inventione æris montani, eviluisse id mox ait: *Reperto in alijs terris præstantiore, maximè orichalco* (χαλκολιβάνῳ) *quod præcipuam bonitatem admirationemque diù obtinuit.* Hæc ille. Dan. x. 6. formâ humanâ apparentis Angeli, brachia quoque & quæ deorsum sunt usque ad pedes, æri candenti erant similia.

Et vox illius tamquam vox aquarum multarum.

Fremitus æstuantis maris longissimè in mediterraneis auditur. Ita sonus Evangelicæ prædicationis per Apostolos, qui os Christi dicuntur, in omnem exivit terram Ps. xviii. 5. Totum corpus per caput, & os loquitur, est Christus Ecclesiæ ex multis populis conflatæ caput Eph. v. 23. Angelus autem Joanni dicit infra cap. xvii. *Aquæ populi sunt, gentes & linguæ.* Non ergo mirum si vox ejus sit *tamquam vox aquarum multarum.*

℣. 16 Et habebat in dexterâ suâ Stellas septem.

Septem Stellæ sunt Angeli, sivè Episcopi, septem Ecclesiarum infra v. 20. quod eos Christus habere dicitur *in dexterâ*, declarat primò, ejus in illos benevolentiam Jerem.xxii. 24. *Si fuerit Jeconias annulus in dextera meâ*: secundò dat pignus sperandæ protectionis Exod.xxxiii.22. *Protegam te dextera mea.* tertio dignationem innuit honoris Ps. xlix. 10. *Astitit Regina à dextris tuis*: quarto prædestinationis omen, & certæ ad extremum perseverantiæ continet. Nam Mat. xxv. 23. *Oves* hoc est Electi, Christo sunt *à dextris.*

Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.

Hic est sermo Christi, & Doctrina Exangelica Paulo dicta *Gladius Spiritus.* Eph.vi. 17. de qua idem Hebr.iv. *Vivus est sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, &c.* Quæ significant Evangelicam Doctrinam res ad vivum resecare: nec blandiri naturæ; sed bellum palàm indicere cupiditatibus, quò spectant illa Christi Mat. x. 34. *Non veni pacem mittere sed gladium &c.*

Et facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua.

Superiùs innui, per hæc significari meridianum Solis splendorem, ut hîc *virtus* sit ἀκμὴ, flos & vigor maximus. Potest etiam videri, velle Joannem hâc formulâ exprimere quod alibi dixit, Christum esse *lucem veram* Evang. cap. 1. hoc est archetypam nativam originalem & a nullo participatam aut derivatam alio: sicut Sol omnibus communicat à nullo alio sidere acceptam lucem: sed φαίνει ἐν τῇ δυνάμει ἑαυτοῦ *lucet in virtute propriâ.*

℣. 17 Et cum vidissem, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus.

Lapsum hunc Joannis in terram, fuisse ex consternatione timoris, indicat Christus eum mox erigens his verbis: *Noli timere*, terruerat autem illum habitus inusitatus, & splendor oculorum, & facici, quæ nova adjuncta formidabilem illi faciebant eundem illum quicum olim familiarissimè versatus in summâ fiduciâ fuerat. Unde ad causam superius allatam cur non simpliciter *filius hominis*; sed *quasi filius hominis*, Christus hîc vocetur, illa quoque addi potest; quod Joannes licet in oblatâ sibi specie lineamenta vultus eadem notaret quæ in Christo cum hominibus conversante viderat: tamen adeò peregrinus ille habitus, vestis, fulgor faciei, ardor pedum, prominentia gladii ancipitis ex ore, & septem Stellas tenens dextera, quasi dubitare illum cogebant an is ipse esset. Unde, similem ejus, dixerit: itaque confirmare illum Christus studens, & errore, qui terroris causa foret, liberare, mox subjungit: *Ego sum, &c.*

Et posuit dexteram suam super me.

Contactu vivifico dexteræ, sicut pleraque in terris degens miracula sanationum operabatur Christus, ut passim Evangelistæ notant, ita nunc Joannem reficit; præterea innuens, esse illum sibi *virum dexteræ* Psal. LXXIX. 18. hoc est carissimum.

Dicens noli timere, ego sum primus & novissimus.

Primus, & novissimus hîc significat, Deus, & Homo. Intellectualium enim Naturarum Divina prima est, Humana novissima.

Et vivus, & fui mortuus.

In Græco καὶ ὁ ζῶν. Ille per excellentiam vivens, & vita ipsa actualis indefectibilis, nempè Deus. Addit quod in humanâ naturâ assumpta passus est; quia pati voluit. Sed semel tantùm, successura illi momentaneæ morti æternâ vitâ. Mox enim addit.

Et ecce sum vivens in sæcula sæculorum.

Christus enim, ex Paulo ad Rom. VI. 9. *resurgens* (in archetypo, ἐγερθεὶς postquam semel resurrexit) *jam non moritur; mors illi ultrà non Dominabitur, quod enim mortuus est, peccato mortuus est, semel: quod autem vivit, vivit Deo.* Semel mortuus est, volens; ut pro peccato satisfaceret. De cætero immortalitatem naturæ suæ divinæ propriam, ratione cujus, ut diximus, est ὁ ζῶν, *per se excellenter & indefectibiliter vivens*; communicavit unitæ sibi humanæ naturæ. Memorat tamen ultrò illam semel transactam mortem, quia solutionis semel ritè factæ indices tabulæ servari ad cautionem debent: & cum mors Christi fons, & principium sit omnium gratiarum cunctis Hominibus, necesse est ejus semper in iis memoriam vigere. Ideò ipse Christus quinque vulnera quæ sibi causæ mortis fuissent, in corpore post resurrectionem immortaliter vivente retinere aperta voluit, ut essent æterna signa toleratæ ab ipso pro hominibus cædis.

Et habeo claves mortis, & inferni.

Mors & infernus sunt velut Carceres. Ideo Priori portas aptè attribuit David Ps. IX. 15. Posteriori Ezechias initio sui Cantici Is. XXXVIII. 10. His consequens est ut harum Portarum, & Claustrorum non desint Claves. Hæ vero in cujus manu sunt, is intelligitur habere potestatem eò detrudendi & inde extrahendi quos vult, eâ se præditum hîc ex verò Christus enunciat. Anna Samuëlis Mater in suo Cantico I. Reg. II. id divinæ naturæ jus tribuit, sic canens *Dominus* (in Hebræo est יהוה proprium Dei nomen) *mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit.* Humanæ quòque Christi naturæ eadem haud dubiè facultas competit: tum ex unio-

ne cum Verbo Divino, ei coaleſcens in unam perſonam; tum ex conceſſione Patris æterni remunerantis obedientiam filii uſque ad mortem, dando illi *omnem* omnis generis *poteſtatem in Cœlo & in terra*, Matthæi XXVIII. 18.

℣. 19 Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc.

Dubium eſt unde ducatur illatio ſignata vocabulo *ergo*. Sunt qui referant ad corroborationem Joannis Chriſti contactu, & voce factam ex conſternatione quâ conciderat velut mortuus: mihi videtur ſpectare potiùs illam tot verbis declaratam Chriſti Poteſtatem, ex quâ cum authoritatem indubitatam habeat imperandi quod vult, eam exercet jubendo ut ſcribat. Indiſtributione quæ mox ſequitur, primum illud membrum: *quæ vidiſti*, ſignificat, oblatas fuiſſe antea Joanni viſiones, quas cum nondum vulgaſſet nunc edere jubetur huic eidem commiſſas Libro cujus in fronte poſiturus eſſet hoc quod modò ei obiiciebatur viſum, ad ſtatum præſentem ſeptem Eccleſiarum Aſiæ pertinens. Illud deſignat iis verbis: *& quæ ſunt*. Inter illas quas primo membro indicavit priùs oblatas viſiones eſt illa ſine dubio quæ extenditur à cap. IV. ad x. quæ Hieroſolymæ ἁλωσιν *deſtructionem*, ac Gentis Judaicæ excidium prædicens, jam rebus patratis, tempore ſecundæ Joannis relegationis in Patmon ſub Domitiano, Prophetia eſſe deſierat: & hanc clàm eatenus habitam, & paucis monſtratam, publicari nunc mandat. Uti & eam quæ de rebus Romanis cap. XVII. habetur, viſa, ut penè manifeſtè illic dicitur, imperante Veſpaſiano, prædicens ſucceſſurum illi ad breve tempus Titum, & huic Domitianum. Viſio etiam cap. XII. perſcripta primum Chriſtianiſmi Romam ingreſſum, & Neronis perſecutionem vaticinans, res imperio Veſpaſiani antiquiores, præcedere tempore debuit illam de quâ diximus, imperante Veſpaſiano Joanni oſtenſam. Et hæc ergo comprehenditur verbis illis: *quæ vidiſti*. Quin etiam exiſtimo viſionem, ab initio capitis XV. ad finem XVI. relatam quæ prædicit plagas Romæ noviſſimas uſque ad finem Occidentalis Imperii, deſinentis in Auguſtulo, & deſtructionem Romæ per Totilam, fuiſſe ante hæc Joanni oſtenſam, illo nimirum tempore quo Veſpaſianus imperabat: quando eidem oſtenſa ſunt quæ refert capite XVII. Argumentum ejus rei ſumo ex illius XVII. capitis initio, ubi dicitur: veniſſe ad Joannem *unus de ſeptem Angelis qui habebant ſeptem phialas*. Viſio autem illa Plagarum Romæ noviſſimarum exhibita fuerat per Angelos habentes ſeptem phialas, unde datur intelligi, viſiones has duas contiguas fuiſſe: ita ut quæ continetur capitibus XV. & XVI. præceſſerit perſcriptam capite XVII. quæ cum diſertè ſignetur oſtenſa imperante Veſpaſiano, qui decennio Rei Romanæ præfuit, apparet paulò ante ſub eodem principatu viſionem Angelorum ſeptem è Tabernaculo quod eſt in Cœlo exeuntium cum ſeptem phialas, & eas ſingillatim effundentium, viſam Joanni fuiſſe. Puto ultimo membro trifidæ Partitionis his

verbis expreſſo : *& quæ oportet fieri poſt hæc.* Signari res eventuras nondum tunc Joanni revelatas, ſed paulo poſt revelandas : quod ubi erit factum, indicat hîc Chriſtus velle ſe illas huic quoque Libro inſeri. Ejus generis crediderim eſſe quæ leguntur cap. XI. a verſ. 2. ad finem capitis. Agunt ea de ultimâ perſecutione Antichriſti, deque prædicatione, Martyrio, Reſurrectione, & Aſcenſu in Cœlum Enochi, & Eliæ; tum de judicio finali, & conſummatione ſæculi, quæ res quia uſu ſcripturarum quaſi συστοιχοι, & correlatæ, cogitatione, & mentione conjungi ſolent cum excidio Templi, & gentis Judaïcæ, apte à Joanne ſubjunctæ ſunt per modum appendicis, Prophetiæ Victorias Veſpaſiani & Titi de Judæis reportandas prædicenti. Ad eandem Claſſem refero quæ capite XX. prædicuntur de alligatione Draconis ad annos mille, ac de ejuſdem tunc ſolutione ad tempus modicum, ac de Gog, & Magog, hoc eſt, Imperio Turcico. Caput XIII. & XIV. cum maxima ex parte prædicant res poſt Domitianum geſtas potuerunt nondum revelata Joanni fuiſſe, quando hæc quæ modo tractamus audivit verba : uti & ea quæ capitibus XVIII. & XIX. leguntur quamquam cum illa ſint conſectanea ad res quas dixi priùs viſas, non eſt etiam incredibile jam tum illi fuiſſe demonſtrata; & ad ea extendi præceptum ſcribendi quæ vidiſſet. Viſiones denique XXI. & XXII capitum, quæ ſunt Epilogus Operis, poſt omnia fuiſſe Joanni monſtratas apparet, & ad ordinem pertinere nondum viſorum; ſed ubi viſa fuerint, ex præcepto ſcribendorum.

℣. 20 Sacramentum ſeptem Stellarum quas vidiſti in dexterâ meâ, & ſeptem Candelabra aurea : ſeptem Stellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum: & Candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.

Vox, *Sacramentum*, abrupta pendet; Ecliptica Syntaxi ſcriptum ænigmaticum decente. Fiet ſententia intelligibilis ſuppleto ſubſtantivo verbo, in hunc modum : ſeptem Stellæ & ſeptem Candelabra, Sacramentum ſunt : hoc eſt obſcurum ſignificatum, nec ſtatim videnti occurrentem, in ſe occultant hæc Symbola, quem aperire tibi volo. Pro *Sacramentum* Græcè μυστήριον eſt, quæ vox ſonat rem arcanam : qualis vel in primis eſt arbitraria inſtitutio ſigni cujuſpiam ad rem aliquam indicandam illi ſoli comperta qui pro libito inſtituit, nec aliis ferè aliter intelligibilis quam ipſo declarante. Ideo ipſe Chriſtus ultrò explicat quid deſignare voluerit per Stellas, & Candelabra. Ac per Stellas quidem ſe intelligere ſeptem Angelos, ſive Epiſcopos, ait. Hi *Angeli* dicuntur, hoc eſt *miſſi*, quia prædicationis Evangelicæ, cujus penes iſtos officium primariò reſidet, Miſſio fundamentum eſt, juxta illud Pauli Rom. X. 15. *quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Stellæ iidem dicti quia lucem doctrinæ quam à ſuo ſole, Deo & Chriſto, acceperunt, diſcipulis ſuis & ſubditis tamquam nocturnis viatoribus commodant, docendo eos & admonendo. Poſtremò Eccleſiæ re-

præsentantur per Candelabra ejus formæ quæ describitur Exodi xxxvii. 17. aut potius Zachariæ iv. 2. ubi hæc leguntur: *Quid tu vides? Et dixi: vidi, & ecce Candelabrum aureum totum, & lampas ejus super caput ipsius: & septem Lucernæ ejus quæ erant super caput ejus.* Dixi, potiùs hoc Zachariânum Candelabrum hîc spectari, quàm illud in Exodo descriptum, quia Zacharianum, Symbolicum, & in visione ostensum fuit, ut hæc nostra: descriptum vero à Mose in libro Exodi, solidum & verè sensibile. Sunt ergo hæc Candelabra septem, totidem Ecclesiarum Imagines. Sanè cum unaquæque Ecclesia sit ex S. Cypriano Epist. lxix. *Sacerdotis Plebs adunata, & Pastori suo Grex adhærens*, quæ imago ejus expressior fingi potest quàm Candelabrum sivè Lychnuchus cujus medium hastile unam majorem suprà cæteras eminentem habeat lampadem, quam ab utroque latere dextro, & sinistro tres hinc inde aliæ minores, totidem incurvis elatæ calamis, circumstent lampades; quæ à dextris sunt, Presbyteros, Diaconos, Clericos designant: quæ à sinistris, Laicos Sexûs utriusque. Unaquæque lampas lumen habet, quo baptismus indicatur, φῶς Antiquis & *Lux* dictus, unde *illuminati*, φωτισθέντες Hebr. vi. 4. & x. 32. passim intelliguntur Baptizati. Oleum item habet; quo significatur unctio Chrismatis quæ Baptizatis ab Episcopo per Confirmationis Sacramentum ministratur. Radicatur autem unaquæque lampas trunco Lychnuchi, ut Fidelis unusquisque suo inhæret Episcopo. Graphica ergo cujusque singularis Ecclesiæ effigies tali candelabro inest. Nisi quispiam autumet: malè comprehendi Ecclesiæ Symbolo Episcopum, seorsim designatum Angeli nomine, & Symbolo ipsi proprio Stellæ. At facilè submovetur ista exceptio. Nihil enim prohibet bis pro statu duplici rem eandem pingi variè. Consideratur Episcopus primùm, ut à Deo missus, & à manu mittentis exiens. Sic ei convenit, & Angeli nomen, & Stellæ Symbolum: idem autem ut suæ caput Ecclesiæ, & cum Grege suo corpus unum faciens, utique in Ecclesiâ censetur, cujus princeps membrum est.

CAPUT II.

Et Angelo Epheſi, &c.

Compendifaciemus deinceps moram deſcribendi bis totius continuè capitis Libri quem expoſitum imus. Satis enim videtur totum ejus ordine contextum per partes, & verba ſingula, ſubjectâ ſuâ cuique enarratione, prout ſummâ fide facimus, exhiberi deinceps à nobis.

℣. 1 Et Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe.

CUM ex Baronio Timotheus Pauli Diſcipulus ab Anno Chriſti 57. ad 110. Epheſinam Epiſcopi officio rexerit Eccleſiam, deeſſe non poteſt quin hæc ſcribente Joanne ſub finem Imperii Domitiani, hoc eſt circiter annum Chriſti 97. is fuerit Epiſcopus Epheſinus, cui hæc inſcribitur Epiſtola. Sin autem is priùs deceſſerat, oporteret hunc eſſe Oneſimum quem ei conſtat immediatè ſucceſſiſſe.

Hæc dicit qui tenet ſeptem Stellas in dexterâ ſuâ, & ambulat in medio ſeptem Candelabrorum aureorum.

Chriſtus univerſos Epiſcopos, & ſubjectas unicuique ipſorum Eccleſias, univerſaliter curat, tum per ſe, tum per ſuum univerſalem Vicarium Romanum Epiſcopum Petri ſucceſſorem. Habent etiam per gradus aliqui curam ſuperiorem aliorum Epiſcoporum, & Eccleſiarum, ut Archiepiſcopi ſuffraganeorum ſuorum, & ſubjectarum his Plebium; primates quoque ac Patriarchæ, juxta olim inſtitutum Hierarchicum ordinem. Talis erat Archiepiſcopus Epheſi Metropolis Aſiæ, jus habens ordinandi Epiſcopos, ſibi ut Archiepiſcopo ſubjectarum Sedium, quæ cauſa Paulo fuit in utraque ad Timotheum Epiſtolâ multa illi præcipiendi circà delectum ordinandorum Epiſcoporum. Sanè inter Eccleſias majores, quibus minores aliæ ſubiicerentur, Tertullianus de Præſcript. cap. xxxvi. Epheſinam numerat. Hæc peculiaris Chriſto cauſa eſt ad Epheſinum Metropolitam, & Primatem Epiſtolam dictanti, eam in ipſo titulo ſuam commemorandi poteſtatem, in quâ eum ſibi aliquatenus ſimilem feciſſet, ejus partem quamdam ipſi communicando.

℣. 2 Scio opera tua.

Sciendi verbum hîc approbationis, & commendationis habet emphasim, ut ex contrario intelligitur in illis Christi verbis Luc. XIII. 27. *Nescio vos unde sitis: discedite à me operarii iniquitatis.*

Et patientiam.

Opera, hoc est, functiones Apostolicas, sacrificandi, Sacramenta ministrandi, quæ uno generico *boni operis* nomine colligens Paulus, Episcopatum *bonum opus* appellat I. Timoth. III. 1. rectè hic cum patientiâ junguntur, sine quâ exerceri, ut oportet, nequeunt. Nam si, ut Physici ajunt, Omne agens agendo repatitur, morum quoque observatio, & usus experientiæ demonstrat, omnem qui benè agit, malè vicissim pati: præsertim cum ex officio austera morbis animorum adhibet remedia, quod agentem, dum gladium Spiritus vibrat, clypeo patientiæ tectum esse oportet, ne pateat vulneri. Paulus Timotheo II. IV. 2. *argue, obsecra, increpa in omni patientia.*

Et quia non potes sustinere malos; & tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & inveniisti eos mendaces.

Vocatos Epheso Miletum Ministros Evangelii admonuerat Paulus Act. XX. 29. *Scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes Gregi: & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Id Apostoli vaticinium cum fuisset impletum, Timotheus pro suo munere fecit quod hîc dicitur: tentavit an veri essent Apostoli: & non tales deprehensos sustinere haud valens, conatus est pellere. Meminit Pseudo-Apostolorum ejus generis Paulus II. ad Cor. XI. 13.

℣. 3 Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.

Laudatus anteà Timotheus, quod non posset *sustinere* βαστάσαι malos: hic etiam Laudatur, quod & potuerit sustinere, & revera per patientiam sustinuerit ἐβάστασε portaverit mala, hoc est incommoda, & molestias quæ ab Episcopali officio, presertim persecutionum tempore, inseparabilia sunt. Ultima verba: *& non defecisti*, emphasim habent quamdam longi temporis, cujus diuturnitate perseverantia commendabilior redderetur. sanè cum Timotheum constet, jam ab anno Christi LVII. factum Episcopum Ephesinum: tunc cum hæc scribebantur circiter an. XCVII. quadraginta fermè annos in Episcopali transegerat officio.

℣. 4 Sed habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti.

Libenter suspicor cum Arethâ, in hunc locum, non hic agi de caritate in Deum,

Deum, in quâ non refrixisse Timotheum facilè suadeant laudes illi modò datæ; sed ergà proximum, quæ non minus, imo forte magis proprie significari potest voce ἀγάπη, hîc in Græco positâ, ut possit intelligi, tantum aut intermisisse, aut minuisse largitiones in pauperes quas antea liberalius exercuisset.

℣. 5 Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.

Quod excitatur hic Episcopus ad memoriam, signum est fuisse culpam cujus arguitur ejus generis quod vocant μνημονικὰ σφάλματα, *lapsûs, non deliberatæ malitiæ*, sed per ἀπροσεξίαν, *imprudentiam* aut inadvertentiam conscîti. Quales tamen accuratâ expiare pœnitentiâ Sanctos oportet: in Ecclesiâ suâ, Christus nullam residere labem, quantumvis minimam, patitur, vide Paulum Ephes v. 27. Postrema illa verba: *Et prima opera fac.* καὶ τὰ πρῶτα ἔργα ποίησον confirmant ni fallor, conjecturam priùs positam, quâ post Aretham opinabar, peccasse Timotheum per omissionem aut diminutionem Eleemosynarum quas anteà cum laude, & approbatione Dei Hominumque largiùs aut crebriùs exercuisset. Sanè vocabulum opus, & ἔργον in utraque linguâ frequentiùs usu Ecclesiastico adhibetur ad pias largitiones in Egenos indicandas. Vnde illas resumi frequentarique ut priùs, à Pœnitente post admonitionem Timotheo Christus hîc præcipit.

Sin autem, venio tibi.

Rectè in his comminationem mortis passim Interpretes agnoscunt. Phrasis est Evangelica, quâ mors naturalis indicatur per adventum Christi. Præstò est enim omni morienti, Judex Christus, cui Pater, ipse non judicans quemquam, omne judicium dedit, Joan. v. 22. Itaque illa sæpius in Evangeliis iterata: *quâ horâ non putatis filius hominis veniet*, mortem cujusque naturalem, & subeundum in eâ Christi Judicis examen, & arbitrium, indicant. Dixi *mortem naturalem*, ut eam distinguam à Martyrio; quo qui consummantur, ire ultrò ad Christum dicuntur: non autem expectare, ut Christus ad ipsos veniat. Hic altior sensus est verborum illorum Joan. VI. 37. *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Quandam etiam hujus rei emphasim habent illa Pauli I. Thessalon IV. 16. 17. *Mortui qui in Christo sunt* (hoc est, Martyres juxta dicenda infra ad v. 14. capitis XIV.) *resurgent primi, deinde nos qui vivimus qui relinquimur.* Hoc est, reliqui Fideles qui in vitâ relinquuntur per mortem naturalem consummandi.

Et movebo Candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

In Candelabro quod Ecclesiam repræsentat, ut diximus medium ha-

ſtile cum huic ſuperpoſito majori, & luculentiori lychno ſignabat Epiſcopum: quo moriente, & Epiſcopatum vacuum linquente, movebatur *Candelabrum*, hoc eſt prima & præcipua Candelabri pars, *de loco ſuo*: in quem prioris deceſſu vacantem, novus ſuffectus ſuccedebat. Iteratur ergo in his comminatio mortis, niſi egerit pœnitentiam qui monetur, nec mirum intentari mortem in pœnam delicti non graviſſimi: ſeverius enim eſt Dei forum quam humanum; quippe in quo, *qui iraſcitur fratri ſuo reus eſt judicio: & qui dicit ei raca, reus Concilio* Mat. v. 22. judicium autem, & concilium, ut explico in Spicilegio §. xxii. Tribunalia erant ad mortem damnantia. 1. Cor. iv. 4. Paulus dicit: *Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me Dominus eſt.* Qui nimirum longè accuratiùs explorat vitam Prælatorum quàm aliorum, & diſtrictiùs vindicat, Num. xx. 12. Clericorum quàm Laicorum 1. Petr. iv. 17. Ezechiel. ix. 6. Iſai, xxix. 1. Chriſtianorum quam Ethnicorum Sophoniæ 1. 12.

℣. 6 Sed hoc habes quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

Hunc locum recitans Epiphanius in Hæreſi Nicolaitarum poſt ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις, addit, καλὸν hoc eſt: *ſed hoc habes boni.* At nullus id Codex authenticus recipit: & eſt merum gloſſema privati doctoris. Illud *hoc habes*, reſpicit culpam ob quam reprehenditur: & indicat occaſionem reprehenſo, & prætextum fuiſſe in illam labendi, odium quo averſabatur Nicolaitarum facta. Nec difficile excogitatu eſt, quomodo potuerit in tranſverſum abripi Timotheus ſtudio alioqui bono improbandi Nicolaitarum Acta. Forte iſti ejus imitatione quem Autorem ſuæ Sectæ credi volebant: & quem omnes ſcirent præfectum ab Apoſtolis fuiſſe viduis paſcendis, affectabant largitiones in viduas; eo animo ut eas deinde faciliùs ſuis corruptelis inficerent. Quod Deo inviſum reddebat iſtud erogationum inſidioſarum genus, nec iis odio habendis Timotheus errabat; utique Deum imitans: ſed in hoc lapſus eſt, quod ne ſimilis Nicolaïtis videretur, quas antea ſolebat egentibus Eleemoſynas largè ſpargere, reſtrinxerit.

℣. 7 Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Excitatio hæc attentionis eſt generaliter omnes hujus libri Lectores, & omnes per orbem Eccleſias ſpectans: monens illos ut animum intendant ad percipiendum aliquid latens in ſententiâ mox exponendâ: iſtas ut ſibi applicent quæ de Epheſino Epiſcopo hic dicuntur; & Profectum proprium ex alieno exemplo captare ſtudeant. Vbi obſervandum: in his ſeptem Eccleſiis Aſiæ univerſas omnium & locorum & temporum Catholicas Eccleſias ſalubriter inſtrui. Quod his ſuggeſtarum admonitionum uſus in multas quadrare alias pariter queat. Unde ſeptenario numero univerſitatem omnium

Orbis Ecclesiarum comprehensam hoc loco, argutè docet S. Eucherius in libr. I. Regum : *Hic totum*, inquiens, *quod prophetabatur eluxit ; agnoscentibus, numerum septenarium, quo est universæ Ecclesiæ significata perfectio. Propter quod & Joannes Apostolus ad septem scribit Ecclesias ; eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere.*

Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in Paradiso Dei mei.

In hâc sententiâ est arcana allusio ad nomen Urbis Ephesi, cujus Episcopo hæc inscribitur Epistola. Reliquis quoque Epistolis similes allusiunculæ velut pro sigillo apponuntur, ut videbimus. Hic de genere hoc toto universim præmittimus : factum id videri ex more quadam necessitate inducto per conditionem temporum illorum, quibus cum Principes & Magistratus penè ubique infesti Christianis essent, quæ Episcopis aut Ecclesijs de rebus religionem spectantibus litteræ darentur, eas tali scribi cautione oportebat, ut si, quod erat proclive, in manus infidelium inciderent, intelligi ab his non posset ad quos essent datæ : cum tamen illi eas accipientes, certo illic, quamquam obscuro, charactere se nominatim signatos possent agnoscere. Id, quidquid sit de aliis Apostolis & locis, appareret certè à Joanne in Asiâ, ubi plurimùm vixit, factitatum. Et enim è Canonicis ejus tribus quas habemus, prima nullam inscriptionem habet. Secunda *Electæ Dominæ* inscribitur, hoc est, Ecclesiæ alicui, quæ ubiesset, & quî vocaretur, sciebat cui Epistola commissa esset perferenda. Tertia denique Cajo mittitur, quod est nomen exempli gratia usurpari solitum, ut constat ex formulis juris in quibus Cajus, & Titius verorum nominum vice ponuntur. Atque haud scio an non hujus antiqui moris occultandi vera nomina arcanis notis, propagatio videri quædam debeat artificium Formatarum litterarum, quarum ingeniosâ contesseratione totum olim inter Fideles Ecclesiasticæ communionis commercium exercebatur. In iis enim Epistolis per Græcorum numerorum notas nomina trium Personarum Trinitatis, nomen præterea S. Petri & particula, Amen : insuperque scribentis, tum ejus ad quem scribebatur ; deinde illius pro quo scribebatur ; postremo Civitatis unde scribebatur vocabula indicabantur : addito numero currentis indictionis : & summa totâ sub Epistolæ calcem expressâ. Sed jam extrahenda in lucem est delitescens in his verbis quàm dixi allusio ad nomen urbis Ephesi, ἔφεσις Græcè *desiderium* sonat. Solent porrò Hebræi objecta sensuum vehementer pellacia, desideria vocare. Ita Ecclesiastici XLV. 14. fulgentissimus nitor è gemmis & cætero speciosissimo splendidissimarum textu rerum efloreſcens in Thiarâ & Corona Aaronis, exprimitur vocabulo *desiderii oculorum*. Quo eodem aut simili loquendi modo utitur Ezechiël XIV. 16. XXIV. 21. & 25. Sæpiùs tamen id usurpatur in cibis, quorum odor aut species oblata impotentius irritat Animalium gulam. Ita Daniel X. 3.

Panis (quo vocabulo cibus omnis ab Hebræis exprimitur non rârò) quasi proprio adjuncto desiderabilis vocatur: pro quo in Chaldæis Originibus legitur לחם חמדות *Lechem Chamudoth* Panis desideriorum. Hinc Joannes ipse hic noster infra hujus cap. XVIII. 14. meminit *Pomorum desiderii animæ* his verbis designans fructus speciosissimos, qui visu primo ingentem sui cupiditatem moverent. Tale fuit sine dubio pomum illud fatale cujus concupiscentia aspectu provocata Evam, accedente serpentis consilio, perpulit ad illud, contra Dei præceptum gustandum Gen. III.6. multò aulem magis conveniebat id nomen Pomo ligni vitæ Gen. II. 10. Arboris videlicet omnium præstantissimæ, cujus fructus immortalitatem vescenti conferret. Quare is jure inter omnes optimo καρπὸς ἐρέσεως haud dubie dicendus sit. Est enim ἔρεσις, ut peculiariter Hesychius explicat ἐπιθυμία, ὄρεξις, desiderium vehemens cibi gulæ arridentis. En quo artificio innuatur hoc loco urbis Ephesi nomen.

℣. 8 Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ Ecclesiæ scribe.

An hic fuerit S. Polycarpus, inquirere obiter tanti est. Referunt Smyrnenses in Epistolâ ad Ecclesias Ponti scriptâ quam Historiæ Eusebius inserunt lib. IV. cap. XV. dixisse Polycarpum paulò ante quam moreretur, Proconsuli suadenti, ut Christo malediceret: ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δεδούλευκά αὐτῷ καὶ οὐδέν με ἠδίκησε. καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου *Octoginta & sex annos illi servio; & nihil unquam mihi nocuit, & quomodo possum maledicere Regi meo?* Erat hic annus quo passus est Polycarpus ex chronologiâ Petavii, Christi 167. à quo si retrò sex & octoginta numerentur anni, devenietur ad annum Æræ Christianæ 81. quo se Christo cepisse servire ipse qui scire unus optimè potuit, testatur Polycarpus. Scripta porrò ad Episcopum Smyrnensem hæc Epistola est anno Christi 95. quo editam Apocalypsim idem Petavius censet. Intercedunt ergo à conversione Polycarpi ad scriptionem hujus Epistolæ anni solùm quatuordecim: exiguum, ni fallor, spatium ad ea capienda quæ Pionius perantiquus, & fide dignissimus scriptor, à nostris Bollando, & Henschenio in ipsorum Januario editus, egisse Polycarpum ante Episcopatum Smyrnensem narrat. Ait primo, Bucolo Smyrnæ Ediscopatum gerente, adductum Smyrnam ex Oriente Polycarpum adhuc puerum, venalem, quem dives, proba & Christiana Matrona Smyrnæ habitans, Calisto nomine, Angeli monitu emit; *Domum duxit, & gaudebat, honestè illum educans, & cœlesti erudiens disciplinâ*, (verba sunt Pionij cap. I. num. 3.) Hæc videtur esse Epocha principij servitutis Christo à Polycarpo exhibitæ, à qua ad diem mortis annos is 86. numerabat. Pergit autem Pionius multa de Polycarpi adolescentiâ in Callistûs domo sanctè obitâ dicere: tum ejus adoptione in filium per Callisto factâ; de que ipsi in solidum relictâ matris adoptivæ morientis hereditate: in eâ fortunâ de rectis in juventute studiis, ac moribus, de electo sponte pòst de-

liberationem de eo habitam, cœlibatu eum jam ad virilitatem perveniſſet. Adjunxit cap. III. probatum longâ vitæ innocentiâ, divinis quoque comprobatâ miraculis, Polycarpum à Bucolo Epiſcopo ordinatum fuiſſe Diaconum in eoque gradu ritè, ac laudabiliter miniſtraſſe. Addit cap. IV. *Cæterùm cum in dies ætate proveheretur, ut jam ſenii prænuncia florere canities, atque albi in temporibus florere capilli cepiſſent. Cernens Bucolus, & maturam, Policarpo eſſe ætatem, maturiorem quàm pro numero annorum compoſitionem vitæ totius. Eum Presbyterum ordinavit, &c.* Attexit his multa longo, ut indicat, tempore à Polycarpo in Presbyteri functione geſta: tum demum capite v. ſic ſcribit: *Cum longum pietatis ſtadium percurriſſet Bucolus, ac ſæpè numera edoctus eſſet cœlitùs qualem eſſet ſucceſſorem habiturus, ita deceſſit, ut imminente jam morte Polycarpi manum caperet, &c.* Quomodo eum ſibi ſucceſſorem deſignaverit, refert, ac poſt mortem, & ſepulturam Bucoli rite electum, & conſecratum Smyrnenſem Epiſcopum Polycarpum narrat. Quæ qui attentè reputaverit, næ is, niſi valde fallor, haud ferè minus annis triginta interceſſiſſe à primâ Polycarpi converſione ad Chriſtum ad ejus promotionem in Epiſcopatum, judicabit. Quare aſſentiri non poſſum viris doctiſſimis, quaſi certum, aut ſaltem veriſimillimum habentibus, Angelum Smyrnæ, ad quem hæc Epiſtola dirigitur, fuiſſe Polycarpum. Fuerit igitur deceſſor Bucolus; & ipſe vir Apoſtolicus, & Sanctus, cujus memoria Eccleſiaſticis faſtis conſecrata extat die Februarij ſexto.

Hæc dicit primus & noviſſimus: qui fuit mortuus, & vivit. Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam.

De tribulatione, prona conjectura eſt, Hominem qui ſanctè multis annis Epiſcopatum Smyrnæ geſſerit, ubi & Magiſtratus Ethnici multi degerent, & non pauci Judæi Chriſto infenſiſſimi, uti ex Encyclicâ Smyrnenſis Eccleſiæ paulò ante laudatâ conſtat, non potuiſſe perſecutionibus carere de paupertate habemus diſtinctum indicium à ſupra memorato Pionio: ubi negat à Polycarpo poſt Calliſtùs obitum ante Diaconatum locuplete, & in largitiones effuſiſſimo, Bucolum quoque ſuum Epiſcopum eximiè colente, ac tenerè amante, umquam hunc voluiſſe quidquam accipere.

Sed dives es.

Sunt divitiæ bonorum operum, quarum meminit Paulus I. ad Timoth. VI. 18. his dives erat Bucolus.

Et blasphemaris ab his qui ſe dicunt Judæos, & non ſunt.

Judæi Smyrnæ degentes obtrectabant Bucolo, gloriantes illi quidem Judæorum nomine, quaſi certo pignore Religionis veræ: ſed neſcientes ſe illo dudum excidiſſe, ex quo luce oblatâ per Chriſtum, rejectâ, tenebris

ſe ſuæ cœcitatis involverunt, obſtinatiſſimè rebelles lumini. *Non enim* (ait Paulus Rom. II. 28.) *qui in manifeſto Iudæus eſt; neque quæ in manifeſto in carne eſt, circumciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus eſt; & circumciſio cordis in ſpiritu: non literâ.* Etenim ut idem habet cup. IX. 6. ejuſd. Ep. *Non omnes qui ex Iſraël, ii ſunt Iſraëlitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen; id eſt, non qui Filii carnis, hi Filii Dei, ſed qui Filii ſunt promiſſionis æſtimantur in Semine.*

Sed ſunt Synagoga Satanæ.

Ut pote quorum ſimilibus Chriſtus dixerit: *vos ex Patre Diabolo eſtis.* Ioan. VIII. 44.

℣. 10 Nihil horum timeas quæ paſſurus es. Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem: & habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Si hæc ad Polycarpum ſcriberentur, non prædiceretur ipſi ſolùm incarceratio quorumdam è Smyrnenſi Eccleſiâ, & tribulatio dierum paucorum, qualia pati Bucolum, & ei creditum Gregem contigit ſub Trajano: prout his futurum præmonetur, *Sed dura verbera flagellorum, craticulas, eculeos, laminas, gladium, & crepitantium tormenta flammarum, cum fluente utriuſque lateris cruore patefactis vitalibus omnia apparerent interna membrorum*: quæ ſuos Martyres paſſos Imperantibus Marco Aurelio vero, & Lucio filiis & ſucceſſoribus Marci Antonini Pii, Smyrnenſes totidem hic deſcriptis verbis referunt, in antiquâ verſione Latinâ Epiſtolæ ſuperiùs laudatæ quam primi ediderunt ex vetuſtis Codicibus M. S. Audomarenſi, Trevirenſi, & Burgundico, noſtri Bollandus, & Henſchenius Tom. II. Ianuarii Pag. 705. His ergo confirmatur priùs expoſita noſtra ſententia: hunc Smyrnæ Angelum fuiſſe affirmans Bucolum: cui ex ſupra laudato Pionio, mors non ex tormentis, ſed in lectulo reſervatur, ſorte pari cum Ioanne Apoſtolo: cui Chriſtus ſignificaverat verbis ab ipſo recitatis Evangelii cap. XXI. 22. *velle ſe illum ſic manere donec ipſe veniret* hoc eſt, morte naturali non violenta ex hoc ſæculo exire, contra quam de Petro decreverat, ad moriendum in cruce deſtinato: cui propterea ibi Chriſtus dicit: *tu me ſequere*: hoc eſt ad me ultrò veni, quod qui occumbebant Martyrio facere dicebantur, ut ſuperiùs annotavimus ad verſ. hujus cap. 5.

℣. 11 Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Eccleſijs: qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.

In his eſt ſolemnis alluſio ad nomen Civitatis cujus Angelo ſcribitur, Smyrna dictæ: cui cognominis myrrha eſt, Græcè σμύρνη Smyrna dicta.

Hujus autem aromatis notissima cunctis propria virtus est in prohibendo ne cadavera illo delibuta diffluant, & contabescant. quod hîc vocatur *mors secunda*. Nam quamdiù, exhalatâ licet animâ, corpus speciem, & soliditatem retinet suam, nou videtur prorsus destructum animal: & mortis quoddam quasi secundæ genus est, illud in cinerem aut vaporem solvi. Porrò hîc allegoria quidem ludit in corruptione cadaveris impediri solitâ per unctionem myrrhæ, eleganter hic signatâ per *læsionem mortis secundæ*: quia prima mors corporis est ejus ab animâ separatio: Secunda, resolutio in pulverem: sensus autem verus spectat, addictionem animæ à carne sejunctæ ad ignem tartari, hîc obscurè designatam nomine *mortis secundæ*: à quâ, ut corpus à corruptione per myrrham, sic anima per victoriam liberatur. *qui vicerit, non lædetur à morte secundâ.* Quæ est autem hæc victoria, nisi quam alibi Joannes idem memorat: *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra.* 1. Joan. v. 4. Fides autem, ut Theologi loquuntur caritate formata, & cum habituali gratiâ conjuncta, quâ qui ut vers. superiori dicitur, *fidelis* fuerit *usque ad mortem* primam corporis, non lædetur à morte secunda Animæ. Si quidem prima mors animæ est eius à Deo separatio per consensum liberum in peccatum Lethale, secunda mors, est ejusdem Animæ ad pœnas æternas damnatio irrevocabilis. Unde inferius cap. xx. 14. legitur. *missi sunt in stagnum ignis: hæc est mors secunda.*

℣. 12 Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utraque parte acutam.

Quis hic fuerit Antipæ successor in Episcopatu pergameno nemo, quod sciam, prodit: veteri memoriâ silente. De Romphæa utrimque acutâ ex Christi ore prodeunte, dictum ad cap. I. v. 16. ubi vocem utrobique eandem Græcam vulgatus noster *gladium* interpretatur.

℣. 13 Scio ubi habitas ubi sedes est Satanæ.

Non solum *sedes Satanæ* Pergamus dicitur quod Idolis esset dedita supra omnes Asiæ Civitates; ut ait ad hunc locum Aretas: sed præcipuè quòd ibi Diabolus sub nomine Æsculapii, quasi præsens, & vivens regnaret in serpente palám ostenso, & ingenti undecumque concursu adorari solito. Statius lib. III. Sylvarum de Pergamo ait:

Vbi maximus ægris
Auxiliator adest: & festinantia sistens
Fata, salutifero mitis Deus incubat angui.

Eandem urbem ex omnibus ab Æsculapio electam in quâ resideret, ait Aristides in Orat. de ejus puteo, ὃ ἐξ ἁπάντων χωρίων ἥιλετο ὁ θεὸς καὶ ὃ ταῖς εὐεργεσίαις ταῖς παρ' αὐτοῦ πεποίηκεν ἁπάντων ἐκφανέστατα.

Quem ex omnibus locum elegit Deus (Æſculapius, quem quaſi per excellentiam abſolutè Deum præmiſſo articulo nominat) *Et quem beneficiis curationum illic à ſe conceſſis, omnium illuſtriſſimum effecit.*

Et tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Et in diebus illis Antipas teſtus meus fidelis qui occiſus eſt apud vos, ubi Satanas habitat.

Exaggerat laudem conſtantiæ ejus in fide profitendâ ex furore perſecutorum illic rabioſiùs quàm uſpiam alibi bacchantium; prout apparuit in Martyrio Antipæ, quem menologium Græcorum, & Romanum Martyrologium III. Idus April. ſub Domitiano conjectum in Taurum candentem conſummaſſe Martyrum ajunt: quod fuſius explicant acta vetera à Bollando & Henſchenio edita in quibus eſt: fuiſſe illic Antipam concurſu plebis concitatæ raptum ad Templum Dianæ, *ubi erat ſtatua bovis ænei* (verba ſunt illius antiqui ſcriptoris) *quem igne ſuccenſo multo ante inflammarant: in hunc Beatum Martyrem conjecerunt, &c.* Ridiculè recens Heterodoxus ſcriptor hujus antiquæ Traditionis fidem elevat ex eo quod legibus Romanis non permitterentur ejuſmodi cruciamenta Reorum: quaſi odium Gentilium in Chriſtianos, & præſertim furentis cæcâ ſuperſtitione Plebis, ſe intra legum fines ſemper continuerit.

℣. 14 Sed habeo adverſum te pauca: quia habes illic tenentes Doctrinam Balaam: qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere, & fornicari.

℣, 15 Ita habes, & tu tenentes Doctrinam Nicolaitarum.

De Balaamo quod dicitur, ſat notum eſt ex libro Numerorum: uti & de turpiſſimâ Nicolaitarum Doctrina abundè conſtat ex Epiphanio in confutatione illius Hæreſis. Hîc quando iterùm incidit horum mentio, placet breviter diſquirere an Pſeudonymi ſint: hoc eſt, an falsò ſuorum dogmatum autorem jactaverint Nicolaum illum Act. VI. memoratum unum è ſeptem primis Diaconis. Accuſat ſanè Nicolaum Epiphanius, referens eum, ubi Diaconus creatus, ab uxore quam priùs duxerat, ſegregatus aliquamdiù vixiſſet, rediiſſe ad eam cupiditate victum, eamque ob cauſam reprehenſum, dogma impuriſſimum excogitaſſe. Epiphanio id perſuaſiſſe potuerant paria Sentientes, Irenæus lib. I. cap. XXVII. & Tertullianus de Præſcript. quos ſecuti ſunt Hilarius in Matthæi XXV. & Hieronymus Epiſt. I. & XLVIII. Veriſimillius eſt tamen, Nicolaum perſeveraſſe in Doctrinâ Sanâ: & temerè ac ſine juſtâ ratione nomen ejus ab iſtis fuiſſe diffamatum Hæreticis. Id enim teſtatur antiquiſſimus ſcriptor Ignatius Antiochenus Patriarcha, & Martyr, dum Epiſt. ad Trallianos, & iterùm Ep. ad Philadelphienſes, Nicolaitas

Nicolaitas falso nomine sic dictos fuisse ait, quod idem habetur apud Clementem Romanum VI. Constit. cap. VIII. Sed omnium disertissimè perorat Nicolai defensionem Clemens Alexandrinus lib. II. Stromatum Pag. 411. Editionis postremæ Parisiensis & fusiùs lib. III. Pag. 416. quibus in locis affirmat: Nicolaum virum fuisse probatissimum in Ecclesiæ communione, & sanctitatis opinione mortuum. Cujus filiæ ante Diaconatum ab eo genitæ, Virgines summâ in laude consenuerint, Filius etiam incorruptus vixerit. Cæterùm ipse Nicolaus, quod in ore haberet, abutendum esse carne, significare eo dicto volens, severè imperandum cupiditatibus esse, naturamque, labore & ærumnâ subigendam: id nebulones impurissimi, planè contrariam in sententiam rapuerunt: quasi sensus esset istius effati: indulgendum esse libidini. Fortéque accidit quiddam unde confirmari visa est hæc prava suspicio. Cum enim delatus ad Apostolos Nicolaus jam Diaconus fuisset, quasi zelotypiâ captus, parùm probaret consuetudinem osculorum sanctorum in Ecclesiæ cœtibus receptam, cujus Paulus sæpe meminit, eam ille calumniam, ut purgaret, uxorem coram Apostolis in medium produxit, & hyperbolica permissione usus dixit: si quis eam vellet ducere, se quidem non repugnare, quo facto declarabat: se, qui semel Christi causâ uxori renunciasset per professionem vitæ cœlibis in diaconatu susceptam, planè ipsam alienam à se velle, quoad indissolubilis matrimonii nexus sineret. Id tamen aliorsum interpretati Hæretici, passim divulgarunt: Nicolaum voluisse prostituere uxorem suam. Atque adeò se, quæ paria dicerent ac facerent à Nicolao didicisse. Hæc & plura Clemens, quæ placuerunt Eusebio Hist. lib. 3. cap. 23. Theodoreto lib. 3. Hereticarum Fabularum. Nicephoro lib. 3. cap. 15. confirmanturque eadem ex eo quod Hyppolitus lib. de 70. Discipulis, & Dorotheus in Synopsi testantur: Nicolaum ex Diacono fuisse ab Apostolis ordinatum Episcopum Samaritanorum.

℣ 16. Similiter pœnitentiam age.

Neglectæ vigiliæ, aut remissæ contentionis in istis Hæreticis clàm obrepentibus detegendis, & arguendis.

Si quo minus, veniam tibi citò.

Pro, *si quo minus* in Græco est εἰ δὲ μή, *nisi quod dico feceris*. Sequentia videntur minari mortem temporalem, quâ, cum citrà martyrium evenit, Christus venire ad homines dicitur, ut superiùs declaratum est.

Et pugnabo cum illis in gladio oris mei.

Substituam loco tui qui melius & efficacius utatur in iis revincendis verbo Dei per gladium ex ore meo prodeuntem signati. Non enim per se immediatè, sensibiliter Pergami apparendo putandum est se convicturum Nico-

laitarum errores Christum polliceri : sed per homines Apostolicos à se illùc mittendos.

℣ 17. Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo manna absconditum : & dabo illi calculum candidum.

Insuspicabilior quàm ullius aliarum sex, hujus Epistolæ in his sine dubio verbis latet allusio ad Civitatis nomen. Quæ de illâ, implorato Dei lumine, diù meditato mihi tandem sederit sententia dum refero, faventiorem Auditoris & Lectoris, quam egens posco, adesse attentionem velim collectam compendio rei summam propenam, inde dubitabilia firmare probationibus conabor. Existimo calculum candidum hîc Vincenti promissum, esse quadrum, aut tesseram, Chartæ Pergamenæ, sive membranæ ; in quâ scriptus sit certus numerus modiorum tritici Olimpionicæ in Victoriæ præmium è fisco annis suppeditandus singulis in omne vitæ tempus decretus, adeò ut in tali arcanâ notione vocis *calculus* chartam pergamenam occultè signante agnoscendus sit respectus ad urbem Pergamum cujus Episcopo hæc Epistola inscribitur.

Conjecturæ & argumenta quibus ista mea innititur opinio deinceps audiantur.

I. Apparret ex vocabulo, *Vincenti*, sumi hoc loco imaginem allegoriæ è re, tum cum hæc à Joanne scriberentur, in iis locis notissimâ, & celebratissimâ, Ludis olympicis, qui quolibet quadriennio in Elide, concursu maximo, non finitimarum modò, sed longinquarum etiam Gentium, agebantur. In iis qui Athletæ judicio Præsidum palmam clarè meruissent, præterquàm statim coronabantur, moxque pompâ triumphali in urbes ipsorum Patrias per mœnium, eâ de causâ ruptorum hiatus invehebantur, accipebant in tesserâ ritè obsignatâ sponsionem certi numeri frumenti, cæteræque annonæ, ipsis in annos singulos dum viverent è publico pendendæ. Docet hoc inter alios Vitruvius gravis autor, & antiquus. Opus enim suum Librorum x. de Architectura Augusto Cæsari dicavit. Sic autem is scribit in Præfatione libri ix. *Nobilibus Athletis qui Olympia, Pythia Nemea vicissent, Græcorum Majores ita magnos honores constituerunt, uti non modò in conventu stantes cum palmâ, & coronâ ferant laudes, sed etiam cum revertantur in suas civitates cum victoriâ triumphantes quadrigis in mœnia & patrias invehantur, è Reque publicâ, perpetuâ vitâ constitutis vectigalibus fruantur.* Ita ille qui quoniam innuit tantùm, distinctissimè non exprimens, ingressum in urbes per hiatum ruptorum mœnium, adjungo ei Suetonium hunc clariùs signantem. Sic ille scribit in Nerone cap. xxvi. *Reversus è Græciâ Neapolim, quod in eâ primum artem protulerat, albis equis introiit, disjectâ parte muri, ut mos Hieronica-*

rum est, &c. Quod idem, & Plutarchus atteſtatur. Hujus honoris, vel præcipuus fructus in hac per vitam rata, & indefectibiliter ſecurâ proviſione Annonæ meritò cenſebatur ſitus: per hanc enim perſonarum, & Domuum fortuna in melius provecta fundabatur: & ſplendor tranſiens gloriæ perenni utiliter ſanciebatur emolumento. *Iſelaſticum* hæc penſio vocabatur, ut intelligitur è Reſcripto Trajani ad Plinium, lib. x. Epiſtolarum hujus num. 120. quod nimirum, ut ibi conſtituitur, deberi tantum inciperet, *cum quis in civitatem ſuam ipſe* εἰσέλασεν (verba ſunt Trajani) *hoc eſt triumphali pompâ invectus eſſet.*

II. Hæc omnia puto in mente habuiſſe S. Joannem hæc ſcribentem: & per hæc Symbola voluiſſe adumbrare gloriam Animarum per corporum hiatus vi tormentorum, Chriſti, & fidei causâ toleratorum vulneribus apertos in cœleſtem Patriam introëuntium. Tot illa ſignātur vocabulo, *Vincenti*, calculus porrò qui tali mox dandus dicitur, eſt taxatio modi felicitatis, & gloriæ, vitæque fauſtiſſimæ cuique pro ratione meritorum in ævum omne fruendarum decreti. Victus autem ipſe ac cibus divinus quo beatæ ſaginantur Animæ, ſignatus ante fuerat aptiſſimo Symbolo Mannæ, panis nempè illius Angelici quo Iſraëlitæ annis 40. ſunt paſti poſt egreſſum ex Ægypto. Sed additur ephitheton *Abſconditi*, ut ex allegoriâ ad verum ſignificatum Symbolica dictio conferatur. Declareturque cibum inviſibilem quo Beatæ mentes utuntur incomparabiliter excedere dignitate, ac guſtûs delicijs far illud ſcabioſum, ut Perſius loquitur, frumentum inquam quod de publico Athletis victoribus dabatur.

III. Reſtat explicandum quomodo calculus candidus ſignificare poſſit teſſeram chartæ pergamenæ. Ad hoc intelligendum memoria repetatur: ſeriùs inventam artem præparandi adhibendique ad uſum ſcriptionis coria detracta ovibus aut capris mortuis. Id ab Eumene Phrygiæ Rege excogitatum, ex Varrone Plinius refert. En ejus verba Hiſt. Nat. lib. XIII. cap. XI. *Æmulatione circa Bibliothecas Regum Ptolemæi, & Eumenis ſupprimente Chartas Ptolemæo, Varro membranas Pergami tradidit repertas.* Frequentatas eaſdem, etiam ubi chartæ abundaret copia ob commoditatem ſoliditatis majorem, longioriſque durationis, ſpei perennitatis auſpicatiorem uſum, in hæc uſque tempora videmus; pleroſque Libros antiquiſſimos membranarum beneficio ſalvos perveniſſe ad noſtram ætatem utilitatemque, gratulantes, quos Papyrus, & charta Lintea minimè ſervaſſent. Quare Diplomata Principum & Monumenta quorum duratio quàm poſſet maximè diuturna optaretur, membranis potiſſimùm fuiſſe commiſſa cernuntur hodieque in ſuperſtitibus Archiis Eccleſiarum, Rerum publicarum, Domuumque magnarum. Permanſit quoque appellatio membranis Chartæ Pergamenæ, è Latinâ, quando obſolevit, linguâ in natas ex hujus corruptione vulgares traducta. Nam membrana Gallicè dicitur *Parchemin* hoc eſt pergamena, Hiſpanicè, *Pergamino*, antiquiori etiam italica, *Pergameno*: tametſi hodie vulgò *carta pecora* vocant. Imitatione ve-

rò Pergamenorum paratas alibi fuiſſe pelles pecudum ad ſcriptionum uſum ; res ipſa demonſtrat, cum membranis ad ſcribendum uſos homines in Italiâ, & alibi per Europam manifeſtum ſit : vixque fieri potuit, ut tanta vis membranarum Pergamo eveheretur : tamque facilem imitationem cum ſpe lucri conjunctam in re plurimi uſûs, indeque vendibili, Artificum ingenia negligerent. Eam artem factitatam Veliæ, quæ urbs olim fuit maritima Lucaniæ, pecoroſæ videlicet Provinciæ, fortaſſe duci quædam conjectura poſſet, ex eo quod lingua hodie Gallicâ ex Latinâ, ut dixi, corruptâ, macrocolum ex pelle ad pennam patiendam lævigatum, *Velinum* appellet, quod ſi huic fulciendæ ſuſpicioni teſtimonium requiratur, forſitan reperiri poſſet apud Perſium in illis verſibus Sat. v.

Libertate opus eſt. Non hâc ; ut quiſque velinâ
Publius emeruit ſcabioſum teſſerulâ far.

Scio, & gloſſas veteres, & recentiores Interpretes *Velinam* ibi Tribum Romanam intelligere. Tamen ad Syntaxis rationem id uſquequaque non quadrare, ipſe Caſaubonus oſtendit : aïens, ſi per M S. aliquem codicem liceret, libenter ſe ibi reſcripturum pro *velinâ*, *velinam*, ut emeruiſſe Tribum illam novum è ſervo Publium dicat Satiricus. Quantò aptiùs, ſine ullâ mutatione *velinâ* referretur *ad teſſerulâ*, ut adjunctum ad nomen, nec ſanè in hoc fuit adeò neceſſaria tribûs mentio, ut manumiſſio ſine illâ exprimi non poſſet. Egerit hic igitur Perſius de unâ earum quas Suetonius in Nerone cap. XII. memorat *frumentarias teſſeras*. Quadra videlicet Chartæ Pergamenæ in quibus eſſet ſcriptus modus tritici è publico capitatim admetiendi Civi Romano. Quæ ſicut à figurâ *teſſeræ*, ſic à loco ubi frequentiùs parabantur, velinæ ſint dictæ. Sed de hoc pro arbitrio quiſque cenſeat. Ad rem enim meam abundè eſt, membranam olim dictam Pergamenam chartam : ex quâ pronum creditu ſit, ſolitas confici teſſeras quæ Athletis victoribus in Græcia dabantur vi quarum è Fiſco annonam acciperent : quæque vel in largitionibus Imperatorum in Miſſilia ſpargerentur ad promiſcuam plebem, vel Romanis Civibus tenuioribus darentur, ſummam continentes frumenti publici, iis cum has exhiberent, gratis ſuppeditandi. Ex his ſatisfacio propoſitæ difficultati explicans quomodo potuerit Joannes *Calculum* vocare teſſeram chartæ pergamenæ. Inde hoc Aïo factum quod in primis, & antiquiſſimis illis commiſſionibus ludorum Olympicorum Iphito ſuperioribus : qui eos ludos non inſtituit, ſed ſtatos ex incertis fecit : in calculis candidis modus Annonæ Olympionicis decreti ſcriberetur : uſu forſitan Chartæ aut nondum tunc invento, aut adhuc raro : indeque chartis deinde in locum ad hoc calculorum ſubſtitutis, calculi ſervaretur appellatio. Sicut quia cum primis temporibus ſuffragia in deliberationibus aut electionibus dabantur, id fiebat calculis in urnam miſſis, inde contigit, ut ſuffragia quælibet quovis modo aut ſigno data *Calculi* vocen-

tur hodieque : ſicut quia quondam arculæ plerumque tornabantur è buxo πύξῳ raſili, arculæ dehinc omnes cujuslibet materiæ pyxides dicantur, etiam aureæ, & argenteæ. Denique ſicut quia olim in Libris arborum ſcribebatur, ſcripturæ poſtea *Libri* dicti ſunt : & quia papyri ægyptiæ multus olim uſus in ſcribendo fuit, chartæ hodie ex putridi lino compactæ, quâ paſſim utimur, papyri apud multas nationes vocabulum adhæret, nam Galli *papier*, Hiſpani *papel* vocant.

Et in calculo nomen novum ſcriptum quod nemo ſcit niſi qui accipit.

Nomen hîc, ut ſæpe in priſcis ſcriptoribus, debitum ſonat. Nam in teſſeris quæ dabantur victoribus Athletis ea ſcribebantur quorum præſtandorum ſe debitores Agonothetæ conſtituebant. Sicut & in ſimilibus teſſeris largitione Romanorum Cæſarum ſparſis in plebem. De quibus audi Suetonium in Nerone cap. XI. *Sparſa, & populo Miſſilia omnium rerum per omnes dies ſingula quotidie millia. Avium cujuſque generis multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, Aurum, Argentum, Gemmæ, Margaritæ, Tabulæ pictæ, Mancipia, Jumenta, atque etiam manſuetæ feræ : noviſſimè naves, Inſulæ, Agri.* Hæc ille in quibus facile quivis intelligit Miſſilia iſta non res ipſas fuiſſe hîc memoratas, ſed promiſſiones earum ſcripto expreſſas ſic oppigneratâ Principis fide ad eas poſcenti repræſentandas quo enim alio modo mancipia, Jumenta, Feræ manſuetæ, Inſulæ, Agri, jactari in Populum iſtis miſſilibus potuiſſent ? erant autem iſtæ chartæ obſignatæ quas reſignandi jus habebat ſolus ille cui obtigerant. Ideoque quid in illis promitteretur, nemo ſciebat præter ipſum. Huc illa verba ſpectant: *quod nemo ſcit niſi qui accipit.* Symbolo autem in rem tranſlato ſignificatur, dona ſpiritualia per hæc adumbrata, arcanum accipienti conferre animi fructum inſuſpicabilem cæteris, & uni ipſi beatâ experientiâ perſpectum.

℣. 18 Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe : Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes ejus ſimiles Aurichalco.

℣. 19 Novi opera tua, & fidem, & caritatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua noviſſima plura prioribus.

Quidam hunc ſuſpicantur fuiſſe Carpum, quem Romanum Martyrologium Idibus Aprilis (qui dies eſt ejus Martyrii) Epiſcopum Thyatirenſem fuiſſe ait. Sanè ſi Carpus hic idem eſt cum illo de quo agit S. Dyoniſius Areopagita Ep. VIII. quæ eſt ad Demophilum : quas de illo ibi prædicat laudes ſatis aptè congruunt cum iis quæ de ipſo hic ſcribuntur, Sed non

usquequaque favet locus. Nam Dionysius se hospitio exceptum ab eo in Insulâ Cypri memorat. Tempus quoque ægrè congruit, cum Martyrium ejus ad Marci Aurelii, & Lucii veri principatum conferatur. Unde oportuisset, si jam erat Thyatirensis Episcopus Carpus quando Joannes hæc scribebat, eum in isto Officio perseverasse ad annos inde supra sexaginta: quæ cum parùm verisimilia sint, præstat fateri nos nescire quis hic fuerit Thyatirensis Ecclesiæ Angelus.

V. 20 Sed habeo adversum te pauca, quia permittis mulierem Jesabel, quæ se dicit Propheten, docere, & seducere servos meos, fornicari, & manducare de Idolothytis.

Hugo Grotius hunc locum sic repræsentat è Græco ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα σου τὴν Ἰεσαβὲλ & addit: *sic & manuscriptus, & ita legerunt veteres omnes, qui hanc feminam fuisse putant Episcopi uxorem, dictam Jezabel.* Prælicenter producitur contextus adeò discrepans ab exemplaribus Vulgatis, ubi constanter legitur: ὅτι ἐᾷς τὴν γυναῖκα Ἰεσαβὲλ quis porro iste *Manuscriptus*, & ubi servatus; quinam *omnes* illi veteres cum Irenæus, Justinus, Epiphanius, alii nihil simile habeant. Nam quod Haimo & pauci cum eò scriptores longe citerioris vetustatis id memorent, parum debet movere: est mihi ad manum Apocalypsis Græca collata cùm IV. MS MS antiquissimis, quorum in nullo tale quidquam cernitur.

Quomodò autem volunt isti Thyatirensem hunc Episcopum, Christo hæc Joanni dictante, habuisse uxorem istam Jesabel, in contubernio scilicet cum usu conjugii: cum per disciplinam Ecclesiasticam illorum temporum, constantissimè testatam innumeris autoritatibus Patrum illius ævi, Episcopo semel creato & consecrato, consuescere cum uxore quam ante legitimam habuisset, nefas esset, & piaculum immane. Quî ergo potuit homo talis delicti convictus, à Christo tam prolixè laudari ob *opera*, ob *caritatem & fidem*, ob *ministerium & patientiam*; denique ob perseverantiam cum profectu in talibus. Nam id indicant verba illa Christi extrema in Thyatirensis Episcopi encomio: *Et opera tua novissima plura prioribus.* Retuli paulò superiùs ad v. 14. Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Hilarium, Hieronymum scribere: turpi flagitio, ex quo ejus ab Ecclesia ejectio secuta fuerit, se maculasse Nicolaüm unum è septem primis Diaconis Act. VI nominatis: quòd is, ubi se ab uxore segregasset, quando est in Diaconatum promotus, ad eam deinde victus cupiditate rediisset. Id si nefarium in Diacono fuit, in Episcopo potuisset ne adeò tolerabile Christo summo Judici videri, ut compertum paris maculæ, quin longè licentiùs prolapsum; utique per assiduum cum uxore convictum: laudandum magnificè putaret, à bonis operibus, à caritate, à fide, à ministerio, à patientiâ: denique à constantiâ & augmento in dies crescente virtutum istarum?

Mirum verò quod addit Grotius : quæ Christus excepit post istas laudes, sic loquens : *Sed habeo adversùm te pauca* : non esse reprehensionem, sed mandatum repudiandi talem uxorem. Sic enim legendum in Græco putat : ὅτι ἀφῆς τὴν γυναῖκά σε : quorum sensum esse ait : *Volo ut dimittas illam uxorem.* Ergo in hoc solo è septem Episcopis, quasi uno inter omnes irreprehensibili, exceptionis & redargutionis loco, suasio aut præscriptio nova ponitur ? Et hoc habere umbram verisimilitudinis posse cuiquam prudenti lectori putabitur ? Præsertim cum si nondùm à se abdicaverat, & thoro ac habitatione discreverat mulierem non solùm palàm docentem fornicari ; sed ipsam manifestè adulteram, Mœchis se pluribus prostituentem, & filios ex ipsis genitos palàm educantem (nam & mœchorum ejus & filiorum infrà est mentio : & Grotius utrosque in vero cuivis obvio intelligendos sensu existimat) jam non tantùm contrà Ecclesiasticam quam dixi legem : sed & contrà Civilem, quæ Maritum vetat in tantis suæ conjugis excessibus connivere, compertus peccare Thyatirensis Episcopus, non modò dignus non foret tributis ipsi à Christo laudibus : sed nec ad Episcopatum admitti, nec in eo tolerari ab Apostolis Ecclesiam tunc regentibus sine scelere potuisset. Paulus certè non permittit ad hoc eligi alium quam *unius uxoris virum, irreprehensibilem, prudentem, ornatum, pudicum, domui suæ benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* I. ad Timoth. III. An talis esset qui sciens volensque domi teneret uxorem fornicandi Magistram, hoc est, ex professo lænam, multis se mœchis indulgentem, & sobolem ex his adulterinam nullâ dissimulatione nutrientem : qualis ista foret si Grotio crederemus : quod avertat nunc quidem à nobis Deus. Absit enim ut ejusmodi furiam Angelo Thyatirensi, quem Joannes Apostolus in Episcopatu toleravit, quem Christus laudavit, fuisse conjugem existimemus. Supereſt ergo ut disquiramus, quænam hæc tandem Jezabel fuerit ? Primùm pro certo habeo cum Primasio, Ambrosio, Ruperto, Anselmo, quos Recentiores Ribera & Pererius sequuntur, designari per hæc singularem aliquam fœminam : non autem per προσωποποιΐαν, *personæ fictionem*, indicari Sectam aliquam aut Hæresim : minimè autem omnium Judæorum Synagogam ; quod miror Alcasari nostro placere potuisse, cum Idolothytorum liberè comedendorum huic attributa Mulieri doctrina, à Judaïco dogmate vehementer abhorreat. Proponam hîc conjecturam viri religiosissimi & doctissimi Joannis Bessoni, cui me Ann. 1627. & sequenti dedisse operam sacras litteras docenti in Collegio Tolosano Soc. Nostræ, gaudens gratulansque memini. Atque utinam per calamitatem pestis Epidemicæ quæ nobilissimam illam civitatem tunc affligere orsa Justitium illic scholis in biennium indixit, ei licuisset ultrà octavum hujus libri caput explicando, uti ceperat, progredi, lucis indè sine dubio plurimùm hausissem ad intelligentiam sequentium capitum sexdecim. Nam in his primis, in quæ sola dictata ejus hodieque habeo, profeciſse me in quibusdam gratè profiteor. Non in omnibus tamen : nam ut cætera quæ mihi non arriſere,

taceam; explicari ab eo alluſionem ad nomen urbis Pergami, per notionem in eo latentem nuptiarum; quaſi Πέργαμος à περὶ γάμος ſit, probare non potui. Ille igitur quod modò tractamus comma totidem his enarrat verbis:

Permittis mulierem Jezabel, &c. *Hanc alii ſectam quandam interpretantur... Alii fœminam ſingularem ſymbolicè ita vocatam ob ſimilitudinem cum veteri Jezabele. Verùm quæ fuerit, omnes ingenuè fatentur, ſe neſcire. Ego, ſi quis locus eſſe poſſit conjecturis, ſuſpicor, Helenam illam quæſtuariam fuiſſe, quam ſecum circumducebat Simon Magus ex Juſtino Martyre, Irenæo, Tertulliano, Epiphanio & Aliis. Erat enim hæc omninò ſimilis uxori Achabi, utraque impuriſſima: ut rectè Jezabel, hoc eſt cloaca, ſeu inſula Sterquilinii, juxtà proprietatem hebraïcam appellata ſit. Utraque natione Tyria. Nam priſca illa fuit filia Regis Sidoniorum* III. *Reg.* XVI. 31. *Addit Joſephus Orig. lib.* VIII *c.* VII *& Tyriorum. Hæc autem Tyri empta fuit à Simone cum in lupanari proſtraret publicè, eadem pecuniâ quâ ſpiritum ſibi ampliùs licenti voluerat addici ab Apoſtolis. Ita omnes jam laudati: & imprimis Tertullianus lib. de Animâ cap.* XXIV. *Denique ut illa à Belo, cujus cultui addictiſſima, orta erat. (Nam omnes Reges Tyri ad illum ſuam referebant originem.) Et pater ejus Ethbaal quoque, quod idem ſonat ac Belus, nomen habuiſſe perhibetur* III. *Reg. ſuprà: ita hæc paulùm diſſimulato nomine* Barbelo, *quod Syriacè planè idem eſt ac filia Beli, appellari gaudebat. Epiphanius Hær.* XXI *num.* 2. *Quare cum poſt obitum Petri & Pauli Hæreſes in Aſiam minorem confluxerint, ut adeas oppugnandas Joannes eò advolarit ex Baronio ad ann.* XCVII *Et hoc Scortillo flagitioſiſſimo Simoniana tota niteretur, vix dubium eſſe poteſt tam expreſſa lineamenta veteris Jezabelis in hâc exploranti, quin hæc fuerit Helena Simonis,* Quæ ſe dicit Propheten. *Imo etiam, quod pejus eſt, Spiritum ſanctum omnis Prophetiæ autorem ſe eſſe mentiebatur. Epiph. ſuprà.* Docere & ſeducere ſervos meos fornicari & manducare de Idolothytis. *A fornicatione dicta eſt* Prunicus. *Prætereà Simon ſuis diſcipulis ſui effigiem ſub ſpecie Jovis, & aliam Helenæ, ut pingi Minerva ſolet, obtruſit. Epiphanius ibidem. Fornicationem itaque & Idololatriam non frequentabat modò; ſed ad eas etiam omnibus modis accendebat, ut fortè propterea Apoſtoli nominatim edicto caverint. Act.* XV. 29. *Ut chriſtiani abſtinerent ab immolatis & fornicatione.*

Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret.

Simonis exitium contigit anno Chr. LXVIII. *Hinc ad tempus Apocalypſis effluxerunt anni præter propter triginta. Tamdiù ergo Helena divitias bonitatis, & patientiæ & longanimitatis Dei contempſit. Alieno enim exemplo eam ſapere oportuit.*

Ecce

Ecce mittam eam in lectum.

Morbum minatur, mortui mox futuræ prænuncium, si forte resipiscat, ut perditissimi quique solent. Jerem. II. 27. Hactenus Bessonus de cujus opinione operiar quid Docti sentiant.

℣. 21 Et dedi illi tempus ut Pœnitentiam ageret; & non vult pœnitere à fornicatione suâ.

℣. 22 Ecce mitam eam in lectum: & qui mœchantur cum eâ in tribulatione maximâ erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.

℣. 23 Et filios ejus interficiam in morte: & scient omnes Ecclesiæ; quia ego sum scrutans renes, & corda: & dabo unicuique secundùm opera sua.

Dum se scrutari renes, & corda hîc dicit Christus, tacitè affirmat se esse Deum, cui hoc tamquam proprium attribuit Psalmus VII. 10. *Scrutans corda, & renes Deus.* Videtur his significari duplex appetitus hominis superior & inferior, rationalis & animalis, qui utcumque abstrusi (nam pravum est cor Hominis, & inscrutabile) tamen oculorum Christi, ut dicitur in titulo hujus Epistolæ, similium flammæ ignis, explorationi patent.

℣. 24 Vobis autem dico & cæteris qui Thyatiræ estis

Et, hoc loco, vt multis aliis, expositivum est; & verti posset: *id est.*

Quicumque non habent doctrinam hanc: & qui non cognoverunt altitudines Satanæ, quemadmodum dicunt.

In verbo *cognoverunt* Græcè ἔγνωσαν, inest arcana allusio ad *Gnosticorum* nomen, quod sibi Simoniani usurpabant, gloriantes notitiâ mysteriorum suorum; & Catholicos, qui ea ignorarent, superbè traducentes nomine *Psychicorum* sive *Animalium*. Erant autem ista dogmata ipsorum impurissima, quæ *Altitudines* hîc vocat Christus, verbo ipsorum utens, hoc est *Profunditates*: addit autem *Satanæ*, ut significet longissimè abesse inferna hæc orgia à sanctitate cœlestium mysteriorum. Nihil enim aliud ista Cabala arcana Gnosticorum, nisi dictu infandas, & cogitatu abominabiles spurcitias habebat, quas ignorare pars est sapientiæ.

Non mittam super vos aliud pondus.

Videtur velle: quod Episcopo Thyatirensi minas intento ideo quia Gnosticos non coërcuit, ipsum unum spectat, qui solus in culpâ est: non fide-

lem Populum, cui ex officio non incumbit invigilare præcavendis Hæreticorum insidiis. Pondus igitur hoc loco, Supplicii comminationem vocat. Sic apud veteres Prophetas, Onus Tyri, Onus Babylonis, & similia, denuntiationes ultionis divinæ imminentis exprimunt.

Tamen id quod habetis tenete donec veniam.

Observate præcepta sorti isti ac conditioni vitæ privatæ, ac statûs Laici congrua; & in iis perseverate usque ad mortem.

℣. 26 Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes.

Hoc est: qui perseverans in officiis boni Christiani imitando exempla vitæ Christi (quod hic vocatur: custodire opera Christi) juxta captum vitæ Laicæ, sobrius, prudens, ornatus, pudicus, hospitalis, Doctor, & quæ cætera Paulus exprimit 1. ad Tim. III. meo nutu promovebitur ad sublimem, & verè regiam Sacerdotii Christiani dignitatem. Sic enim non primis illis temporibus solùm, sed multis inde sæculis; haud ferè homines ultrò aspirabant ad Presbyterii, vel Sacerdotii honorem: sed qui eximiè probarentur in officiis vitæ privatæ, consensu concursuque Populi rapiebantur ad impositionem manuum, & sacrificandi potestatem in panis, & vini consecratione juxtà ritum à Melchisedecho Rege Salem observatum: unde regium est novæ Legis Sacerdotium præ Aaronico, situm primariâ sui parte in potestate mutandi panem, & vinum in Corpus ac Sanguinem Christi, eoque modo sacrificandi, quod est Græcè θύειν, unde ducitur pars prior nominis θυατείρα *Thyatira* posterior autem à verbo τείρω quod est *tero*, confringo, cujus significatus indicat alteram partem Sacerdotalis in Ecclesiâ Christianâ potestatis, in jurisdictione sitam, & authoritate dimittendi peccata, sicque ligandi, & solvendi, ejiciendique ab Ecclesiâ per excomunicationem, quæ res exprimuntur sequentibus verbis: *Et reget eas in virgâ ferreâ, & tamquam vas figuli conterentur*, sumptis è Psalm. II. 9. ubi Regnum Christi prædicitur. Hæc potestas correspondet juri vitæ, ac necis Regum terrenorum proprio. Sic enim Reges hi cœlestes, Christiani Sacerdotes spiritualem animæ vitam conferre aut differre mortuis per peccatum possunt, & eosdem cum merentur à comunione fidelium abscindere: quæ rescissio est quasi membri putridi à corpore, neci æquiparata. Nec quemquam contra hæc moveat, quod hæc potestas super Gentes esse dicitur: cum gentiles homines nondum baptizati excomunicationi non sint obnoxii. Gentium enim verbo hîc eos indicat, qui merito scelerum suorum, & contumacis in iis moræ, Ethnicis accensentur, ex albo Sanctorum erasi, juxta illud Christi: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus.* Mat. XVIII. 17.

℣. 27 Sicut & ego accepi à Patre meo : & dabo illi ſtellam matutinam.

Dabo illi annulum gemma clariſſima, atque adeò cœleſti ſidere inſignem. Nam cum *Sardonychas*, *Smaragdos*, *adamantas*, *hyaſpidas* geſtare in articulo Stella quidam homo Romanus à Martiale dicitur, utique intelligitur gemmas iſtas totidem aureis annulis defixas in ejus digito apparuiſſe. Pergit ergo hic Chriſtus allegoriâ terreni Regni Sacerdotium Chriſtianum adumbrare. Mos erat antiquus morientium Regum declarare ſucceſſores Regni porrectione annuli. Sic quod Perdiccæ Alexander paulò antequam expiraret tradidiſſet annulum, tractum ab ejus Amicis eſt in prærogativam legitimæ ſucceſſionis in Alexandri regnum. Quamquam in Epiſcopis peculiarem aliunde habet locum Annuli Symbolum, quod iis Eccleſiæ traduntur velut Sponſæ viris, Chriſto ipſo ſacrarum conciliatore nuptiarum, & quaſi Annulum induente in digitum Sponſi. Unde in ritu inaugurationis Epiſcopi ponitur Annulus, ut præter uſum hodie receptum id clarè monſtrantem, diſertè teſtatur S. Bernardus Serm. in Cœnâ Domini ubi hæc leguntur : *Inveſtitur Abbas per baculum ; Epiſcopus per baculum & annulum ſimul.* Et ne quis fortè autumet hunc uſum proprium Occidentalium Epiſcoporum, Orientales quoque ab eo non abhorruiſſe demonſtratur ex eo quod ſic ordinatus eſt Joannes Maro Antiochenus Patriarcha. Refert vir Doctiſſimus Fauſtus Naironus Pag. 32. Diſſertationis Eruditæ de origine, nomine, ac religione Maronitarum locum ex Hiſtoria quadam Arabicâ, Latinè per Quareſmium expreſſum, in quo hæc verba ſunt : *Romam cum perveniſſet* (Joannes Maro) *propter Maronem fuit ibi concilium congregatum, in quo Maronis fides examinata, vera inventa fuit. Tunc Pontifex* (Honorius I.) *illum Antiochiæ Patriarcham ordinavit, mithram in capite ejus poſuit, in manu paſtorale, & in digito ejus annulum, &c.* Nec vacat quod Stella matutina in hujus annuli palâ figitur. Hujus enim aſtri omnium proſpertimi Symbolo Chriſtum ipſum peculiariter deſignari, diſertè traditur infra cap. XXII. 16. Nimirum induere Chriſtum, & circumferre ipſum, oſtentata ubique perfectâ imitatione virtutum ejus, omnium quidem Chriſtianorum commune officium eſt ; verum id ex profeſſo Sacerdotibus, & Epiſcopis præſertim incumbit.

℣. 29 Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Solemnis formula, ut jam dictum eſt, excitans legentis ingenium ad introſpiciendam latentem in ſuperioribus verbis alluſionem ad nomen urbis Thyatiræ ; cujus à me allata expoſitio, ſi cui non ſatisfaceret ; adjiciam huic diverſam expoſitionem Magiſtri mei Beſſoni, qui ſic annotat ad illa verba : *Dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea. Præmium accomodatum Civibus Thyatiræ : quia ſi ejus ſcruteris etymologiam, invenies eam duci à Sacrificiorum contritione : quâ ſignificatur*

omnium Gentium conversio. Nam omnes Gentes, ne Judæis quidem demptis, vel Deo vero, vel falsis diis sacrificabant, hæc potestas data est Christo Ps. II. 8. 9. *& mox ipse dicet* : sicut & ego accepi à Patre meo. *Hujus se compotem facturum* ait eum qui *mores, & instituta quæ Simoniani sequebantur contempserit.* Hæc ille, quibus ne acquiescerem quædam obstiterunt, occursura forsitan aliis quoque : unde minus duco necessarium iis immorari memorandis.

AD CAPUT III.

℣. 1 Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe.

Quis hic fuerit Episcopus, nescitur. Oportuit aut decessorem, aut unum è decessoribus fuisse B. Melitonis, qui cum huic Sardensi Ecclesiæ præesset scripsit Apologiam pro Christianis ad Imperatorem Lucium Verum, ut docet Eusebius in Chronico ad An. Chr. 172. & Hist. lib. IV. cap. XIII. & XXVI. Rectè hic annotat Bessonus circa nomen Sardis indeclinatè positum, usum invaluisse apud quosdam etiam antiquos Scriptores, quædam urbium nomina ex eo casu quo semel sint posita non mutandi. Sic apud Frontinum legitur : *Gabiis oppidum*, & *Cumis ducta colonia*, & *colonia Vejos*. Ut omittam Scriptores Gallos inferioris ævi, in quibus non rarò legitur *ire in urbem Parisios*, & similia.

Hæc dicit qui habet Septem Spiritus Dei, & septem Stellas.

Septem Spiritus Dei diximus supra esse actus aut partes septem divinæ Providentiæ invigilantis peccatis, & ea, si non emendentur, punientis exitio æterno. Septem autem Stellas ipse Christus cap. I. v. 20. Septem Angelos Ecclesiarum, hoc est Episcopos esse ait. Hinc apparet quàm opportunè in titulo hujus Epistolæ ad Episcopum in peccato jacentem directæ duo hæc commemorentur. Nam quod peculiari cura invigilet Episcopis quos in manu habet, patet eum non posse negligere culpam hujus : & quod sibi eidem incumbat emendare aut punire peccantes, quippe qui sit præditus septem illis attributis negotium talis providentiæ absolventibus : manifestum pariter est, haud convenire cessare ipsum à monendo hoc peccatore, consiliisque ac minis ad resipiscentiam urgendo.

Scio opera tua.

Non esse hanc scientiam approbationis, qualem diximus expressam supra v. 2. capitis II. illis verbis ad Angelum Ephesi S. Timotheum, *Scio opera tua, & laborem, & patientiam &c.* Declaratur ex sequentibus, præ-

sertim illis : *Non invenio opera tua plena coram Deo meo.*

Quia nomen habes quod vivas.

Aliquando suspicabar hunc Episcopum, cujus nomen nescitur, fortè fuisse appellatum aliquo vocabulo vitam ex origine signante : qualia illis temporibus in usu fuisse constat : puta in Græcis Zosimus, Zoticus, &c. In Latinis Vitalis, & similia. Sed absque hoc ad Loci hujus intelligentiam sufficit, vocari hunc hominem communi alijs Episcopis nomine *Angelum*, quod nomen est immortalis, & semper vigentis spiritus : ideóque haud dubiam vitæ significationem habens. Episcopi quoque vocabulum vigiliæ attentæ (qualis vita Plinio dicitur in Præf. Hist. Nat.) notionem, & emphasim manifestam habens, rectè potest videri nomen esse hîc indicatum : præsertim cum in ejusmodi Pastores animarum præcipuè quadret illud Christi Mat. v. 14. *vos estis lux mundi.* Lucis porrò omnis, & lucernæ, vulgari etiam modo loquendi, vigilare, & vivere Synonyma sunt. Nisi forte melius dicimus : nomen hîc sumi pro opinione publicâ, ut in illis Prov. XXII. 1. & Ecclesiastæ VII. 2. *Melius est nomen bonum quàm divitiæ* : ita ut hoc loco : *Nomen habes quod vivas* : nihil significet aliud, nisi : *videris, & vulgò existimaris vivere.* Vitâ utique spirituali, quæ in habitualis gratiæ possessione consistit. Sic Luc. I. 36. dum de Elizabetha dicitur : *quæ vocatur sterilis* ; significatur : eam vulgò haberi sterilem.

Et mortuus es.

Innuunt hæc, hunc Episcopum, cum interiori conscientiâ peccati mortiferi, retinuisse speciem externam viri boni, & Sancti Sacerdotis, usurpando eadem officia quæ alii gradûs similis, & ipse antequam laberetur, exercebat. Unde inobservabilis oculis hominum ista ejus mors erat : quippe quæ esset ille θανατὸς κρυπτὸς *mors latens*, quam se præsertim horruisse testatur S. Gregorius Nazianzenus in Carm. de vitâ suâ sic scribens :

Πάντων ὃ τὸν κοινὸν θανατὸν δεδοικότων.
Ὁ κρυπτὸς ἦν ἔμοιγε φρικωδέστερος.
Cunctis verò communem mortem metuentibus
Occulta erat mihi quidem horribilior.

Hæc est mors, ut eleganter S. Nilus scribit in Historiâ dudùm à me editâ, pag 39. ἀδήλῳ τοῖς τὰ ἔξω ὁρῶσιν ὁ θανατός, ἀμάρτῃ, ἐν συγκαταθέσει τῆς προαιρέσεως. *Incomperta videntibus exteriora mors, teste carens, in consensu voluntatis intimè conscia consistens.* Aliud hoc genus est occultæ mortis ab eo cujus meminit Christus Evang. Luc. cxv. 32. & Paulus I. Tim. v. 6. priori inducens Patrem Prodigi domum reversi de eo dicentem : *mortuus erat & revixit* : alter aïens de viduâ : *nam quæ in deliciis est vivens mortua est.* Etenim uterque horum mortuus dicitur propter peccatum notum, exteriùs opere consummatum, quam S. Nilus Epist. I. collectionis editæ à me vocat πρακτικὴν ἁμαρτίαν siquidem & illa Vidua,

ut in Græco est, παπαλῶσα, vitam palàm profitens à severitate castitatis alienam; & ille Adolescens cum à patre transfuga *devoraret substantiam cum meretricibus*, ut dicitur v. 30. peccatores erant publicè noti, & mors spiritualis amborum eatenus tantum occulta dici poterat, quatenus animam afficiebat oculis corporis non sensibilem, de quali hominum genere, animali quidem vita vigentium, sed spirituali privatorum dicit Augustinus alicubi *Vivit habitaculum* hoc est corpus: *mortuus est habitator*, nempè animus, habituali destitutus gratiâ. Talis non erat hic Episcopus exterius probitatem gradui suo consentaneum præferens, sed lapsu mentis, & consensu voluntatis in malum, orbatus gratiâ, de qualibus suprà laudatus in Hist. Nilus scripsit οἷς δὶ ὕλαι τῶν πραγμάτων ἐκ πάρεισι, τούτοις ἀρχῆι μὲν πρὸς ἐνέργειαν ἡ ἁμαρτία. πᾶς δ' ὁ πόλεμος ἐν διανοίᾳ συνίσταται. *Quibus materiæ rerum non adsunt iis cessat quidem ab opere externo peccatum, totum autem bellum in mente consistit, &c.*

℣. 2 Esto vigilans: & confirma cætera quæ moritura erant.

Excitatio à somno lethali, similis illi Pauli ad Eph. v. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Confirmatio* quæ mox injungitur *caterorum quæ moritura erant.* Spectat habitus virtutum extinctæ caritati superstitum, nempe amissâ caritate, quæ vita præcipua est animæ, & ob cujus jacturam hic Episcopus mortuus dictus est, restabant in eo Fides, & Spes, sed informes, ut Theologi loquuntur, ac valde debiles, mortique & ipsæ proximæ. Per quam enim pronum est hominem statui peccati insuescentem, in infidelitatem, & desperationem labi. Admonetur ergo ut id caveat: & annitatur præcipuâ attentione vigilantiæ, ne jacturam Gratiæ, amissione virtutum cumulet, ad perniciem suam certissimam. Non nimis abhorret à cætero genio scriptoris hujus sacri hîc mihi suboriens suspicio, vigiliæ mentione modo factâ respici autumans ad nativam proprietatem gemmæ Sardii, inde dictæ, ut Plinius docet lib. xxxvii. cap. vii. quod primùm reperta sit in urbe Sardibus: nempè hâc ipsâ cujus Episcopo hæc scribuntur. Tradit enim ex Dioscoride Tostatus ad cap. xxviii. Exodi. Sardium gemmam, acrem & vigilem, animosum, & fortem efficere eum qui ipsam gestat.

Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

Exteriùs hic Episcopus exercebat consueta sui gradûs ministeria, & utcumque satisfaciebat oculis hominum, quibus species sufficit: non autem penetranti usque ad intimum oculo Dei. Metaphora ducta est à rebus quæ intùs vacuæ, exterioris soliditate tectorii pro plenis fallunt, ut arundines, & ossa emedullata.

℣. 3 In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris; & serva, & pœnitentiam age.

Hoc est: Revoca in memoriam ea quæ tibi primùm tradita sunt, cum

catechizareris nondum baptizatus : & cum promovendus instruereris ad officium Sacerdotale. Tum ad istam recordationem adjunge voluntatem faciendi ea quæ inde intelliges facienda esse : & quod hæc omiseris aut contraria feceris, veniam à Deo pete.

Si ergo non vigilaveris veniam ad te tamquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te.

Nî faciat quæ suasit, minatur mortem improvisam. Confer hûc quæ supra diximus de morte signata per Christi adventum.

℣. 4 Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua.

Ad pudorem Episcopo lapso in peccatum mortiferum, commemorantur quidam ex ejus subditis qui baptismalem innocentiam adhuc servabant. Pauca nomina sunt pauci homines, ut infra cap. XI. 13. *Occisa sunt nomina hominum septem millia*, & Act. I. 15. *Erat autem turba hominum.* In Græco ὄχλος ὀνομάτων *turba nominum.* Notum est veteri Ecclesiæ usu baptizatos indui solitos togis albis quas inde septem diebus continuis gestabant. Septem porrò dierum mystico numero universa designabatur vita per quam totam sanctitas in baptismo accepta retinenda erat. Hûc alluditur hoc loco.

Et ambulabunt mecum in albis quia digni sunt.

Allegoria è triumpho Romanorum ducta in quo triumphantem Imperatorem sui milites albati circumstabant. Vide præter alios, Trebellium in Gallieno. Significat autem hîc Christus, sese donaturum peculiari gloriâ, & familiarius sibi admoturum eos qui innocentiam à baptismo ad extremum spiritum immaculatam servaverint. Hæc est enim Virginitas mentis ; de quâ vide infra cap. XIV. I.

℣. 5 Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis.

Prima species Urbis Sardensis procul intuentibus candorem præferebat. Eminebat enim altissimè in eâ Civitate, ut Strabo refert lib. XIII. Geographiæ, turris ex lapide candido. Nec degenerabat ab eo colore campus Caystrius Urbi subjectus Cycnis coopertus. Quin etiam nativus color Gemmæ Sardiæ in eâ Civitate primùm inventæ, & ab eâ nomen nactæ, candor est, non purus quidem, sed rubore modico dilutus, ut docet Plinius lib. XXXVII. capitibus VI. & VII. & Suidas in voce Σάρδιος qualis nimirum aptè convenit istis vestimentis quæ inferiùs cap. VII. 14. dicuntur fuisse *dealbata in sanguine Agni.* Sic nimirum candida, ut suavi tamen suffusa rubedine purpurascerent ; nec eo candoris qualitatem aut nomen perderent, uti neque ignitum ferrum *Candens* dici desinit ob ruborem

igneum fulgori ejus mixtum. Quinimo videtur ex quibusdam locis Veterum eam illos subiecisse notionem voci *Candoris*, quæ non usquequaque meram albedinem, sed parcè insperſi temperamento ruboris animatam notaret. Horatius enim vestem cocco candentem memorat: ejus verba sunt, Sat. VI. Libri II.

Rubro ubi cocco.
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Similia in his Plinii cap. VII. lib. XXVII. notare est: *Callistratus fulgorem carbunculi debere candidum esse posuit, extremo visu nubilantem; si attolatur, exardescentem: ob id à plerisque hunc carbunculum candidum vocari.* Candoris ergo & albarum vestium mentio charactere proprio denotat Civitatem Sardis, cujus Episcopo hæc Epistola scribitur.

Et non delebo nomen ejus de Libro vitæ.

Respondent hæc mentioni superiùs illatæ mortis hujus Episcopi; mortis videlicet spiritualis, per amissionem internæ gratiæ. Agit autem de hâc morte per analogiam ad mortem naturalem. Mos erat vetus Reipublicæ Iudaicæ tabulas censuales in Templo Jerosolymitano servandi in quibus essent nomina omnium Judæorum tunc viventium, inde enim apud Ezechielem cap. XIII. 9. pro idem significantibus hæc ponuntur, *in concilio populi Israël non esse, & in scripturâ domûs Israël non scribi*, quod videlicet omnes qui ad Populum Israël pertinerent, in scripturâ domus Israël, hoc est, illis censualibus tabulis, scriberentur. Porrò hæc eadem scriptura domus Israël *Vita* vocabatur. Docet id nos Isaïas cap. IV. 3. *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in invitâ Jerusalem.* Hæc ibi in quibus pro eodem ponitur: *residuum esse* hoc est *superstitem, ac esse scriptum in vitâ*, id est censeri in numero vivorum. Ut enim quisque moriebatur, ita expungebatur nomen ejus ex istis Tabulis, in quas viciſſim inferebantur recens nati. Unde Psalmista Ps. LXVIII. 29. dum sic imprecatur impiis: *Deleantur de Libro viventium*, mortem designat per aliquid eam consequens. Ex hoc Libro viventium, sive vitæ, deleri volebat Moïses si non impetraret veniam Populo, Exod. XXXII. 23. nec obstat quod ibi scribitur: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ quem scripsisti*, ex quo inferre quis posset; non agi de Matriculâ viventium ab Hominibus scriptâ: sed de alio quodam Libro à Deo scripto, nempè de Catalogo Prædestinatorum ad Gloriam æternam: è quo Moyses expungi voluerit, nisi obtineret, quod petebat: non inquam hoc obstat. Sciebat enim omnium Librorum ab Hominibus scriptorum Archetypa in Dei mente esse: & inter alia Catalogos viventium, etiam vitâ mortali, in illis æternis divinæ Providentiæ Tabulariis longè etiam exactiùs, & plenius quam in Archivis Populorum extare. Quare nihilominus possumus censere, deleri Mosem de libro vitæ quem Deus

scripsi-

ſcripſit nihil eſſe aliud quàm immitti ei mortem præmaturam. Et confirmari id videtur Dei ad Moſem talia locutum reſponſo mox adjuncto his verbis: *Cui reſpondit Dominus: qui peccaverit mihi, delebo eum de Libro meo.* Quaſi diceret: mortem præcocem, cui te ſubeundæ paratum exhibes, non ſoleo ego inferre niſi in pœnam peccati commiſſi. Quare cum in hoc tu non peccaveris, non convenit me tibi vitam naturalem adimere. Cæterum quod hoc quem tractamus loco, ut ſuperiùs monui, agitur de morte ſpirituali in quam inciderat Epiſcopus Sardenſis per amiſſionem internæ gratiæ, agnoſcendum eſt per modò memoratum librum vitæ, ſive catalogum viventium vitâ naturali, allegoricè deſignari Librum alium in mente divinâ ſcriptum quo continetur catalogus omnium habituali gratiâ ornatorum. Hic vocatur infra cap. XIII. 8. *Liber vitæ Agni*, quia ex Chriſti meritis omnes qui juſtificantur accipiunt gratiam. Fit ejuſdem mentio cap. XVII. 8. & cap. XXI. 27. Ad quæ loca de hoc agemus.

Et confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.

℣. 6 Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Addam ad honorem ſcripturæ prædicationem vocis, profitens nomina eorum qui vicerint.

℣. 7 Et Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit Sanctus, & verus.

Quis fuerit, & quo nomine vocatus hic Philadelphienſis, incompertum eſt. In titulo Epiſtolæ tribuit ſibi Chriſtus autoritatem ſupremi Sacerdotii, quam æternam obtinet, juxta illud Pauli ad Hebr. c. VII. 24. *Chriſtus autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Hinc fit, ut etiam receptus in Cœlum poſt mortem, & reſurrectionem ſuam verum illic Eccleſiæ Pontificatum exerceat: neque enim Petrus aut alii Romani Pontifices, ſucceſſores Chriſti ſunt, ſed Vicarii dumtaxat. Convenit autem Pontifici quà talis eſt, duplex illud adjunctum *Sanctus* & *verus*. Prius quidem quia puritas ſanctitatis nomine deſignata eximiè requiritur in perſonâ Deo ſingulariter conſecratâ, & ex officio cum eo familiariter converſante. Alterum verò quia Sacerdotalis ejuſmodi functionis pars eſt, docere Populum, & in controverſiis de doctrinâ ſuborientibus definire quid verum ſit.

Qui habet clavem David: qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit.

Tangitur his alia differentia Pontificatûs Chriſti ab Aaronico præter jam

memoratam ex æternitate Sacerdotii ſumptam. Hæc eſt *poteſtas clavium*: cujus figura præceſſit in Sacerdote olim Aaronico quidem, ſed *Regio* dicto, & à ſummo Pontifice diſtincto, cui *clavis David* committebatur. Quæ clavis quid fuerit, & quæ tota ratio usûs cujuſdam veteris verbis quæ tractamus indicati, declarare conabor, luce, quod gratè fateor, à Beſſono acceptâ, in cujus dictatis quæ ſummatim indicata reperio hîc paulò uberius ediſſeram. Ezechielis cap. XLIV. 2. hæc leguntur: *Dixit Dominus ad me: Porta hæc* (quæ reſpiciebat ad orientem) *Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam: eritque clauſa Principi. Princeps ipſe ſedebit in eâ, ut comedat panem coram Domino. Per viam portæ veſtibuli ingredietur, & per viam ejus egredietur.* Hinc intelligitur Portam hanc fuiſſe ſolo Regi Judæ è Davidis familiâ reſervatam; ita ut nemo præter ipſum ingredi per eam in Templum poſſet. Nam quod dicitur: *eritque clauſa Principi*, manifeſtè ſonat: eſſe illam clauſam cæteris omnibus in ejus honorem, ipſi autem uni perviam: quando vel ſtatis diebus Sabbati & Calendarum, ut dicitur Ezech. cap. XLVI. lege præſcripta ſacrificia oblaturus ibit; aut alio quovis die quo forte ſpontaneâ devotione oblationes victimarum extraordinarias facere volet, hæc illi porta aperietur: & in eâ ille immolatorum carnibus ritu legitimo veſcetur. Cum hoc eſſet ita conſtitutum, oportuit deſtinari unum è Sacerdotibus cui ſervanda committeretur clavis iſtius Portæ: qui, quoties ei Rex indicari mandaſſet velle ſe in templum ingredi, præſtò ad eam portam Principi eſſet, cum clave humero impoſitâ, hoc eſt ante pectus pendente, colligatâ pretioſo cingulo, cui ex adverſo capite Globus aureus inſtar caudicis adjectus eſſet, quo in tergum rejecto clavis ad modum manticæ portabatur. Eum cui talis injuncta eſſet functio vocari conſueviſſe *Præpoſitum Templi* diſcimus ex Iſaïæ XXII. 15. ubi hæc habentur: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum ad Sobnam Præpoſitum Templi, & dices ad eum: quid tu hîc? aut quaſi quis hîc? Ecce Dominus aſportari te faciet.... Expellam te de ſtatione tuâ, & de Miniſterio tuo deponam te. Et erit in die illâ vocabo ſervum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus, & erit quaſi Pater habitantibus Jeruſalem & domui Juda: & dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* Vocatur hæc clavis domus David, quia in ſolum uſum Regum Iuda, qui omnes erant è ſtirpe David, facta fuerat. Ablato domui David regno Iudæ poſt captivitatem Babylonicam, reperitur hoc officium *Præpoſiti Templi* commiſſum homini non Sacerdoti neque ad Tribum Levi pertinenti: *Simoni* nempe, *de Tribu Benjamin præpoſito Templi conſtituto*, ut ſcribitur II. Machab. III. 4. à Seleuco videlicet Rege, cujus immediatè ante facta eſt ibi mentio: à quo ille ambitionis arte id ſcilicet impetraverat, tamquam in id quoque jus Rex ille tunc Iudæis imperans familiæ davidicæ ſucceſſiſſet: aut quaſi committi tale officium poſſet alii

quàm Aaronico Sacerdoti, quod non videtur licuisse: sed solum arbitrium eligendi ad id muneris quem mallent ex Aaronicis Sacerdotibus, Regibus Iuda concessum fuisse. Existimat Bessonus, istum quemcumque Rex quispiam elegisset, Regis ejus Sacerdotem dici: & hoc probari putat è II. Reg. xx. 25. ubi *Ira Jairites*, Vocatur *Sacerdos Davidis* & è III. Reg. IV. 5. ubi *Zabud filius Nathan* dicitur *Sacerdos amicus Regis*, Salomonis sed vereor ut ritè procedat probatio. Nam nec priori loco, regnante adhuc Davide, nec secundo pertinente ad initia Salomonis (quippe nondum ædificato Templo) potuerat eligi custos clavis portæ Orientalis, quæ nusquam erat. Hoc tamen non obstante, admitto conjecturam ut probabilem si ad tempora referatur Templi exstructionem secuta. Solebant scilicet jam anteà Reges, ut de Davide & Salomone notatum vidimus, eligere Sacerdotem qui peculiariter ipsis adesset in rebus sacris, qualis Ira Davidi fuit, & Zabud Salomoni, verisimiliterque alii aliis deinceps. His verò post ædificationem Templi committi solitam à Regibus Portæ ipsis reservatæ custodiam, satis utique pronum creditu est. Talis itaque fuerit Ezechiæ Sobna primùm, deinde hoc ejecto Eliacim, ut ex Isaiâ discimus. Hæc porrò, ut alia pleraque rerum sacris libris antiqui fœderis perscriptarum, præter primùm obviam sententiam, ad Christum referebantur sensu mystico, quem hic Locus innuit. Templum nempe Hierosolymitanum cœlestem Patriam signabat æternæ felicitatis sedem. Rex Iuda è Davidis familiâ Christi erat typus filii Davidis veri regis Iudæorum; quem titulum, frustrà frementibus Judæis, in Cruce quoque moriens habuit. Idem, qui Oriens vocatur à Zachariâ Propheta cap. III. 8. VI. 12. & à Zacharia Patre Joannis Baptistæ Luc. I. 78. portam habuit sibi peculiarem per quam ipse Solus, & qui eum per baptismum induissent, ut dicitur ad Rom. XIII. 14. Ad Gal. III. 27. & qui eum habitantem per fidem in suis cordibus haberent: ut legitur ad Eph. III. 17. sic in ejus quasi personam transformati & Christi quidam facti, intrandi jus haberent. Hujus portæ clavem electo à se Sacerdoti Christus Petro commisit prout promiserat Mat. XVI. 19. constituens cum summum Ecclesiæ Hierarcham; sub cujus auspiciis Sacramenta ministrarentur, Homines in Christos transformatura, & sic eos idoneos ad intrandum in gloriam æternam factura. Pars autem hujus potestatis in singulos respectu Gregum suorum Pastores animarum dispergitur, cum debitâ subordinatione; ratione cujus omnes unum sunt. Unde hunc quoque Philadelphiensem Episcopum, quod hîc innuitur, sua portio spectabat autoritatis ejus, ipsi à Christo communicandæ, ut Pontifice simul & Rege secundum ordinem Melchisedech. Talis quædam allegoria loci hujus est.

℣. 8. Scio opera tua.

Reddit hùc prior notio scientiæ, approbationis emphasim habentis, non enim in hoc Episcopo, ut in præcedenti, quidquam culpatur.

Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest Claudere.

Ex Act. xiv. 26. & 1. ad Cor. xvi. 9. intelligitur apertionem ostii significare concessas opportunitates prædicandi cum successu: Deo efficaciter juvante ad quævis perrumpenda obstacula. Hanc se Philadelphiensi dedisse Christus hîc dicit cum peculiari concinnitate per allusionem ad modò memoratam clavem David, tanta vi aperientem quidquid pandit, ut nulla potestas humana quantumvis contra nitens queat eò ingressum obstruere.

Quia modicam habes virtutem.

Virtutis nomen non sumitur hîc eo sensu quo Philosophi Morales & & Theologi plerumque usurpant, pro habitu inclinante ad bonas operationes. In Græco enim non est ἀρετὴ sed Δύναμις, quæ vox in Scripturâ sæpius significat militares copias. Sic in illo Psalmi lix. 12. *Non egredieris Deus in virtutibus nostris*, manifestè per *virtutes* indicantur exercitus in expeditionem egressuri. Assignatur ergo hîc ratio quare offeratur Episcopo Philadelphiensi nova occasio cum efficaci auxilio prædicandi aggregandique ad cœtum Fidelium plurimos: quia nimirum exigua erat & parùm numerosa Ecclesia cui præerat: quam idcirco conveniebat augeri.

Et servasti verbum meum & non negasti nomen meum.

Hæc honorificum testimonium præbent virtuti & innocentiæ hujus Episcopi, qui & quod bonum erat, fecerit; & quod malum, vitaverit.

℣. 9 Ecce dabo de Synagogâ Satanæ qui dicunt, se Judæos esse & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient quia ego dilexi te.

Videtur huic Episcopo prædicanti Evangelium, idem usuvenisse quod sibi contigisse Paulus Apostolus queritur, præsertim in Ep. ad Galatas: nempe ut in eo pateretur adversarios quosdam Pseudoapostolos, legis Mosaicæ falsos zelatores, quales multi primis Ecclesiæ temporibus, ritus Synagogæ necessarios ad salutem Christianis contendebant. Hos negat Christus Iudæos esse; non quod gente ac origine tales non essent: sed quod ex institutione Spiritus sancti in Scripturis veteribus & novis appellatio filiorum Israëlis, non solam propagationem naturalem generis ex Iacob aut Abraham Patriarchis indicet: sed insuper imitationem virtutis eorum, præsertim illius fidei quâ in Christum ex eorum stirpe nasciturum tantò ante crediderunt. Vide Paulum ad Rom. ix. 6. 7. Promittit porrò Christus consentaneè ad prius dicta de efficaci apertione ostii per clavem sic aperientem, ut quæ aperuerit nemo claudat, hoc impedimentum se

amoliturum efficiendo ut istos falsos Iudæos pœniteat erroris sui, & Episcopum Deo dilectum resipiscentes venerentur.

℣. 10 Quoniam servasti verbum patientiæ meæ.

Verbum patientiæ Christi intelligi hoc loco potest præceptum à Christo primo omnium promulgatum, & ejus exemplo sancitum, non modò æquo animo ferendi injurias illatas, sine ultionis desiderio; sed etiam benepre candi, benedicendi, & benefaciendi Persecutoribns quantumvis sævis.

Et ego servabo te ab horâ tentationis quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terrâ.

Est hæc tentatio Persecutio Trajani post sexennium inchoanda. Dicitur ventura in orbem universum, hoc est in regna & Provincias omnes Romano Imperio subjectas, sparso quoquoversum Edicto illius Imperatoris Christianos ubicumque occurrerent plecti jubente.

℣. 11. Ecce venio citò, tene quod habes ut nemo accipiat coronam tuam.

Ex brevitate vitæ hujus, quæ sola via est & probationis tempus ac meriti, hortatur ad constantiam perstistendi in possessione gratiæ, quæ non nisi per peccatum amittitur, metu ne præmia laborum intercipiantur.

℣. 12. Qui vicerit faciam illum Columnam in Templo Dei mei: & foras non egredietur amplius.

Hinc incipit allusio in his Epistolis solita ad locum cujus Episcopo scribitur. Hæc quidem in eo sita est, ut per antithesim opponatur soliditas & immobilitas columnæ firmissimæ, instabilitati tremulæ murorum & ædificiorum Vrbis Philadelphiæ, de quâ sic scribit Strabo lib. XII. sub finem: ἥτε Φιλαδέλφεια πόλις οὐδὲ τὰς τοίχους ἔχει πιστὰς ἀλλὰ καθημέραν τρόπον τινὰ σαλεύονται καὶ διίσανται. *Philadelphia Civitas ne muros quidem habet tales quibus fidi possit: quippe quotidiè succussos, & fatiscentes terræ motibus.* Et lib. XIII. item sub finem: Πόλις Φιλαδέλφεια σεισμῶν πλήρης. ἡ γὰρ διαλείπουσιν οἱ τοῖχοι διϊσάμενοι, καὶ ἄλλοθ' ἄλλο μέρος κακοπαθοῦν οἰκοῦσι ἔν ὀλίγοι τὴν πόλιν διὰ τοῦτο. οἱ δὲ πολλοὶ καταβιῶσιν ἐν τῇ χώρᾳ γεωργοῦντες. *Vrbs Philadelphia terræmotibusplena. Non enim dissinunt muri ejus desilire, aliaque subinde atque alia Civitatis pars laborare ac succuti. Hinc fit ut pauci hanc urbem incolant. Plerique autem rure degunt culturæ agrorum vacantes.* Hæc ibi Strabo, non multò antequam Joannes Apocalypsim ederet vivens & scribens; quæ etiam alibi repetit. Ex quibus intelligitur 1. quàm verisimile sit quod paulò ante notavimus ad illa verba: *modicam habes virtutem*, fuisse paucorum capitum Ecclesiam Philadelphiensem, utique cum tota ipsa Civitas infrequentissima esset. 2. Quò pertineant illa ultima verba:

& foras non egredietur amplius. Cogebantur ſcilicet illi pauci qui intra Philadelphiam perſiſtebant, quoties inciperet domus in quâ erant concuti (id quod eveniebat crebrò) foras egredi, nè tecto & muris labentibus opprimerentur : quâ moleſtiſſimâ neceſſitate deinceps vacabunt, cum immobiles inſtar columnæ fundatiſſimæ domùs eorum factæ fuerint.

Et ſcribam ſuper eum nomen Civitatis novæ Hieruſalem quæ deſcendit de cælo à Deo meo ; & nomen meum novum.

℣. 13. Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Civitas nova Hieruſalem è Cœlo deſcendens inferiùs cap.xxi. Eſt Eccleſia Catholica in terris militans, ut ibi demonſtrabimus, Deo juvante. Nomen porrò verum & proprium illius cœtûs divinitùs congregati ; eſt Φιλαδέλφεια ſive ut Apoſtoli Petrus & Paulus in ſuis Epiſtolis loquuntur *caritas fraternitatis*, virtus unicè propria Chriſtianorum, & eorum quaſi character ac nota : juxta illud Chriſti Joan. xiii. 35. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis ſi dilectionem habueritis ad invicem.* & 1. Joan. iii. 14. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam* (de hoc ſæculo ad Eccleſiam) *quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte.* Nomen autem cum ſit id quo res noſcitur ; appellari poteſt etiam inſigne ac proprietas rei cujuſcumque diſcernens eam ab aliis : qualis eſt in Chriſtianis *caritas fraterna* græcè Φιλαδελφία. Quærendum jam quod ſit nomen Chriſti novum ? Dei filius homo factus duplex nomen habuit Chriſtus & Jeſus. Ex his *Chriſtus*, Hebraïcè מָשִׁיחַ *Meſſias* antiquum & jam pene ab initio Patriarchis ac Prophetis notum ac tritum nomen fuit. Jeſus non item. Primùm enim proditum eſt ab Archangelo Gabriële B. Mariæ in Annunciatione Luc. i. 31. *Nomen* ergo Chriſti *novum*, nomen eſt, *Jeſus*. Ita intellexit Abbas Joachimus, cujus hæc in hunc locum verba ſunt : *Oportet Eccleſiam concipere novum quemdam ſpiritualem intellectum ; ſive etiam promiſſionis filios, & prolem præ cæteris ſpiritualem, hoc eſt, ipſum Ordinem quem deſignat Jeſus*, &c. quæ in libro omnibus patente videre eſt. Hæreo in his quæ poſt pauca idem ſubdit : *Magna ſunt nimis hæc myſteria, & diligenti ſcrutatione penſanda.* Noſtrum autem eſt Apocalypſim, non Apocalypſis Expoſitores exponere.

℣. 14. Et Angelo Laodiciæ Eccleſiæ hæc dicit, Amen, teſtis fidelis & verus qui eſt principium creaturæ Dei.

Quod ſcripſit Rabbi Chanina in Libro Sanedrin, eſſe *Amen* non ſolùm, ut vulgo creditur, adverbium affirmandi ; ſed & unam ex iis quas Hebræi vocant *Roſce Teboth*, hoc eſt ſententiis plurium nominum per initiales duntaxat literas compendiosè ſignatorum ; inconcuſſam confirmationem habet ex hoc loco, ubi, *Amen* manifeſtè perſonam Chriſti ſignificat, cum

Autor Epistolæ in fronte hoc ipse sibi tribuat nomen. Tria igitur hæc vocabula totidem literis ʾמן *Amen* componentibus indicantur אל *Al* מלך *Melec* & נעמן *Naaman*, primum *Al* significat Deum: alterum *Melec*, Regem: tertium *Naaman*, fidelem. Hoc tantùm de novo nos docet hic locus, per *Al* peculiariter signari secundam Trinitatis personam Verbum. Nam verba illa quibus paraphrasticè exponitur *Al principium creaturæ Dei*, æterni Verbi per quem *ad extra* facta sunt omnia, & qui *ad intra* processionis primæ terminus est, individuum & incommunicabilem caracterem præferunt. *Testis* pro *Melec*, hoc est *Rex* ponitur. Opes enim & dignitas autoritatem testimonio dant. Vnde sunt illa vulgò celebria *teſtis locuples* & *fides regia*. In explicatione vocis *Naaman* meritò duo simùl adjuncta Christus adhibet, *fidelis* & *verus*, utrumque enim requiritur ad plenè exprimendam verbi illius Hebraici potestatem. Nam *verus* perspicuitatem mentis quidquid est in re clarissimè pervidentis monstrat, Verbi divini unicè propriam per viam intellectûs procedentis: *Fidelis* autem rectitudinem animi non aliud quàm quod est, uti revera est, testari valentis designat.

℣. 15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus.

Frigidi videntur hîc intelligi prorsùs alieni à Deo homines, nullam nec notitiam boni certam, nec erga id motum affectumve ullum deliberatum habentes. Calidi è contrario sunt illi qui & bonum norunt, & illud magno amore totoque impetu sequuntur, ad normam christianæ legis vitam exactè conformantes. Hos inter alternant Tepidi. Nam non semper virtus in medio est. Sunt autem hi, qui Deum norunt, & aliquos interdum affectus bonos concipiunt: Sed plerumque cum mundo sapiunt, & concupiscentiis obsequuntur, &, quod Elias Israëlitis exprobrat III. Reg. XVIII. 21. *duas in partes claudicant* Deo & Baali cultum adhibentes; aut, quod Christus negat fieri posse: Mat. VI. 24. *Duobus simul dominis Deo & Mammonæ servientes.* Ex quâ descriptione intelligitur, hunc teporis statum gratiam plerumque internam & habitualem excludere. Dixi *plerumque*, non enim negare ausim, quod magno consensu disciplinæ Ascetica Consulti, Cassianus, Climacus, Dorotheus docent, tepidos hic vocari eos qui peccatis quidem mortalibus abstinent; à venialibus verò nullo modo cavent, nec quidquam pensi habent aut bona opera exercere, aut perfectionem sequi: Verùm naturæ desideriis, quatenus id citra lethalem Dei offensam fieri posse credunt, licentissimè indulgent, sed hi non rarò in lethalia labuntur, ut iidem illi Patres docent:

Utinam frigidus esses aut calidus.

Non optat peccatum ejus, frigoris mentione sine dubio designatum: sed verè pronunciat, difficilius emergere homines ex hoc medio teporis statu, quàm ex frigore ipso extremo. Nempe, ut & Ascetici Scriptores passim

annotant, & Experientia demonstrat, rariùs multò accidit, remissè in Dei obsequio viventes ad fervorem accendi; quàm expertes omninò lucis, ad eam oculos aperire. Itaque hujus sententiæ ac voti mens hæc est: Expeditior esset spes salutis tuæ si planè frigeres, quàm nunc cum tepes.

℣. 16. Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.

Docet Celsus lib. 1. cap. 11. & constat experientiâ: aquâ tepidâ vomitum cieri. Significat hâc allegoriâ Christus, tales homines sibi molestos esse. Similis salivæ sunt populares illæ locutiones; & ipsæ tralatitiæ: *Hic mihi nauseam movet, illius mores concoquere non possum.* Quid sit evomere ex ore, intelligendum est è contrario. Habere in ore dicitur aliquis eum quem crebrò nominat & vocat, vocat autem Christus homines per gratias actuales, illuminantes mentem, & corroborantes voluntatem. Has ergo gratias se subtracturum tepido minatur.

℣. 17 Quia dicis, quod dives sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus.

Facile (ait alicubi Tertullianus) *duo cæcitatis genera concurrunt: ut qui non vident quod est; videant quod non est*, Iste nullum habens sensum veræ suæ miseriæ: mendaci tamen falsæ felicitatis imagine illudebat sibi ipsi. Etenim ut semidocti homines, & scioli confidentissimè de rebus pronunciant; ita isti primore dumtaxat delibatione perfusi bonitatis, continuò se ostentant pro perfectis, & arrogantissimè de se sapiunt: cum ut Eruditionis exquisitæ; ita virtutis consummatæ comes sit individua, modestia.

℣. 18 Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.

Pro *aurum ignitum*, in Græco est: χρυσίον πεπυρωμένον ἐκ πυρὸς, ad verbum: *aurum ignitum ex igne.* Hoc est, ut opinor, aurum liquefactum, & vi ardoris fusum in conflatorio, non minùs in illo statu splendens, & urens quam ipse ignis. Symbolum hoc est zeli, quæ virtus huic Episcopo commendatur tamquam ex opposito contraria illi statui periculoso tepiditatis, de quo paulò ante fuerat increpitus. Est autem zelus caritas, non habitualis, sed actualis: nec qualiscumque caritatis actus; sed perfectissimus, idemque in gradu intenso, & cum impetu quodam ac conatu exercitus. Itaque cum vulgare in scripturis caritatis Symbolum aurum sit, & caritas alia sit merè habitualis, qualis est in puero baptizato, & in quovis justo dormiente, aut rebus merè humanis attento: alia vigens, & foras sese prodens vividis eruptionibus amoris: omninò elegan-
ter hoc loco caritas vigens sive zelus comparatur auro ardenti, & in forna-
ce liquefa-

ce liquefacto : caritas autem merè habitualis significatur esse similis rigenti auri laminæ, & frigido metallo. Nec frustra est quod Vulgatus addit, *probatum* optima enim ratio probandi auri est, illud in fornace liquefacere, quando si quid inest mixtum sequioris materiæ in vaporem exhalat. Quam esse causam cur aurum omnibus metallis præferatur, docet Plinius lib. xxxiii. cap. iii. *Quia rerum uni* (ait) *nihil deperit; tutò etiam in incendiis rogisque durante materiâ. Quinimo quò sæpiùs arsit, proficit ad bonitatem: aurique experimento ignis est, ut simili colore rubeat quo ignis: atque ipsum obryzum vocant.* Hæc Plinius, ubi obiter innuit etymon vocis *Obryzum*, quod & obrussum dicere possis. Est enim composita vox è nomine *russus* colorem è rubro flavescentem indicante. Jam quod suadet caritatem incensam sive zelum *emere* : non id dicit quasi dubitari velit quin ea res donum Dei sit : sed quia nostram etiam cooperationem ad hoc requirit Deus. Vetus erat proverbium : *Dii laboribus omnia vendunt.* Contentionem, & solicitudinem adhiberi ad perfectionem à nobis vult Deus ; daturus tamen illam nobis gratis, quia ut est in Cant. c. viii. 7. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Hoc est : fatebitur se gratis accepisse illud ipsum quod rerum omnium suarum cessione commutavit, propter incomparabilem excellentiam rei acquisitæ supra res pro eâ datas. Postremò notandum in ipsâ mentione emendi latere alusionem ad Zeli nomen Hebraicum קִנְאָה *Kinne*, quod est à קָנָה *Kana* significante emere. Unde Cananæi dicti Mercatores Proverb xxxi. 24. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Cananæo.*

Et vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ : & collyrio inunge oculos tuos ut videas.

Superiùs admonuit Episcopum tepidum, esse ipsum (quantumvis id ignoraret) pauperem, & quidem egestate miserrimâ, tum præterea nudum, & cœcum : nunc, postquam primo malo remedium obtulit, suadens ei ut emeret à se aurum ignitum, hoc est ardentem caritatem, duobus pariter aliis providet ; nuditati quidem, suggerendo ut curet indui habitibus virtutum reliquarum, quæ sunt vestimenta hic memorata, alba dicta, quia ut infra dicitur c. vii. 14. *Dealbata sunt in sanguine Agni*, hoc est, merito mortis Christi impetratis gratiis obtenta. Cœcitati denique per collyrium fidei purgantis oculos mentis, & discussuræ caliginem errorum humanorum, & mundanæ prudentiæ.

℣. 19 Ego quos amo, arguo & castigo.

Aptum delinimentum asperitatis quam præfert præcedens objurgatio. Quod ea ex amore objurgantis in objurgatum processerit : & quod ea non sit peculiaris erga hunc Christi agendi ratio : sed consueta providentia in omnes quibus bene vult.

Æmulare ergo, & pœnitentiam age.

Ut alii Electi mei quando in vitia lapsi à me arguuntur, & castigantur, resipiscere solent: ita & tu qui peccantes es imitatus, æmulare pœnitentes; ac reaccenso in te Zelo teporem noxium novo Spiritûs fervore concepto pelle, remissionis pristinæ labem pœnis â te tibi ultrò inflictis eluens.

℣. 20 Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam; intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum.

Ubi sunt novi Doctores gratiæ Christi Medicinalis numquam merè sufficientis, semper ex sese efficacis, & necessitantis (utcumque non cogentis) voluntatem ad assensum. Sinant nos audire potiùs Christum ipsum clarè profitentem se ita pulsare ad ostium, ut indifferens sit qui intus est ad audiendum, hoc est obediendum; aut ad se obfirmándum in dissensu. Hoc dogma à Christo, & Apostolis acceptum omnis semper Orthodoxa, Antiquitas est professa, ut clarissimis testimoniis extantium dudùm Patrum evincitur: quibus nunc unum juvat addere vetustissimum, sed postquam diù latuit, nuper admodum productum. Excripsi ante hos paucos menses ex antiquissimo Græco Codice, & Latine reddidi septem Libros Asceticon S. Macarii Magni, primi, & intimi Discipulorum S. Antonii Magni, & ab eo præpositi regendis, & docendis quinque Millibus Monachorum, ad discendam, & exercendam Asceticam disciplinam in Cœnobium Pispiritanum convenire solitorum. Ex hoc Opere caput tertium Libri septimi sic ad verbum habet: *Ut Adversaria Potestas, sic Divina Gratia, hortatoria non necessitatis inductiva esse ostenditur: ut verè nobis libertas, & nostri potens arbitrium servetur. Inde est cur eorum quæ Homo inductus à Satanâ perpetraverit mala, non à Satanâ potiùs exigantur pœnæ, quàm ab Homine ipso; ut pote qui non vi adactus, sed propriâ voluntate persuasus, malitiæ assenserit. Similiter autem, & in bono: non adscribit successum sibi, sed Homini, Gratia: & ei propter hoc gloriam apponit: quoniam ipse sibi boni causa fuerit. Neque enim necessitatem inducente vi, ut dictum est, constrictam ipsius voluntatem facit immobilem Gratia: sed etiam cum præsens adest, libero cedit arbitrio: ut manifestetur, quænam sit ejus voluntas: uti se habeat erga virtutem, & Malitiam. Posita quippe lex est, non natura; sed sui compoti Arbitrio, electionis in alterutrum Domino; verti valenti ad bonum, & malum.* Hæc ibi Macarius; quæ & alibi sæpiùs inculcat.

Postrema illa: *Cœnaba cum illo*[3], *& ipse mecum*: Significant, Deum ipsum, ac Christum, quæ caritas ipsius in Homines est, conversione Peccatorum delectari; & miras illis in ipsa pœnitentiæ amaritie consolationum intimarum suavitates ministrare. Hæc est mutua illa tum intrantis Christi tum admittentis eum Hominis *Cœna*.

℣. 21 Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in Throno meo: ſicut et ego vici, & ſedi cum Patre meo in Throno ejus.

℣. 22 Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Civitas Laodicia nomen habet Græcum ductum à λαὸς *populus*, & δίκη *judicium*. Unde formatur verbum λαοδικεῖν, quod valet: *jus dicere in Populo*. Id fit à Judice in Throno reſidente; ſummus omnium Judex Chriſtus eſt Act. x. 42. Joan. v. 22. Hujus Throni conſeſſum ſecum, ut Generaliter ſectatoribus ſuis promiſit Chriſtus Mat. xix. ita hic peculiariter Laodicenſibus cum alluſione ſolita ad nomen urbis ipſorum.

AD CAPUT IV.

℣. 1 Poſt hæc.

NON his ſignificari putandum eſt, quas deinceps referet Joannes oblatas ſibi viſiones, viſas ab ipſo poſteaquam ſeptem Epiſtolas ad Epiſcopos Aſiæ Chriſto dictante ſcripſerat. Hoc enim manifeſtè patet verè dici non poſſe: cum illas Epiſtolas ſcripſerit Joannes apud Patmon, relegatus illùc à Domitiano, poſtquam é dolio fervente Romæ illæſus exierat ante Portam Latinam, quo tempore Hieroſolymitano excidio poſteriore non potuit illi offerri viſio Sequens, ſeptem totis capitibus excidium illud, & totius Judaicæ Gentis tamquam futurum prædicens, ut clariſſimè patebit ex dicendis. Iſtud igitur: *Poſt hæc*, ſignificat conſecutionem ordinis in ſcripto, non ſucceſſionem temporis in viſis, hoc ſenſu: Poſt ea expoſita quæ de ſeptem Eccleſiis mihi revelata, ſunt attexam hîc Libro publicâ editione nunc emittendo, alias viſiones, partim olim viſas, & privatim ſcriptas, nec niſi paucis oſtenſas, vaticinia continentes rerum dum hæc ſcribo diù ante patratarum; partim recentiores Prophetias Eventuum Ocyùs aut ſeriùs multis poſt annis futurorum. Hanc in hoc loco notionem particulæ poſt, ſi quis ſcrupuloſior dubitaret admittere, convincam illum irrecuſabili autoritate ſimilis exempli. Legitur Act. v. Gamalielis ad Judæorum Primores oratio in qua v. 36. hæc habentur: *Ante hos dies exſtitit Theodas dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occiſus eſt, & omnes qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum. Poſt hunc extitit Judas Galilæus in diebus Profeſſionis, &c.* Hæc ibi Gamaliel; duo exempla memorans, quorum prius *ante hos dies* πρὸ τούτων ἡμερῶν hoc eſt memoriâ recenti, eo ipſo quo hæc dicebantur anno

(is erat octavus decimus Tiberii) contigisset. Et revera contigit teste Josepho, cujus hæc sunt verba cap. v. lib. XVIII. Originum; *Interea ne Samaritani quidem tumultu caruere; concitavit enim eos impostor quidam pro nihilo ducens mendacium, omnia comminiscens ad plebis gratiam, jubens ut convenirent in Montem Garizim apud eam Gentem sanctissimum, asseverans se illic eis ostensurum sacra vasa refossa quæ ibi Moyses deposuerit. Illi credùli sumptis armis Tirathabam vicum insederunt, expectantes ibi confluentes cæteros, ut magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior Clivum montis occupat equitibus suis, & peditibus: qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis alios fuderunt* (in Græco est ἔκτειναν *occiderunt*) *alios in fugam compulerunt: multos etiam vivos captos abduxerunt, quorum præcipuos, & potentiores Pilatus mulctavit capite.* In horum aut eorum qui ceciderunt in acie numero dux ipse sine dubio fuit, quem diserte Gamaliel fuisse occisum ait. Quin hanc rebellionem ejusque successum eodem quo hæc dicebantur anno gesta in animo hæc loquens habuerit Gamaliel quis possit dubitare? Ac quis non videt quàm verè dixerit: ea πρὸ τύτων τ᾽ ἡμερῶν *ante hos dies* contigisse. Nam quod impostorem illum, quem Josephus non nominat, Theodam vocat, ostendit se, ut Josepho antiquiorem distinctiùs ex notitiâ præsenti perspectam habuisse rem illam totam, quàm Josephum tunc fortè nondum natum, qui longè posteriùs ex monumentis eam in scripta retulit. Hæc cum ita sint quis non videt in his quæ subjungit Gamaliel verbis: *Post hunc* (nempe Theodam) extitit Judas *Galilæus in diebus professionis*, non posse significari ordinem temporis? Est hæc sine dubio *Professio* census actus in Judæâ jussu Cæsaris Augusti à Quirinio, cujus distinctè meminit Josephus Originum lib. XVIII. cap. I. Narrans ibidem fusè Rebellionem Judæ quem Gaulaniten vocat, ortum ex oppido Gamalâ, & cap. sequenti Autorem fuisse ait novæ sectæ dictæ *Galilæorum* unde illum ibi, item ut hîc Gamaliel, *Galilæum* vocat. Igitur ille Judas Galilæus multo antiquior Theodâ fuit, ut sit necessario fatendum, quando Judas post Theodam extitisse dicitur, intelligi debere particulam *post* alio sensu quàm qui primùm audientibus occurrit, nempe, ut Baronius An. Chr. 34. num. CCL. Gagnæus, & Benedictus, & Emanuël Sa citati, nec improbati à Lorino in illum Actorum locum, & à Saliano An. Mundi 4036. num. V. *Post* ibi sit pro *ultrà*, & meram Sermonis continuationem indicet, non autem successionem temporis quâ Theodas qui Tiberii anno 18. rebellans est oppressus à Pilato, antiquior ponatur Judâ Galilæo, qui annis retrò triginta quinque, tempore censûs habiti à Quirinio, sive Cyrino, (ut hunc Lucas appellat Ev. c. II. 2.) rebellaverat. Non me fugit contra hæc opponi posse testimonium Josephi qui lib. XX. Originum refert: sub Cuspio Fado, quem Claudius Cæsar post mortem Regis Agrippæ Procuratorem in Judæam miserat, contigisse rebellionem Theudæ: quem ait: *Persuasisse magnæ vulgi multitudini, ut assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Jordanem fluvium; Prophetam*

enim se jactabat, pollicens sciſſurum se verbo fluvium, & facilem præbiturum tranſitum: talique promiſſione multis impoſuiſſe. At Fadum effeciſſe, ut nihil lucrifacerent ex ſuâ inſipientiâ, immiſſis in eos turmis Equitum, qui ex improviſo irruentes multos interemerunt, multos vivos ceperunt; & in his ipſum Theudam, cujus caput abſciſſum reportarunt Hieroſolyma. Ita ibi Joſephus. Ad hoc tria repono. I. ſi admittatur ut vera hæc narratio Joſephi, nihil ex eâ commodi afferri autoritati Gamalielis. Quin ejus perplexitatem, & incredibilitatem inde augeri: cum manifeſtum ſit, non potuiſſe à Gamaliele diſſerente in numeroſo Procerum conſeſſu affirmari jam patratum, & notum publicâ conſcientiâ Eventum qui ſexto ſeptimove Claudii anno, hoc eſt decennio inde poſteriùs demum contigit: creſcente interim tantò magis abſurditate Orationis poſtponentis in ordine temporis Judæ Galilæi Rebellionem, ſeditioni Theodæ, cum harum prior triginta quinque annis antequam hæc loqueretur Gamaliel fuerit: poſterior decem duodecim ve annis ſeriùs quam hæc dicerentur evenerit. Ajo ſecundò: non inveriſimiliter credi: rem eamdem à Ioſepho in magno interdum Opere dormitante, bis narrari. Idem inquam factum quod ille refert lib. XVIII. Orig. cap. v. accidiſſe imperante Tiberio, & Procurante Iudæam Pilato, cum eo quod narrat capite ſecundo Libri viceſimi Operis ejuſdem. Nam utraque narratio ſatis in rebus convenit, diſcrimine ambarum in hoc ferè aut maximè ſito, quod in priori reticeatur Theudæ nomen, in poſteriorem irrepſerit Fadus Procurator pro Pilato, quod utrumque Hiſtorici aliud agentis oſcitantiæ queat imputari. Dico denique poſſe videri non incredibile, Inſurrexiſſe in Iudæâ tempore Claudii, procurante illam Provinciam Fado, præſtigiatorem ejus ſimilem qui antea ſub Tiberio, & Procuratione Pilati Plebis ſeceſſionem, ibidem non impunè fecerat: eundemque, vel quod paria priori moliretur, vel quod ut quidam ſuſpicantur, illius eſſet filius, Theodam & ipſum fuiſſe nominatum. Sane refert Ioſephus cap. III. lib. XX. Orig. ſtatim poſt ea quæ paulò ante deſcripſi, ſucceſſorem Fadi Tiberium Alexandrum Crucis ſupplicio affeciſſe Jacobum, & Simonem Iudæ Galilæi filios, ejus qui olim agente cenſum Syriæ Quirinio Judæos ſolicitaverat ad defectionem à Romanis: quod & hos videlicet rebus novis ſtudentes deprehendiſſet, quidni ergo potuerit paulò ante ſub Fado Theudæ filius paterno exemplo furere. At longius evagati tandem ad rem noſtram redeamus, concludamuſque: non magis τὸ *Poſt hæc* μετὰ ταῦτα, hoc quem tractamus Apocalypſis loco ſignificare viſionem quam hoc quarto capite Ioannes incipit referre, fuiſſe ipſi oblatam poſteriùs illâ quam tribus primis capitibus expoſuit: quam illo cap. v. Libri Actorum τὸ *Poſt hunc* μετὰ τοῦτον ſignificet, ſeditionem Iudæ Galilæi poſteriorem ordine temporis Theodæ rebellione fuiſſe. Quod ſi quis quærat: quando ergo viſum deinceps deſcriptum oſtenſum Joanni fuerit? Reſpondeo, neceſſariò dicendum, id oportuiſſe factum antequàm perpetrata eſſet ulla ex iis rebus quæ in eo fu-

turæ præmonstrantur. alioqui enim hæc non esset Prophetia, quæ utique est præsignificatio gerendarum rerum, non descriptio transactarum : nec conveniret toti Apocalypsi, ac singulis visionibus Libri hujus illa generalis præscriptio in ejus fronte, ac titulo posita: *Apocalypsis Jesu Christi quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri.* quæ inquam oportet fieri, non quæ jam facta sunt, per revelationes huic mandatas libro declarantur. Cum autem hæc quam enarrare incipimus visio à capite hoc quarto ad xi. pertinens Primum eventum signet sub Symbolo Arquitæ insidentis Equum album, promulgationem Evangelij per Judæam inchoatam ab Apostolis die Pentecostes, ut in loco demonstrabimus, oportuit ejus prævisionem die ipso illo Pentecostes fuisse anteriorem. Existimo ergo spatio illo decem dierum, quod à Christi Ascensu in Cœlum ad Pentecosten extendirur, contigisse Ioanni raptum deinceps exponendum, quo aperto sibi Cœlo Christum vidit eò recens appulsum, postquam ad beatum id spectaculum vocatus fuerat voce instar tubæ sonorâ; Christi nimirum ipsius dicentis sibi : *Ascende hùc & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.* Sanè cum plerique Patrum veterum dicant illo mystico *recubitu Ioannis in cœnâ suprà pectus Domini* collatum ipsi fuisse donum speciale Prophetiæ, decuit usum ipsi & experimentum ejus dotis prærogari etiam ante communem illi cum cæteris Apostolis divini Spiritûs allapsum, qui die Pentecostes contigit.

Vidi, & ecce ostium apertum in cœlo.

Continent hæc verba characterem hîc observandum quo insignitur hæc visio supra cæteras, & indicatur eam fuisse omnium primam Ioanni ostensam. Solent interdum Prophetæ signare primum quo à Deo dignati sunt visum, & illud discernere à reliquis. Sic Samuël 1. Reg. cujus libri Autor ipse est, cap. iii. referens revelationem quæ prima ei facta est, ait v. 7. *Porrò Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini.* Sic Osée cap. 1. 2. distinctè notat *principium loquendi Domino in Osée.* Sic denique Ezechiel designatis cap. 1. loco & tempore visionis quatuor Animalium, eam sibi fuisse primam significat dum ait : *Aperti sunt cœli & vidi visiones Dei.* Ad hunc modum Ioannes in fronte solius hujus Visionis de septem sigillis, quatuor Equitibus, & septem Tubis, ponens hæc : *Vidi, & ecce ostium apertum in cœlo*, eam videtur per hoc discriminare voluisse ab alijs, eximiè signando illam, ut, quasi dicam, suam primogenitam, per hoc quod rudi adhuc & inexperto talium, ac propterea miranti, obrigerit. Nam admirationem illud *ecce* innuit : *& cœli apertio* emphasim habet, inchoati posteà subinde iterandi usûs cœlestium illustrationum accipiendarum. Sic Primogenita dicuntur *aperire vulvam* Exod. xiii, 2. Num. viii. 16. Sic terra Genes. iv. 11. dicitur *aperuisse os suum & suscepisse sanguinem Abel*, quia tunc primùm humanum sanguinem effusum hausit, deinde sæpius hausura. Vides causam cur superiùs expositæ

visioni septem candelabrorum, neque à cap. XII. posteà referendæ visioni Mulieris parturientis, aut alijs sequentibus nusquam Ioannes præmiserit apertionem ostij in cœlo. Hoc enim eximiè isti ut primæ & antiquissimæ servabat.

Et vox prima quam audivi tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.

Vocem hanc Christi fuisse, inde patet quod qui loquitur, ostensurum eventura se ait: quod in hujus libri titulo Christo vindicatur ut proprium, illis verbis: *Apocalypsis Iesu Christi quam dedit illi Deus palam facere servis suis*: &c. In mox sequentibus *Ascende hûc*. Observanda est differentia Prophetarum Veterum à Novis. Nusquam ij leguntur intra cœlum admissi. Ezechiëli cœli aperiuntur: sed ut procul videat. Clausus enim adhuc erat humanæ naturæ ingressus Cœli, donec eò Christus post resurrectionem victor invectus, ibi consideret adPatris dextram. Post quod statim inducere ad se illûc in spiritu festinavit dilectum suum Ioannem: uti posteà eódem admisit Paùlum Apostolum, raptum in tertium Cœlum & Paradisum II. Cor. XII. 2. 4. Hæc causa est cur, ut dixi suprà: post Ascensionem oblatum hoc visum censeri debeat; non enim anteà potuit è Cœlo Christus Ioannem vocare, dicens. *Ascende hùc.*

℣. 2. Et statim fui in spiritu.

Tò *Fui* consequenter adjunctum ad præceptum immediatè ante factum illis verbis *ascende hùc*, & ejus executionem exprimens, veram taanslationem & ascensionem indicat, sed *in spiritu* ejus factam; qualis illa Ezechiëlis VIII. 3. *Elevavit me Spiritus inter terram & cœlum, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei.* Unde simili modo se reductum in Chaldæam posteà refert. cap. XI. 24. quo pacto autem fiant ejusmodi translationes *in spiritu*, an *in corpore*, an *extra corpus*, cum Paulus eas expertus se nescire fateatur, II. ad Cor. XII. 3. nos quoque ignorare fas est.

Et ecce sedes posita erat in cœlo, & suprà sedem sedens.

Sessori hujus Throni dum infrà v. 8. benedicitur, ac clamatur Trisagion, quod trium Personarum characterem habet, ut rectè observat hîc Bessonus, datur intelligi, insidere huic sedi Divinam Naturam in suis Tribus Personis subsistentem, quarum secunda humanitati unita etiam Homini Christo partem hujus consessûs dabat.

℣. 3. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis Jaspidis.

Jaspis, יהלם, *Iahalam* Hebraïcè scribitur Exod. XXVIII. 18. quæ vox à rad. הלם *Halam contundere* formatur; inde appellatione ductâ, quod gemma hæc indomabili duritie cuivis confusioni superior sit.

Unde Rabbi Abraham, citatus à Pagnino, eam hanc gemmam eſſe contendit quam Græci *adamantem* vocant. De Adamantibus Plinius lib. XXXVII. cap. IV. *Incudibus hi deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrimque diſſultet, incudeſque etiam ipſæ diſſiliant. Quippe duritia inenarrabilis eſt. Simulque ignium victrix natura: & numquam incaleſcens. Vnde & nomen indomita vis græcâ interpretatione accepit.* Propter hæc Adamas hîc ponitur, aptum utique Symbolum exprimendæ inalterabili Dei naturæ. *Aſpectus* objectivè hîc uſurpatur pro ſpecie aut colore. Sicut Num. XI. 7. pro eo quod in Hebræo eſt כעין הבדלח *Cehein habbedlach*, *ſicut oculus Bdellij*, Vulgatus reddit, *ſicut color Bdellij*. Nam illic *oculus* ponitur, ſicut hîc *aſpectus*.

Et Sardinis.

Hoc eſt gemmæ Sardij de quâ ſuperiùs ad v. 5. cap. III. Hæc ab Hebræis Exod. XXVIII. 17. XXXIX. 10. Ezechiëlis XXVIII. 13. *Odem* vocatur à rad. *Adam*, quæ eſt nomen Naturæ Humanæ, & ipſius locum in Throno habentis, propter unionem hypoſtaticam cum Verbo.

Et iris erat in circuitu Throni ſimilis viſioni Smaragdinæ:

Iris ſignum eſt fœderis Gen. IX. 13. Fœdus porrò duplex eſt, Legale, & Evangelicum, quod utrumque iride ſignificatum legitur: Legale quidem apud Ezechielem cap. I. 28. Evangelicum autem hoc loco. cum hâc tamen notabili differentiâ: quod cum in Iride duo maximè colores extent, rubeus & viridis; in Iride Ezechielis veterem Legem deſignante, igneus color diſtrictæ acerbitatis & terroris index prædominabatur, ut patet ex his Prophetæ verbis: *Vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu, velut aſpectum Arcus cum fuerit in nube in die pluviæ.* In iride autem Ioanni oſtenſâ, ut pote Symbolo Legis Evangelicæ plenæ humanitatis & amoris, eminebat color viridis Smaragdo gemmæ nativus, benignitatis index & illex ſpei.

℣. 4. Et in circuitu Throni ſedilia viginti quatuor: & ſuper Thronos vigintiquatuor Seniores ſedentes.

Viſuro Ioanni quæ pertinebant ad Eccleſiam, Eccleſia ipſa oſtenditur, quæ eſt quædam *Theopolis* Reſpublica cui Deus Homo factus præeſt; cum per ſeipſum inviſibili providentiâ, tum per ſuum Vicarium. Viſibiliter deinde eam gubernant Epiſcopi ad numerum viginti-quatuor redacti, ob. analogiam Principum Sacerdotum Iudaïcorum qui *Ephemeriis* ſive *Vicibus* præerant, ut habetur I. Paral. XXIV. 17. ut autem ex Auguſtino, ad Apoſtolos duodecim quibus Chriſti confeſſus in judicio promittitur, reducuntur innumerabiles alij qui Chriſtum ſpretis omnibus ſecuti ſunt: ita viginti-quatuor Seniores univerſos Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos indicant.

Cir-

Circumamicti veſtimentis albis : & in capitibus eorum coronæ aureæ.

Et color albus veſtium & coronæ capitum aureæ, inſignia regalis Sacerdotii novæ Legis ſunt, quibus id eminet non parùm ſupra Sacerdotium Aaronicum. Illius vis ac ſplendor maximè cernitur in Epiſcopis, qui ſunt primarij præcipuique Sacerdotes.

℣. 5. Et de Throno procedebant fulgura & voces & tonitrua.

Aptè ad reliquam Tragœdiam hoc proſcenium prætenditur terroris ac minarum in contumaces videlicet Iudæos naſcentis Eccleſiæ Perſecutores.

Et ſeptem lampades ardentes ante Thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei.

In hoc toto negotio ſupplicii decreti & irrogati Iudæis Hoſtibus Chriſti apparuerunt eximiè ſeptem Providentiæ Actus aut partes quæ in judiciis de ſceleribus hominum exercita, ea reddunt omni ex parte inculpata, & confeſſione Reorum ipſorum evidentiâ veritatis expreſsâ, uſquequaque laudabilia : Ea ſunt, ut diximus, Sapientia, Potentia, Æquitas, Beneficentia, Patientia, Comminatio, Severitas.

℣. 6. Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.

In inſtrumento ſacrorum Moſaïcorum celebre erat labrum ingens æneum, mare dictum, de quo accuratè differitur Exodi xxx. 18. III. Reg. VII. 23. II. Paral. IV. 2. Hoc pro Symbolo nunc ſumitur ad ſignificandum populum qui Chriſto ex Iudæis crediderat per baptiſmi lavacrum regeneratus ; cujus vitæ puritas pelluciditate aquæ Cryſtallinâ ſignatur.

Et in medio ſedis & in circuitu ſedis quatuor Animalia plena oculis ante & retrò.

Quod in medio & in circuitu ſedis quatuor Animalia fuiſſe dicuntur, ſic intelligendum eſt, ut unum ex illis, nempe illud quod mox *primum* appellat, in ipſis gradibus ſolii ſteterit, proximè admotum ipſi Regi ſedenti. Dicemus ſtatim hoc primum Animal Petrum Apoſtolum fuiſſe, qui quòd Vicarius Chriſti eſſet, & ſupremâ poteſtate, in ſucceſſores etiam tranſmittendâ, præſideret Eccleſiæ univerſæ ac Paſtoribus ejus, intra Dei Chriſti Thronum, cujus vices in terris tenet, & perſonam repræſentat, collocatus cernitur. Cum alia tria Animalia exteriùs à dextris & à ſiniſtris

Thronum ambirent. Porrò de re hâc ſpecie deſignatâ, ut ſententiam meam breviter aperiam, exiſtimo: Quatuor horum Animalium Symbolis exprimi quatuor Apoſtolos qui publicis ſcriptis Eccleſiam primævam illam ex Judaïſmo converſam erudituri & conſolaturi prævidebantur. Hi fuere Primus Petrus, qui Epiſtolam ſcripſit Chriſtianis è Judæâ pulſis in diſperſionem Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, quæ extat. Alter Iacobus cujus item extat Epiſtola ad Eoſdem Chriſtianos Gentis Iudaïcæ diſperſos eâdem perſecutione quæ poſt Stephani necem vehementiùs exarſit, de quâ Lucas Act. VIII. Tertius Matthæus qui Evangelium Hebræis hebraïcè vulgavit. Quartus Paulus cujus habemus hodieque Epiſtolam ad Hebræos per eadem tempora editam. Reliqui Evangeliſtæ, Marcus quidem & Lucas ad uſum potiùs Gentium converſarum aut convertendarum, quàm Eccleſiæ ex circumciſione coalitæ, quam propriè ſpectat hæc viſio, ſcripſerunt: Marcus Romæ Latinè in Latinorum gratiam, Lucas in Aſia Græcè, ut prodeſſet converſioni Gentilium per illas Oras majori ex parte Græcâ linguâ utentium. Unde Paulus Apoſtolus Gentium, Evangelium Lucæ vocat ſuum, ut Hieronymus obſervat libro de ſcript. Eccl. agens de Lucâ. Ioannes denique in uſum Nationis Iudaïcæ ſuum Evangelium non compoſuit: cum illud ſcripſerit & ediderit poſt Hieroſolymam deſtructam, & Rempublicam Iudæorum exciſam. Ergo hi tres in iſtâ ſcenâ non comparent. In alijs tamen viſionibus quæ infra caput hujus Libri duodecimum ponuntur, quoties nominantur quatuor Animalia, res ferè ſemper ad quatuor Evangeliſtas referenda eſt. Ibi enim agitur cum Eccleſiâ univerſali, cui generaliter informandæ tam Matthæus & Ioannes Apoſtoli, quàm Marcus & Lucas Evangeliſtæ dudum erant divinitùs deſtinati, & prædicti per Ezechielem cap. I. juxta unanimem Expoſitionem Patrum. Nec anxiè laborandum eſt in præciſâ definitione numeri quæ in Symbolicis, ut indicatum eſt, ampliationem admittit, ut in duodecim Aſſeſſoribus Chriſti judicantis, & in viginti quatuor ſenioribus paulò ante dicebamus. His addo non de nihilo eſſe quod Scriptores & libri per Animalia figurentur in Symbolicis adumbrationibus. Etenim cum in libris duo ſint, figuræ literarum & tabulæ aut materia ſuper quam expinguntur; utrumque ex animalibus ducitur: nam & commodè characteres exarantur in horum pellibus, quarum ad id uſum non primus excogitavit, ſed frequentiùs & largiùs adhibuit præparatione Membranarum Rex Eumenes, ut ſupra notatum eſt ad v. 17. cap. II. & primæ ab Ægyptiis inventæ literarum formæ à figuris Animalium ſumptæ ſunt ut fusè ac eruditè demonſtrat noſter Athanaſius Kircherus in Obeliſco Pamphilio lib. II. de Inſtitutione & fabricâ Hieroglyphicorum cap. V. & VI. Deinde ut Animalia conſtant Corpore, & Animâ, illo ſub ſenſus cadente, hâc inviſibili: ſic libri è ſignis literarum ſenſibilibus & horum ſignificatu, mente tantum & intelligentiâ cognoſcibili, conflantur. Quod autem hìc additur: *Plena* fuiſſe *Animalia oculis ante & retrò*. Quod plena

oculis dicuntur generalem conditionem cunctorum scribentium attingit: Qui cum audeant profiteri Magisterium generis humani consignando literis unde lecturi doceantur quid sentire ex vero, quid agere probè ac justè debeant, magnum in se officium suscipiunt circumspectandi attentissimè ac considerandi cuncta crebris & acribus attentionibus explorabundæ mentis, id quod oculorum multitudine designatur. Propriè quiddam in Apostolis scribentibus quæ juvarent Ecclesiam Iudaicam innuunt illa duo adverbia *ante* & *retrò*. Debebant enim illi ad fidem de rebus Christi faciendam perpetuò illas comparare cum figuris & vaticiniis earum quæ præcesserant in lege veteri. quod strenuè facere cernuntur Petrus, Iacobus, Matthæus & Paulus in scripturis quibus Ecclesiam ex circumcisione coalitam lactarunt. Nam & hodiè videre est totos illos esse in adstruenda veritate eventuum in Christo spectatorum, per signa, figuras, & præsagitiones aut prædictiones earum perscriptas in sacris libris instrumenti veteris; quod agere, eleganter hic vocatur; *habere oculos ante & retrò*.

℣. 7. Et animal primum simile Leoni.

Indicatur hîc Petrus, Spiritu ardens, & excellens supra reliquos Apostolos, non naturâ, ut Leo supra cæteras animantes: sed electione, & dispositione Christi, qui eum Apostolorum Principem, & suum in terris Vicarium instituit.

Secundum Animal simile vitulo.

Symbolum Bovis convenit Jacobo Authori Epistolæ Laborum tolerantiam eo signatam animali enixè suadentis, & commendantis. Nec dissensit à scripto vita. Nam sive zebedeides hic Jacobus fuit, ut quidam volunt (de quo dicetur aliquid inferiùs) sive alius fratrer domini dictus, ut plures: nobili horum uterque martyrio doctrinam de patientia sancivit.

Et tertium Animal habens faciem quasi hominis.

Hominis facies inter Evangelistas Matthæo tribuitur, quia humanam Christi generationem, & naturam fusiùs explicat. Scripsit is primus & vulgavit in Judæâ Evangelium suum Hebraicè, ut Papias, Irenæus, Origenes, Eusebius citans Pantænum authorem, Hieronymus, & alii passim Veterum affirmant: idque factum circa initia Evangelicæ prædicationis in Judæâ, & res ipsa exigit, & Veteres adstruunt.

Et quartum Animal simile Aquilæ volanti.

Hic est Paulus Apostolus raptus in tertium Cœlum, & celeritate strenuissimâ solitus pervolare loca, & Gentes varias. Non omittam hic indicare per transennam, extendi significationem generalem hujus Symboli quatuor Animalium etiam extra quatuor Evangelistas 1. ad quatuor Antiquissimos Ecclesiæ Patriarchatus: quia Patriarchæ Doctores sunt stabiles

ex officio qui ex Cathedrâ Sacra Dogmata, & legitimas expositiones eorum scriptis authenticis quoquo versum per eorum Diœceses missis commissos cuique populos docere debebant. Romanus omnium primus, & maximus per Aquilam signatur Romani Imperii insigne. Hierosolymitanus per Hominem quod Deus homo plerumque Hierosolymis apparuerit, ibidem mortuus. Antiochenus per Leonem in regione degens Leonum feraci, Alexandrinus denique per Bovem quod animal antiqua Ægyptus sacrum habuit. Crediderim etiam quatuor prima Concilia Generalia, quibus parem quatuor Evangeliis authoritatem Sancti olim viri tribuerunt, per hæc quatuor Animalia notari. Nicænum per Aquilam propter sublimem Confessionem divinitatis Verbi: Constantinopolitanum per Bovem: celebratum est enim apud Bosporum sive Bovis transitum, vulgari nomine Damalim sive vitulam dictum. Ephesinum per Hominem. in eâ enim Synodo contra Nestorii præstigias explicatus est verus modus quo Deus homo factus est per unionem hypostaticam. Denique Chalcedonense per Leonem: indictum enim, celebratum, & confirmatum est authoritate Leonis Papæ. Præterea possunt applicari eadem Symbola quatuor præcipuis doctoribus Ecclesiæ Græcæ, Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, & Chrysostomo; ac totidem Ecclesiæ Latinæ, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio Magno. Sed hæc obiter ἐν παρέργῳ μέρει dicta sunto.

℣. 8 Et quatuor Animalia singula eorum habebant alas senas.

Libri (quod vulgò etiam dicitur) volant: hoc est latè feruntur per manus sub oculos eorum qui callent linguam quâ ii scripti sunt. Lingua ergo cuique Libro sua instar est alæ duplicis, ut enim per geminam alam volucres, sic per communionem linguæ Libri volant. Loci porro, & temporis conditio quibus prima legis Christi promulgatio in Judæâ facta est, regione tunc plenissima Græcis Latinis que permixtis inter Hebræos, qui & ipsi in varias dispersi colonias Græco plerique aut Latino expeditiùs idiomate, quàm proprio utebantur, poscebat, ut quæ de religione scripta ederentur in tres illas statim diffunderentur linguas: ideo non omittebant Apostoli curare, ut sua talis argumenti opera simul Hebraicè, simul Græcè, itemque Latinè legi possent. Pro duabus ergo alis, quot Liber μονόγλωσσ& *Unius Linguæ* habet, Evangelium Matthæi, Epistola Pauli ad Hebræos, aliaque de quibus diximus Apostolorum in usum Ecclesiæ nascentis composita opera, tribus simul linguis exposita senis alis quoquo versum ferebantur. Hujus consuetudinis res omnibus significandas triplici pariter dialecto proponendi, vestigium vides in Evangelio Joannis cap. XIX. 20. ubi titulus Crucis à Pilato Hebraicè, Græcè, & Latinè expositus dicitur. Et infra cap. IX. Libri hujus v. 11. nomen Angeli Abyssi Regis Locustarum, hoc est, Zelotarum, & Sicariorum urbem Hierosolymorum sæviissimè infestantium, tribus iisdem pariter linguis exprimitur.

Et in circuitu & intus plena sunt oculis.

Præter quæ dixi de oculis ad v. 6. hîc obsérvetur, non in cute tantum, sed intus quoque multis instructa fuisse oculis hæc Animalia. Id significat, & arcana mentis sancto aflatæ spiritu lumina quibus Librorum Canonicorum Authores dum eos scriberent illustrabantur, & profundos, ac mirabiles in scriptis istiusmodi latentes sensus: quæ ideò superficiariè legere non sufficit, sed opus est præterea scrutari, & in iis meditari die ac nocte, ut dicitur Joan. v. 39. Ps. 1. 2.

Et requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens qui erat, & qui est, & qui venturus est.

Dei glorificatio quæ voce viva fit necessariò cessat perorante illo qui loquitur: quæ vero mittitur in literas indesinenter viget, ubique, semper, noctu, per dies, Libri negotium suum agunt, docent, monent, Deum laudant. Hoc puto indicari verbis hisce. Trisagium tres Divinas Personas indicat. quæ sequuntur adumbrant Dei nomen Tetragammaton de quo dixi ad v. 4. cap. 1.

℣. 9. Et cum darent illa Animalia gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super Thronum, viventi in sæcula sæculorum.

℣. 10. Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in Throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum.

Fructus lectionis sacrorum librorum est jugis Dei adoratio ab Ecclesia facta, dum enim unus uno alius & alius alio tempore & loco canonicas scripturas Dei magnitudinem & potentiam prædicantes legit, & hinc ad venerandum laudandumque Deum movetur, fit ut nulla pars sit diurni nocturnique temporis, locus nullus, quibus non ab aliquo adoretur & celebretur divinum Numen, & sanctissima Trinitas: quæ non ut in Lege à quibusdam tantùm distinctè cognoscebatur, & rarò memorabatur; verùm privilegio legis Evangelicæ, expressè in omni Dei mentione prædicabatur.

Et mittebant coronas suas ante Thronum.

Hoc quidem ad gratam professionem acceptæ à Deo dignitatis, cujus insigne Autori submittunt, pertinet: sed, quod memini me à Bessono audire: innuit præterea ritum Christinanismi proprium, à primis ejus originibus usurpatum, orandi & sacra faciendi detecto capite, id sancit illud Pauli

edictum 1. Cor. xi. 4. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput ſuum.* Et Laïcos & Sacerdotes hæc præſcriptio amplectitur, ut docet uſus perpetuâ traditione in hunc diem perductus; characterem novæ legis habens. Nam Sacerdotibus Aaronicis contrà præceptum fuerat Levit. x. 6. *capita veſtra nolite nudare.* Gentilium quoque Flamines operto vertice ſacris ſuis operabantur, quod innuit Heleni monitum Æneæ. lib. iii. Æneid. *Quin ubi....*

-poſitis aris jam vota in littore ſolves,
Purpureo velare comas adopertus amictu.

Cujus ritûs cauſas vide, ſi tanti eſt, exquirentem Plutarchum in lib. quæſt. Rom. qu. x.

Dicentes

℣. 11. Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant (in græco ἐισὶ *ſunt*) & creata ſunt.

Cum dicit *Deus noſter* videtur peculiariter indicare verbum Humanitati unitum: ut in illis Pſalmi lxvi. 8. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*: ubi cum tres Perſonæ numerentur, ſoli ſecundæ *noſter* additur; quamquam propter mediatam ſaltem (ut ſcholæ loquuntur) Naturæ divinæ tribus perſonis communi cum Humanitate ἕνωσιν *unitionem* (vulgò *unionem* dicimus) rectè etiam poſt Incarnationem, Deum dicere *noſtrum* poſſumus. quod dicitur Deus dignus accipere *virtutem*, græcè δύναμιν ſignificat, dignum eſſe illum qui prædicetur omnipotens: quem titulum præcipuè meretur ob creationem rerum omnium ſtatim poſt memoratam: in quâ eſt præcipuus titulus debitæ Deo Mundi conditori Religionis.



AD CAPUT V.

℣. 1. Et vidi in dexterâ ſedentis in Throno librum ſcriptum intùs & foris.

LIBER, βιβλίον, non ut plerumque hodiè multis foliis invicem aſſutis conſtat; ſed unicum more veteri folium erat macrocolum Membranæ in ſe ipſam involutæ; quod inde *volumen* dictum. Non ſolebat in eo ſcribi niſi in interiori facie. Tamen cum abundabat materia, interdum à tergo quoque ſcribebatur, ut de quadam Tragœdiâ inſulſi Poëtæ Iuvenalis memorat Sat. 1.

plenâ jam margine libri
Scriptus & á tergo, nec dum finitus Oreſtes.

Id maximè uſuveniebat in Excerptis & Commentariis Eruditorum ad uſum privati ſtudii congeſtis: qualium Plinius ſenior juniori fratris filio magnam reliquit molem, ut hic teſtatur. lib. III. Ep. v. ſic ſcribens, *Hac intentione tot iſta volumina peregit; Electorumque commentarios centum ſexaginta mihi reliquit; Opiſthographos quidem & minutiſſimis ſcriptos*, &c. Opiſthographus græca vox ſonat à tergo ſcriptum: quale & hoc Ioanni viſum volumen erat. Eo porro univerſa litis acta coram Dei judicio in causâ Iudaïcæ gentis allegata, unà cum ultimâ ſupremi Iudicis ſententiâ irrevocabiliter firmatâ, continebantur.

℣. Signatum ſigillis ſeptem.

Signis aut ſigillis muniuntur ſcripta, & autoritatis & ſecreti causâ. Ad ſecretum ſatis erant ſigilla duo vel tria, ſed ut huic decreto commendando ad fidem & reverentiam, quæ ſumma eſſe putatur in rebus humanis, ſolemnitas adhiberetur, ſeptem hic liber teſtimoniis ſigillorum totidem firmandus viſus eſt, ut nihil ei minus ineſſe irrevocabilitatis ac cujuſdam majeſtatis putaretur, quàm quæ ſumma Teſtamentis apponi cenſetur per teſtes ſeptem.

℣. 2. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magnâ: quis eſt dignus aperire librum & ſolvere ſignacula ejus.

Adjunctum *fortis* appoſitum *Angelo* indicat hunc fuiſſe Gabriëlem, cujus nomen ex Hebræâ origine valet *Fortitudo Dei*: Decebat autem hunc iſta proclamatio, denuncians: arcana divinitatis non niſi per Chriſtum enunciari hominibus poſſe; quod ad

conciliandam venerationem valebat plurimum; tum etiam ad cõmendandam Incarnationis utilitatem: quare id promulgare ad eum potiſſimùm attinebat, qui Miniſter hujus myſterii præcipuus eſſet electus. Id autem ille manifeſtat per interrogationem quæ confeſſionem cunctis exprimeret præſtantiæ ſupra ipſos Chriſti.

℣. 3. Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum.

Fateri ex infirmitatis conſcientiâ coguntur & Angeli & Homines & dæmones, inſufficientes eſſe ſe ad introſpiciendam latentem in hoc libro juſtam voluntatis divinæ ſententiam.

Neque reſpicere illum.

In græco eſt βλέπειν, quod eſt cominus videre, ex eâ ſcilicet vicinitate quâ legi poſſent, ſaltem quæ in tergo & exteriori ſuperficie exarata cernebantur. Nam ut dictum eſt, ſcriptus Liber erat intùs & foris, cum alioqui & Ioannes & alij præſentes volumen procul oſtentatum aſpicerent.

℣. 4. Et ego flebam multùm quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum.

Non ſolùm ex innatâ humanis mentibus curioſitate noſcendorum arcanorum; ſed & ex inditâ ipſi divinitùs opinione ingentis operæ pretii ex iſtâ notione proventuri, movebatur Ioannes ad ardens deſiderium cognoſcendi commiſſam huic libro ſententiam; cujus cum nulla facultas offerretur, irriti deſiderii dolorem largo teſtabatur fletu.

℣. 5. Et unus de Senioribus dixit mihi, ne fleveris: Ecce vicit Leo de Tribu Juda, radix David, aperire Librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.

Quod ſibi dictum hic Joannes refert, id eſt quod ipſe ſcripſit in Evang. cap. 1. 18. *Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit.* Meſſias Chriſtus Dei filius, Homo factus ex Tribu Juda cujus Leo inſigne, ex Jacobi Prophetia Gen. XLIX. 9. & ex ſtirpe David juxta promiſſiones, unus idoneus adeſt reſignandis divinæ mentis arcanis, quorum eſt intimè conſcius, æternus hoſpes ſinûs paterni, ubi ea concepta, & nata ſunt. Radix interdum paſſivè ſumitur pro ſurculo ex radice pullulante. Sed hîc de induſtriâ videtur ambiguè poni ad amplectendum utrumque ſenſum Chriſto convenientem propter geminam naturam, ut enim qui vulgò audiebat, & verè erat ſecundùm naturam Abrahami filius, idem tamen de ſe prædicavit Io. VIII. 59. *Amen amen dico*

vobis

vobis, antequam Abraham fieret ego sum: ita idem respectu Davidis, & germen est ex ejus stirpe quà homo; & radix ejusdem Davidis, hoc est principium, autor, & conditor ipsius utique creator omnium Deus.

℣. 6 Et vidi, & ecce in medio Throni, & quatuor Animalium Agnum stantem tamquam occisum.

Christus sæpè in hoc libro, tamquam proprio nomine Agnus appellatur: quo vocabulo à Joanne præcursore dum indigitaretur vocatus est. Io. 1. 29. Inest autem tali appellationi emphasis sacrificii proptiatorii pro peccatis, quorum Christus in Cruce moriens meruit remissionem. Ideò hîc apparet, *tamquam occisus*. Difficultas autem in eo est, quod qui videtur, *tamquam occisus*, non jacens tamen, qui verus *Occisi* situs fuit, sed *stans* cernitur; nimirum illa similitudo necis restans in resuscitato immortaliter vivente, in vulneribus apertis, relictis in glorioso jam corpore consistit. Vidit ergo Ioannes Christum viventem quidem vitâ beatissimâ: cæterùm hiantibus adhuc in eo plagis palmarum, plantarum, & lateris, quibus fuerat interfectus: cum quibus vitâ naturali, & mortali non posset vivere. Verus porrò ejus *in medio Throni* locus fuit. cum enim in Throno, ut diximus, Sancta Trinitas resideret: Filium, ut pote medium inter Patrem, & Spiritum, in Throni meditullio locatum oportuit. Hic obiter dissolvenda Quæstio est: An Christum hic viderit Ioannes in vera Agni formâ? Equidem non puto: quomodo enim figura pecudis quadrupedis *Librum acciperet de manu sedentis in Throno, & illum aperiret, solutis aut* fractis *sigillis septem*: ad quæ nemo non videt opus esse digitis, & manibus humanis. Apparuit ergo tunc Christus in sua humanâ formâ, sed qualis post resurrectionem se videndum obtulit, manibus, pedibus, & latere perfossis, adhuc hiantibus plagis, cum qualibus vitâ mortali nequivisset vivere: quod ipsum argumentum est excludens veram, & naturalem agni quadrupedis figuram, quomodo enim in hâc, plagæ manuum pedum, & lateris apertæ potuissent conspici? Nec favet aliter opinantibus mentio subsequens *septem cornuum*. Nam radii lucis in vultu Moysis extantes *cornua* vocabantur (unde cornuta dicitur Moysis facies Exod. xxxiv. 29. 30.) cum tamen vera cornua non essent. Ita ergo nunc Ioannes Symbolis quibusdam mysticis, quæ ille *cornua*, & *oculos*, ob aliquam cum istis rebus speciei similitudinem vocavit; intellexerit, residere in Christo, ut vero Deo septem actus sive partes Providentiæ divinæ gubernatricis mundi, quas istis septem spiritibus signari superiùs diximus cap. 1. 4.

Habentem cornua septem, & oculos septem; qui sunt septem spiritûs Dei missi in omnem terram.

Cum sententiæ judicialis hoc Libro contentæ Autor Christus fuerit cu

omne judicium Pater dedit : Judici constituto vivorum, & mortuorum. Io. v. 22. Act. x. 42. oportuit eum in illâ ritè ferenda adhibere omnes partes, & actus judicialis providentiæ. Hæ sunt, ut antea dixi, septem. Sapientia, Potentia, Æquitas, Beneficentia, Patientia, Comminatio, Severitas. Has ergo in eo fuisse, duplici Symbolo declarat, septem cornuum, & septem oculorum. Cornu potentiam, oculus scientiam indicat. Septem autem hæ dotes ad alterum horum Attributorum, ut patebit applicanti, reducuntur. Addit postremò : eosdem esse *septem Spiritus Dei missos in omnem terram*, quod significat, eodem tenore procedere, & iisdem hisce partibus absolvi omnia Dei judicia quæ ubivis terrarum quandocumque exercentur, aut in homines singulares, aut in nationes, Regna, Respublicas, Civitates.

℣. 7 Et venit, & accepit de dexterâ sedentis in Throno Librum.

Accepit Filius à Patre : accepit autem non precariò, sed jure sibi parto ex æqualitate, ac consubstantialitate cum Patre.

Et cum aperuisset Librum.

In Græco est καὶ ὅτε ἔλαβε hoc est : *& cum accepisset.* Sicque legunt MS. MS. nostra quatuor. Puto tamen non defuisse olim exemplaria quæ aliter haberent, ex quorum numero fuerit id quo Vulgatus est usus. Certè Noster Alcasar ad hunc locum se vidisse unum ait in quo clarè scriptum extaret καὶ ὅτε ἤνοιξε *& cum aperuisset.* Dicet aliquis : apertionem sigillorum singillatim ex intervallis factam infrà distinctè memorari, quomodo ergo jam nunc resignatus, & apertus liber dicitur ? duplex ad hoc responsio est. Primùm potest dici : Christum ad usurpandam primo ipso actu, quâ se præditum monstrare volebat, potestatem, accipiendo librum omnia simul ejus sigilla resignasse, at statim post iterùm clausisse. Deinde licet etiam existimare, ita sumptum ab eo Librum, ut ipso gestu, ac vultu certam spem faceret, sese mox aperturum volumen, & septem signacula revulsurum : quo nomine ab Ecclesiâ meruerit gratiarum actionem, & glorificationem verbis sequentibus expressam.

Quatuor Animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno.

Humili postratione adorantes Divinitatem ejus, libri acceptione, & vel jam tum repræsentatâ, vel in posterum promissâ resignatione declaratam.

Habentes singuli Citharas.

Cuncta ipsa musica instrumenta unius ejus generis speciei mentione indicantur ; & innuitur, Deo gratum esse, cantu etiam figurato, & orga-

nis Symphoniacis adjuto, celebrari: quod à primis sæculis Ecclesia usurpavit, exemplo usa Synagogæ, quam paria egisse, & Psalmorum, & aliorum Canonicorum voluminum loca innumera testantur.

Et Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

Erat in Templo Hierosolymitano, sicut & antea fuerat in Tabernaculo Fœderis, Ara posita ante velum intimi Adyti, quod vocabatur *Sancta Sanctorum*, ubi erat Arca; super quam putabatur peculiari præsentiâ residere Deus sedens super Alas Cherubim, ex quâ Arâ, prunas semper vivas intùs habente, continuò evaporabant per textum veli transpirantes fumi thymiamatis peculiari compositione mixti ex stacte, onycha, galbano, & thure, æquali pondere tritis, & confusis, prout præscribitur Exod. xxx. à vers. 34. quo pulvere Sacerdos è Vice tunc ministrante forte lectus, ut significatur Luc. 1. 9. Phialam, ut hic dicitur, auream thymiamate plenam habens, effundebat eam in Aræ prunas. Hæc non fuit ex illis cerimoniis quas retinere in Ecclesiâ voluit Christus. Thuris enim solius usum ex traditione Apostolicâ Sacris Christianis adhibitum videmus; non autem Mosaici thymiamatis; cujus sola mystica significatio retenta est: ideò hic illis verbis expressa: *quæ sunt orationes Sanctorum.* Sacerdotes nimirum Nostri dum sacrificant offerunt Deo vota Populi cui præsunt; ita exequentes quod figurabat effusio thymiamatis in prunas Aræ memoratæ Sacerdotibus Aaroniis præscripta.

Et cantabant canticum novum dicentes: Dignus es Domine accipere Librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo, ex omni Tribu, & linguâ, & populo, & natione.

Canticum hoc novum vocat, quia ante incarnationem vitam, & mortem Christi id cantari non potuit. Prævidere Hominem Deum Emanuëlem futurum Patriarchæ, & Prophetæ potuere, speratum que ejus adventum desideriis, & canticis celebrare: non potuerunt autem applaudere triumpho ejus jam mortis victori per resurrectionem, jam in Cœlos recepti, & considentis ad Patris dexteram, quod nunc quatuor Animalia, & vigintiquatuor seniores faciunt. hoc Apostolis, & Sacerdotibus Christianis non aliis priùs, quam ipsis licuit. Unde hoc canticum meritò vocatur *Novum.* Quod addit *Dignus es*, &c. *Quoniam occisus es*, congruit cum illis Christi verbis Luc. xxiv. 26. *Oportuit hæc pati Christus, & ita intrare in gloriam suam.* Talem autem necessitatem, non ex rei naturâ, sed Christi ipsius electione illi fuisse impositam, declarat Paulus ad Philipp. ii. 6. Significans Christum titulo solius unionis hypostaticæ jure optimo po-

tuisse, & redimere sine labore ullo humanum genus, & dotes omnes, ac Gloriam Dei naturalem filium decentem gratis sumere: maluisse autem ea promereri laboribus, & nece ultro toleratâ; qui etiam sensus est illorum verborum Ad Hebr. XII. 2. *qui proposito sibi gaudio* (in Græco est ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς hoc est, vice parati, & oblati ultrò ipsi gaudii) *sustinuit Crucem confusione contemptâ.*

Denique adjunxit: *redemisti nos Deo ex omni Tribu, &c.* in quibus est alia novitas cantici. Numquam enim Synagoga sic cecinit. Hæc Dei promissiones suæ uni Nationi opinabatur addictas, nec mentionem ferè ipsam communicandi eas aliis quoque Gentibus ferebat. satis porrò propriè positum est illud: *redemisti nos Deo.* A Dei enim antiqui Domini servitio alienati per peccatum fueramus: sic redacti sub tyrannidem Diaboli, qui peccatum suadendo nos sibi subjecerat; donec persoluto suæ mortis pretio Christus ab eâ servitute liberatos priori nos Domino Deo reddidit.

℣. 10 Et fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram.

Quæ versû priori dicta sunt ad omnes Fideles pertinent: quæ hoc dicuntur propriè spectant Sacerdotes Novæ legis secundum Ordinem Melchisedech Regis Salem, Regia, & ipsos à Deo potestate, hujusque insignibus, ornatos. Tria è quatuor Græcis MS. MS. pro βασιλεύσομεν *regnabimus* legunt βασιλεύσει *regnabunt.*

℣. 11 Et vidi, & audivi vocem Angelorum in circuitu Throni, & quatuor Animalium, & Seniorum: & erat numerus eorum millia millium.

Concinunt Hominibus Angeli in Christi laudes. Hi exteriùs ambiunt cœtum Sanctorum, uti ad ejus custodiam ordinati. pro *millia millium* in Græco, μυριάδες μυριάδων, quod sonat, *decem millia, decem millium,* multitudinem quasi innumerabilem designans.

Dicentium voce magnâ.

℣. 12. Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & divinitatem.

Pro *divinitatem* græcus originalis cõtextus constantissimè in omnibus quà editis quà scriptis manu exemplaribus exhibet πλοῦτον hoc est *divitiat.* quod nomẽ hîc initio fuisse positum ab Interprete Vulgatæ Autore credibile videtur: sed id à quodam Amanuensi, quem multi alii secuti sint, fuisse in *divinitatem* mutatum. Non enim omnia omninò menda è Bibliis Latinis ablata sunt per Censores Romanos, prout etiam ipsi monuerunt. Cæterùm hæc

qualiscumque lectio, ut jacet, nihil præfert, quod non in sensum satis commodum exponi queat. Non enim ait Christum morte sponte tolerandâ meruisse *accipere divinitatem*, quâ priùs caruisset; sed dignum per hoc factum cujus antea latens, aut paucis tantum nota divinitas, celebri per orbem prædicatione vulgaretur. Nec abhorret talis loquendi modus à populari etiam usu quo personis claritate natalium aut Magistratu illustribus, celsitudo, Eminentia, vel Excellentia dicitur tribui, quando hisce vocabulis compellantur. In quam etiam sententiam intelligi quæ sequuntur, debent.

Et sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

℣. 13. Et omnem creaturam quæ in cœlo est & super terram & sub terra; & quæ sunt in mari, & quæ in eo; omnes audivi dicentes: sedenti in Throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum.

Parallela his sunt illa Pauli ad Philipp. II. 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur Cœlestium, terrestrium, & Infernorum.* Hoc loco tantùm superadditur maris mentio. In quâ notanda est aliqua in Originibus diversitas; Nam græca lectio hæc est: καὶ ἐπὶ τῆς θαλάσσης ἅ ἐστι, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς: *Et super mare quæ sunt, & quæ in ipsis.* Unum è nostris MS. MS. quatuor addit πάντα sic exhibens verba ultima καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς *& cuncta quæ in ipsis.* Puto per ea quæ sunt super mare signari Insulas: & illa extrema *& quæ in ipsis* referri communiter ad cœlum, terram, mare & inferos.

℣. 14. Et quatuor Animalia dicebant: Amen.

Libri sacri & Ecclesiæ comprobant glorificationem Christo tributam: docentes illum verum Deum simul & Hominem esse, ac morte suâ vere redemisse genus humanum: perque id novo titulo meruisse tum cæteram gloriam, tum potestatem judicandi quam nunc erga gentem Judaïcam exercere incipiat sumptione libri hujus, & apertione sigillorum ejus.

℣. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

Ritus adorandi sæpissimè signatus in scripturis, hîc exprimitur. Hinc quia adoratio præmitti orationi solet; Ieremias in Threnis III. 29. de Christo dicit dum oraret in horto ante Patrem prostrato: *ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes* impetrandi nempe translationem calicis quam sub conditione petiit: ac quando vidit aliud Patri placere, generosè calicem ex-

hausit, quod Propheta indicans subdit continuò : *Dabit percutienti se maxillam : saturabitur opprobriis.*

AD CAPUT VI.

℣. 1. Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis.

IN Græco legitur καὶ εἶδον ὅτι ἤνοιξε, *Et vidi quando aperuit* sed vulgatus videtur olim legisse ὅτι ἤνοιξε, commodiori quam rectè extulit sententiâ. Diximus isto volumine comprehensam fuisse totam seriem calamitatis imminentis Iudaïcæ genti. Eam Christus revelare voluit Ecclesiæ suæ per Ioannem ; sed non explicando eam totam simul : at cum successione & per partes. Ideò dicitur hic liber obsignatus sigillis septem qui sunt quasi septem Actus Magnæ Tragœdiæ scenis valde variis sibi invicem successuris exhibendæ. Ideò hæc sigilla non nisi ordine inter ipsa servato, & interpositis intervallis resignantur. Primi apertione, de quâ hîc agitur, prædicta est promulgatio Evangelii per Iudæam, quæ spreta & repulsa ab Hebræis occasio illis & causa cladis extremæ fuit : prout ipse Christus antea denunciaverat, quando ut refertur Luc. XIX. 41. *Cum appropinquasset Hierusalem videns civitatem flevit super illam dicens : quia si cognovisses & tu & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. quia venient dies in te & circumdabunt te inimici tui vallo & circumdabunt te undique : & ad terram prosternent te & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem : eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Visitatio hæc fuit oblata benignè Judæis occasio expiandi horrendi sceleris quod perpetraverant interficiendo Christo, cujus venia ipsis spondebatur ab Apostolis post Spiritûs sancti Adventum prædicantibus, si credere in Christum, & baptismo susceptо in ejus Ecclesiam vellent ingredi. Propterea hîc ante omnia illa Apostolorum prædicatio per sessorem Equi albi significata præmittitur.

Et audivi unum de quatuor Animalibus.

In apertionibus quatuor primorum sigillorum nominantur quatuor Animalia, per quæ diximus significari quatuor Apostolos qui nascentem ex circumcisione Ecclesiam scriptis peculiariter juverunt : sed ea cum primo memorata sunt, non eodem ac nunc ordine dispositа reperiuntur. Nam quod primùm hoc loco numeratur Animal, eos ex adjunctis characteres habet qui Vitulo potius, secundo illic loco posito, quàm Leoni, primam ibi tenenti sedem, quadrent. Ergo credibile arbitror dignitatis in mentione

primâ ſervatum ordinem : In hâc ſecundâ ſolius temporis quo libri per hæc ſignificati Symbola , ſunt editi. Petrus igitur illic numeratus eſt primus propter eandem rationem ob quam , ut ibi monuimus , ſtatio ipſi in intimo ſolii ſinu , eximiè tamquam Chriſti Vicario data eſt ; ad demonſtrandam , inquam , Principis Apoſtolorum ſupra cæteros eminentiam : Hoc autem loco primum Animal Jacobus ponitur : quia cum ea res gereretur quæ primi ſigilli apertione ſignatur , ille primus omnium Epiſtolam publicavit ſuam, Catholicam nuncupatam , & inſcriptam *duodecim Tribubus quæ ſunt in diſperſione.* Hanc diſperſionem non video quam aliam intelligere veriſimiliùs queamus ab eâ cujus meminit Lucas in Actis cap. VIII. 1. *Facta eſt* (inquiens ſtatim poſt mortem Stephani) *in illâ die Perſecutio magna in Eccleſiâ quæ erat Ieroſolymis : & omnes diſperſi ſunt per Regiones Iudææ & Samariæ , præter Apoſtolos.* Nec obſtat quod diſperſi ad quos ſcribit Iacobus, ex duodecim Tribubus fuiſſe dicantur : cum Ieroſolymitani ad Tribum Judæ aut Benjamin ſolas pertinere viderentur. Nam aliunde ſcimus in Judæâ , qualis erat Chriſti tempore , multos ex aliis quoque decem Tribubus fuiſſe : qui videlicet ex captivitate Aſſyriâ , privatim ſibi conſulentes , eò redierint. Itaque ipſe Ioannes capite ſequenti ſignatos , hoc eſt Chriſtianos ex Iudæis Apoſtolorum prædicatione factos , ut ibi dicemus , enumerans , diſtinctè omnes duodecim percenſet Tribus. Ad Chriſtianos igitur poſt Stephani necem ingraveſcente perſecutione diſperſos ſcribitur à Iacobo Epiſtola , unde tempus ſcriptionis ejus infertur ; cum enim Stephani cædes ſub finem anni Chriſti XXXIV. contigerit , & ſub initium trigeſimi quinti diſperſio contigerit , aliquot poſt menſes eodem anno , conſolari animareque ipſos Jacobus eâ Epiſtolâ cutaverit : cujus ſcribendæ ea illi peculiaris fuiſſe occaſio videtur ; quod circa id tempus ipſius in Hiſpaniam contigit profectio: cui priuſquam ſe accingeret , voluerit Catholicâ Epiſtolâ vulgandâ quaſi ſupplementum relinquere curæ ac diligentiæ in juvandis ſuis Tribulibus Chriſtianis , quam ex vicinià Hieroſolymis reſidens cum Apoſtolis cæteris impendere potuiſſet , à quo per longinquam peregrinationem providebat ſe deinceps arcendum.

Dicens : tamquam vocem tonitrui , veni & vide.

In his apparet verbis ille quem dixi character primum hunc in ſecundâ enumeratione Animalium locum Iacobo fratri Ioannis vindicans. Nempe huic tribuitur *vox tonitrui* quæ haud video quò referri rectiùs poſſit , quàm ad nomen Zebedæi filiis , cum ad Apoſtolatum vocarentur , à Chriſto impoſitum *Boanerges* , hoc eſt *Filiorum tonitrui* , ut Marc. III. 17. habetur. contra hæc ſtatim è diametro incurrit vulgaris opinio , quæ Iacobum Minorem, vulgò dictum fratrem Domini , hujus Epiſtolæ autorem facit. Scio ultrò & fateor plurimos & fuiſſe olim & hodie in eâ eſſe ſententiâ: precor tamen prudentem Lectorem ne gravetur advertere animum ad hæc quæ mox refero. Extat antiquiſſima Syriaca interpretatio Teſtamenti novi , cujus in

Exemplaribus duobus: quorum alterum Ferrarius noſter Prolegomeno in hanc Ep. III. ex Vvidmanſtadio memorat; alterum Lorinus item noſter, cap. III. Præf. ex Tremellio. titulus Epiſtolæ Catholicæ Iacobi hic præfixus extat: *In nomine Domini noſtri Ieſu Meſiach ſigillamus tres Epiſtolas, Iacobi, Petri, Ioannis: iſti ſunt qui teſtes fuerunt ſuper revelatione Domini noſtri quando immutavit ſeipſum coram oculis ipſorum in monte Thabor*: Sixtus III. in Tractatu de Doctoribus & operibus fidei, dum citat ex hâc Epiſtolâ teſtimonium, appellat autorem ejus *tertium dominicæ gloriæ teſtem electum*: Sic manifeſtè monſtrans exiſtimare ſe illam ſcriptam à Iacobo Zebedæi uno è Tribus Apoſtolis à Chriſto electis ut teſtes eſſent ſuæ in Monte Thabor Transfigurationis. S. Iſidorus in libro de vitâ & morte Sanctorum, cap. LXXIII. Iacobi filio Zebedæi, fratri Joannis, qui quartus in ordine Apoſtolorum numeratur, nempe poſt Petrum, Paulum, & Andream, quique prædicaverit in Hiſpaniâ, & ab Herode occiſus ſit, hanc diſertiſſimè attribuit Epiſtolam ad Tribus duodecim in diſperſione verſantibus ſcriptam. In officio Gothico, ſive Mozarabum, quo plurimæ olim Hiſpaniæ Eccleſiæ utebantur, in Liturgia propria Iacobi Majoris Ioannis fratris, & Hiſpaniarum Apoſtoli, citantur tria teſtimonia ex hac Epiſtola 1. ex cap. 1. 6. ſecundum ex cap. 1. 12. Tertium ex cap. 5. quæ omnia ei cujus ea eſt Liturgia, qui ad Tribus XII. ſcripſerit, attribuntur. In vita S. Majoli Abbatis Cluniacenſis à coævis Autoribus ſcripta pag. 673. Tomi II. Actorum Maii, narratur; illi ſancto Abbati poſtquàm ſolicitè oraſſet pro Monacho ejus itineris comite qui peregrè in graviſſimum morbum inciderat, in ſomnis vidiſſe *virum canitie reverendum*, & ab eo audiviſſe: *quid ignavo mœrore deprimeris? quid à memoriâ excidit quod frater meus Iacobus de infirmitatibus præcepit*: Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, &c. quo audito exurgens B. Majolus oleo ſacro unxit Infirmum, qui ſtatim plenè convaluit. Hæc ibi. pronum creditu eſt *virum illum canitie reverendum* fuiſſe S. Ioannem Apoſtolum qui ſic ſuum fratrem declaraverit Epiſt. cath. autorem. Præterea Dorotheus in Synopſi, Sophronius etiam: denique Oecumenirus in Præf. ſuper Acta Apoſt. dum aſſerunt Iacobum Zebedæi prædicaſſe Tribubus quæ erant in diſperſione, videntur hanc Epiſtolam illis Tribubus inſcriptam prædicationem ejus appellare: ac conſequenter eam ipſi ut autori vindicare. quibus teſtimoniis cum accedat hæc ex libro Apocalypſis conjectura, quis æquus æſtimator non judicet hanc, licet minus vulgarem, tamen haud aſpernandam videri debere ſententiam, quæ à Iacobo Majore ſcriptam Catholicam Epiſtolam affirmat.

℣. 2 Et vidi & ecce Equus albus.

Equus animal velox mutationibus deſignandis aptum Symbolum eſt. Hinc Zacharias Propheta cap. VI. Chaldæorum, Perſarum, & Græcorum Bella ſucceſſioneſque per Equos, Rufos, Nigros, Albos, & Varios figuratas

ratas vidit. Prima mutatio insignis per Judæam post Ascensionem Christi, fuit promulgatio Evangelii, & multorum inde secuta conversio ad fidem. Hæc repræsentatur per hunc Equum album, cui concolor intelligenda est vestis Equitis. Is fuit Christus ipse, ut disertè traditur infra cap. XIX. versibus 11. 12. & 13. & convenit color candidus Dei proprius ex Platone 11. de Legibus. Unde Servius ad illud Eclogæ v. Virgilianæ *Candidus insuetum miratur Lumen Olympi.*

Candidus, inquit, *hoc est Deus.* Alludit his etiam Ioannes ad usum tunc notissimum; & in magnis urbibus quotidianum, Equestrium commissionum, & Ludorum Circi: in quo erant celeberrimæ quatuor Factiones coloribus distinctæ. Russea sive rosea aut rubra; Alba sive Candida, Prasina viroris diluti, & Veneta, seu cærulea.

Et qui sedebat super illum habebat arcum.

De industria hîc subticetur nomen Equitis: quod est, ut infra cap. XIX. 13. dicitur, *Verbum Dei*: Quia etsi promulgationis Evangelii per Iudæam hoc loco prædictæ Christus ipse præsens author extitit; non tamen sensibiliter apparens; sed in suis Apostolis, clàm latens, & per eos loquens. Unde illud Pauli: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* 11. Cor. XII. 3. præter loca ejusdem sententiæ permulta in Actis, & Epistolis Apostolicis: Ubi observandæ, & comparandæ inter se sunt duæ Christi species Ioanni oblatæ: Prior cap. 1. 13. & sequent. quâ Filius Hominis Christus ei ostenditur vestitus podere, præcinctus Zona aureâ, &c. Denique gladium habens ex ore prodeuntem. Altera his expressa quæ tractamus verbis; Equitis candidi innominati tenentis in manu arcum. Prima illa convenit Christo per sese prædicanti dum inter homines viveret: & Doctrinam suam Divinam splendidam, & corda penetrantem per gladium significatam, ex ore mitteret suo. Posterior hæc significat ejusdem promulgationem Doctrinæ, prout facta post Christi Ascensionem in Cœlum est; ab eodem ipso quidem invisibili præsentiâ suos Apostolos, & Discipulos animante, quibus non falsa pollicens dixerat: *Ecce ego vôbiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Mat. XXVIII. 20. Atque hoc ipsum argutè innuit illa ipsa species tenentis arcum. Nam ut Arquita non videtur per se attingere quos ferit: sed per sagittas quæ solæ cernuntur, solæ sentiuntur à patiente vulnus: cum tamen impetus quo volant, collimatio cujus directione collineant, vis denique quâ scuto, loricâ, cute, ac crate pectoris perruptis in cor excipientis ictum intimè penetrant, sint à destinatione, à jactu, ab arte virtuteque vibrantis; quantumvis distare visi, cominus tamen exequentis quod eminus intendit. Porro in hâc allegoriâ, ut Christus Arquitæ gerit imaginem, sic Apostoli per sagittas figurantur. Nec nova in Sacris Scripturarum Symbolis ista repræsentatio est. Vide Isai. XLIX. 2. Ps. XVI. 15. CXIX. 4. CXXVI. 4. CXLIII. 6. Præsertim autem hîc considerare juvat locum è Ps. XLIV. hùc nisi fallor, pro-

priè pertinentem. Illo quippe Pſalmo in forma Epithalamii Chriſti cum Eccleſia, adventus in mundum Filii Dei, prædicatioque ejus primò per ſe, deinde per Apoſtolos, prædicitur, quæ ibi leguntur v. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Spectant Chriſtum inter homines converſantem, edendo virtutum amabiliſſimarum exempla, divinaque eloquentia aures mulcendo, animos imbuendo cœleſtibus documentis. Verſibus inde 4. & 5. quod additur: *accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, prospere procede, & regna*, mutationem indicat in eo factam per mortem, reſurrectionem, manifeſtationem gloriæ ſuæ apparitionibus illuſtribus per dies quadraginta, Aſcenſionem ingreſſumque in Cœlum triumphalem, terminatum conſeſſu ad Patris dexteram, cum exercitio ampliſſimæ omnium poteſtatis in Cœlo, & in terra, & authoritatis judiciariæ ſupremæ in vivos, & mortuos: quæ cuncta his verbis innuuntur: Fit mox tranſitus ad Prædicationem Evangelii per Iudæam inchoatam die Pentecoſtes; eaque his verbis exprimitur: *Deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, Populi sub te cadent in corda Inimicorum Regis.* Hic ſagittæ Chriſti acutæ Apoſtoli dicuntur, quorum Spiritu Divino roborata cœleſtis eloquentiæ vis in corda penetrans Inimicorum antea Chriſti Iudæorum, effecit ut *Populi sub eo caderent*, hoc eſt, pœnitentes conſciti ſceleris eo coram Pilato negando, & Crucifixionem ejus poſcendo, in eum credentes, ipſum ut verum Dei filium procidentes adorarent. Eſt & aliud ad rem faciens in hac figura notandum. Eques iſte Apoſtolos Chriſtum repræſentantes, & Chriſti fidem in Iudæâ prædicantes ſignificans, minantis ſpecie pingitur, arcum utique intentans, & quaſi ejaculanda mox lethali ſagitta terrens. ſingularis nimirum hæc erat Prædicationis hîc prædictæ ratio, ut neceſſariò à minis incipere deberet. Annunciabatur enim per eam Dei Filius, & verus Meſſias Ieſus Nazarenus quem illi ipſi quibus hæc dicebantur omnibus ludibriis traductum occiderant, & eo nomine reos ſe fecerant ſupplicio rum horrendorum, quorum intentato metu moveri ad pœnitentiam debebant, ut *fugerent à facie arcus* (quod ait Pſal. LIX. 6.) & ſic *Liberentur dilecti Dei*: Hoc eſt electi ex gente Judaïcâ, & efficaci vocatione perducti ad fidem in Chriſtum: quibus ob hoc remiſſa eſt iniquitas crucifixionis Chriſti, ipſique peculiari providentiâ liberati ſunt à pœnis graviſſimis quæ alios in perfidia obſtinatos oppreſſerunt: prout declaratur cap. ſequenti, quando Angelis quibus datum eſt nocere terræ & mari, mandatur ne id faciant quoadusque *signentur servi Dei*, hoc eſt, teſſeram certiſſimæ liberationis accipiant Chriſtiani ex Iudæis facti, ab atrociſſimis pœnis in alios decretis.

Et data eſt ei corona.

Negata fuerat à Judæis corona Chriſto quando Pilato Regem illum Iudæorum nominanti Reſponderunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem* Io.

xix. 15. Et postea iterùm quando lecto titulo Crucis à Pilato posito, ei dixerunt: *Noli scribere Rex Judæorum*, &c. Ibid. v. 21. Post mortem quoque Christi, vulgata ejus resurrectione, involventes se sua perfidia, & mentem in contumacia obfirmantes, dederunt pecuniam militibus Resurrexisse Christum testantibus, ut dicerent, furatos esse corpus ejus discipulos ipsius: in quo videtur impletum quod Christus prædixerat in Parabola Prophetica Luc. xix. 12. *Homo quidam nobilis* (Christus Dei Filius) *abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti* (migravit ex hac vita per mortem, resurrexit, & ascendit in Cœlum, initurus illic possessionem regni æterni, & rediturus in mundum, ut & ibi agnoscatur Rex. *Cives autem ejus oderant illum, & miserunt legationem post illum* dicentes: *nolumus hunc regnare super nos.* Hæc erat mens, & voluntas Iudæorum in sua obstinatione perseverantium, quando Apostoli Christi Fidem in Iudæâ prædicabant: à quibus dissentientes ii qui prædicante Petro aliisque ad multa millia conversi sunt, ut passim refertur in Libro Actorum, Christum ut Regem agnoscebant, coronam illi regiam deferentes, quod hic dicitur, *& data est ei corona.*

Et exivit vincens ut vinceret.

Prima hæc ejus in Iudæam expeditio cum certa victoriæ spe, secuto mox experimento, suscepta, fuit illi præludium similis alterius pariter victricis expeditionis in Gentes per orbem sparsas præcipuè, Romanam tunc imperantem. En hujus rei præclarum vaticinium Isaiæ cap. xi. ix. ubi Christus loquens postquam dixit v. 2. *Posuit me sicut sagittam, in pharetrâ suâ abscondit me*, & v. 5. *dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum* (quod effectum habuit in Conversis ad Christum ex Iudæis) *& Israël non congrebabitur* (quod impletum est in credere recusantibus) v. 6. *Et dixi parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob, & fæces Israël convertendas: Ecce dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terræ, &c.* Rudimentum ergo Christo victoriæ de Gentibus, fuit victoria de Iudæis: quos sibi subjecit, non ut in ea natione acquiesceret, præsertim majori ex parte mite jugum recusante; sed ex isto primo triumpho gradum facturus ad majorem. *Exivit vincens, ut vinceret.* Simile quiddam Silius Italicus lib. 1. de Annibale scribit, bellum inferente Saguntinis animo majus inde opus aggrediendi bellando cum Romanis.

Prima Saguntinas turbarunt classica portas:
Bellaque sumpta viro belli majoris amore.

v. 3 Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens, veni & vide.

Secundum animal, congruè ad superius dicta, debet intelligi scriptor

Sacer qui opus ediderit in uſum Eccleſiæ ex Judæis converſæ primus poſt vulgatam à Jacobo ſuam Catholicam. Eſt hic Petrus Apoſtolus : cujus prima Epiſtola inſcripta Electis Advenis Diſperſionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, ponitur in collectione librorum Novi Teſtamenti ſtatim poſt Epiſtolam Jacobi : ordine videlicet temporis Editionis ipſarum. Decuit autem Petrum Apoſtolum intervenire apertioni ſecundi ſigilli, & apparitioni Equi Rufi ſignificantis perſecutionem Eccleſiæ naſcenti à Judæis illatam ; cujus nimirum perſecutionis ipſe furias ſenſit, conjectus in carcerem, & neci deſtinatus à Rege Agrippa, ut narratur Act. XII.

V. 4 Et exivit alius Equus rufus.

Græcè πυρρὸς hoc eſt coloris ignei, qualis eſt prunarum ardentium, qui idem ſanguinis eſt color. Sic coloratus Equus, & Eques accomodatum fuit ſignum indicandæ iræ ſanguinariæ Judæorum exardeſcenti contra eos qui ex Gente ipſorum erant, & in cædes ipſorum crudeliſſimas erupturæ. Prima victima furoris eorum fuit Stephanus, ultima Iacobus minor : intervallo inter utramque cædem annorum duodetriginta.

Et qui ſedebat ſuper eum datum eſt ei : ut ſumeret pacem de terra.

Seſſor hujus Equi fuit malus dæmon concitans invidiam, & iram Judæorum in Chriſtianos ex falſo legis Zelo : unde factum, ut nullo cognationis reſpectu in proximos quoſque furerent. quando evenit illud à Chriſto prædictum Mat. x. 34. *Nolite arbitrari quia pacem veni mittere in terram : non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus Patrem ſuum, & filiam adverſus Matrem ſuam, & nurum adverſus Socrum ſuam : & Inimici hominis domeſtici ejus.* Hujus rei cauſa fuit Malitia Judæorum, & eam inſtigans Diabolus, occaſio innocens Chriſtus, & ejus Sanctiſſima, & ſaluberrima Doctrina. quam ſi recipere, & ei ſe ſubjiceret Jeruſalem, beata pace frueretur. quantum enim in ipſo fuit, Chriſtus, *princeps pacis* verè dictus Iſai. IX. 6. & *pax noſtra*, Ep. II. 14. *Pacem reliquit, pacem dedit.* Io. XIV. 27. Sed Ieruſalem *non cognovit quæ ad pacem ſibi* Luc. XIX. 42. Ultrò ſe condonans cruento Equiti ſanguinei hujus Equi, cui *datum*, hoc eſt, à Deo permiſſum eſt *tollere pacem de terrâ* Iudææ, unde contigit miſerrimam Gentem tragicis diù calamitatibus jactatam, extremo demùm exitio perire.

Et ut invicem ſe interficerent.

Iudæi Iudæos, ut Saulus Stephanum, & Ananus Pontifex Iacobum fratrem Domini ; Ex Ioſepho Originum xx. cap. VIII. Id Chriſtus prædixetra Mat. x. 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & Pater Filium, &c.*

Et datus est ei gladius magnus.

Magnitudo gladii Symbolicè indicat multitudinem interfectorum, quæ ingens fuit, habitâ ratione locorum variorum Iudaicæ ditionis per quæ crudelitas illa grassata est, & longitudinis temporis annorum fere triginta.

℣. 5 Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens veni, & vide.

Ut sciamus quam personam designet hoc tertium animal inquirendum est quis ex Apostolis quatuor, qui Ecclesiam Iudaicam scriptis suis juvarunt, Opus suum tertio loco ediderit post priùs memoratos Iacobum, & Petrum. Hic est sine dubio Matthæus, quem Eusebius in Chronico, Evangelium suum evulgasse ait Olympiadis CIV. An. 3. qui fuit item tertius Imperantis Caii Caligulæ, Christi 41. Editione Libri hujus vulgari primum (ut plerique Veterum testantur) Iudæorum linguâ scripti, novum, idque de se perefficax, incentivum Iudæis est additum ad manus tandem dandas penè manifestæ veritati: agnoscendumque pro vero Patribus promisso Messia Christum Iesum: cui tot Oracula Prophetarum in Evangelio Matthæi recitata, irrefragabile testimonium dabant. Expectatum est, an ex eo proficerent per annos duos tres-ve: quibus cum nihilominus plerique in perfidiâ solita indurescerent, ventum ad flagella est; quorum primum hic prædictum fames fuit, alimenta justè subtrahens ingratis, & contumacibus servis. Matthæus igitur Evangelista hîc inducitur invitans Ioannem ad prævisionem famis, quâ spreti à Iudæis Evangelii sui noxam ulcisci Deus voluit. Meminit hujus famis Lucas Act. XI. 27. Sic scribens: *In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam. Et surgens unus ex eis, nomine Agabus, significabat per Spiritum, famem magnam futuram in universo Orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.* Hæc Lucas: qui & addit: collatione Antiochensium Christianorum factâ, missos esse qui Eleemosynas ipsorum ad subsidium eâ fame laborantium fratrum in Iudæam portarent, Barnabam & Saulum, qui hoc pio officio præclarè functi sunt. Meminit hujus famis Iosephus Originum lib. XX. cap. II. & III.

Et Ecce Equus niger.

Natura fit ut calor nativus, quando ei non suggeritur per cibos externum alimentum, in animal ipsum sæviat ipsumque adurens atro colore, rebus ustis naturali, tingat. Hinc illud Thren. IV. 8. de famelicis: *Denigrata est super carbones facies eorum.* Et c. v. 10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* Eodem pertinet ex interpretatione Theodoreti locus ille Ioël. II. 6. *omnes vultus redigentur in ollam.* Et illud Nahum II. 10. *Et facies omnes sicut nigredo ollæ.* Proprio ergo epitheto Claudianus famem *atram* dixit lib. I. de laud. Stilichonis v. 278.

hinc frugibus atra negatis
Urgebat, trepidamque fames obſederat urbem.

Ex his apparet quàm accomodatè Equus famem portendens niger pingatur.

Et qui ſedebat ſuper eum habebat ſtateram in manu ſuâ.

Dum eſt caritas annonæ, ſolent & Magiſtratus & Patres-familias curare ne fruges ultrà uſum præcisè neceſſariũ conſumantur, ſtatutis menſuris certis quibus ſuum cuique dimenſum exiguè aſſignetur. Ezechiël. IV. 16. *Et comedent panem in pondere.* Hic eſt *panis arctus* de quo Iſaï. XXX. 20. & *panis tribulationis* III. Reg. XXII. 27.

℣. 6. Et audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentem : bilibris tritici denario.

Cum quatuor animalia thronum ambirent, ut ſuperiùs dictum eſt IV. 6. vox audita ex eorum medio innuitur proceſſiſſe à ſedente in throno: eamque, nè fruſtrà hic memorentur Animalia, eorum interventu ac precibus impetratam. Dubitari quippe non poteſt quin Paulus & alii Apoſtoli, uti corrogandis eleemoſynis curarunt ſolatia providere famelicis, ſic multò magis Deum oraverint, ut in illâ calamitate miſeris ſubveniret. Horum votis, & propriâ benignitate, motus Chriſtus hoc medicinale Judæorum contumacium flagellum ita temperavit, ut non deeſſet hominibus ſatagentibus & ſtrenuis unde viverent. Hoc ſignificatur verbis illis : *Bilibris tritici denario.* pro *bilibris* in græco eſt χοῖνιξ quam vocem Alexarchus, Caſſandri Macedoniæ Regis frater, apud Athenæum lib. III. pag. 98. interpretatur ἡμεροτροφίδα, hoc eſt *cibi menſuram diurnam*, quâ homo tolerare vitam poteſt. Atque hanc eſſe vulgatam vocis ejus notionem manifeſtum eſt ex ex Herodoto, Hippocrate, Diogene Laërtio & aliis. Eóque illud Pythagoræ dictum pertinet vetantis *inſidere Choenici.* quod Athenæus lib. X. & Plutarchus Sympoſiacωn VII. probl. IV. ſic interpretantur, ut prohiberi putent, ne homo contentus paraſſe ſibi victum in diem unum, curam craſtini negligat. Porrò denarius, eſt pretium ſtatum operæ diurnæ Mat. XX. 4. & 13. ſignificatur ergo his verbis, ſudore totius diei non paraturum hominem niſi quantum panis ipſi uni ægrè paſcendo ſit ſatis.

Et tres bilibres hordei denario.

Quod ſi uxorem idem & liberos habeat, neceſſe ipſum fuerit hordeo paſci, qui jumentis aptior cibus eſt. ideò frumento vilior, proportione unius ad tria.

Et vinum & oleum ne læſeris.

En aliud delinimentum hujus calamitatis Chriſti admonentis adhuc po-

tiùs quàm ulciſcentis, clementiâ indultum: quod ſolius tritici ac frugum pani qualicumque conficiendo aptarum caritatem eſſe voluit: vini & olei, rerum non parùm ad vitæ victuſque humani rationes facientium, annonæ ſolitam vilitatem perſeverare juſſit: dato Angelis juſtitiæ ſuæ miniſtris imperio, parcendi oleis & vitibus.

℣. 7. Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis, veni & vide.

Quartus liber eorum qui juxtà ſuperius ad v. 6. cap. IV. dicta, per quatuor Animalia in hâc viſione ſignantur fuit Epiſtola ad Hebræos: quam ejus autor Paulus ex Italiâ miſit, ut ipſe ibi ſignificat cap. XIII. 24. cùm autem non niſi ſub Neronis Imperio ipſe in Italiam iverit, manifeſtum eſt ultimum id eſſe horum quatuor Opus, quod in lucem exierit, annis ſaltem octodecim poſt Matthæi Evangelium editum: cum non ante Neronis tertium Paulus Romam pervenerit. Fuit hæc Chriſti per ſuum Apoſtolum quaſi ultima peremptoria monitio ad Judæos miſſa poſt quam nihil expectare aliud quàm clades alias ex aliis, ſupremo demùm exitio terminandas deberent. nec diù dilatum ſupplicium eſt poſt lectam & viſam in Iudæâ ſine quanto par fuerat converſionum fructu, Pauli ad Hebræos Epiſtolam. Faciunt hùc quæ Lucas refert à Paulo Judæis dicta Romæ in ſuo conducto poſtquam eò venientes conditâ die audierunt à mane ad veſperam ſuadentem de Jeſu ex lege & Prophetis: cum non conſentientes diſcederent: *Dicente Paulo unum verbum: quia benè Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaïam Prophetam ad Patres noſtros dicens: vade ad Populum iſtum & dic ad eos: aure audietis & non intelligetis .... incraſſatum eſt enim cor populi hujus &c. notum ergo ſit vobis quoniam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei & ipſi audient.* Act. XXVIII. 28. Hæc Paulus dixit & ſenſit circa tempus quo Epiſtolam ad Hebræos Romæ ſcripſit, futuram ultimum experimentum quo decerneretur, ſperandum ne quidquam ab eis ampliùs, an pro deſperatis abjiciendi eſſent: quod reipſa ſucceſſit. Hæc cauſa eſt cur quartum animal Paulus inducatur hîc invitans Joannem ad videndum initium pœnæ finalis Judæorum, irrevocabili eorum contumaciæ debitæ, hoc quarto Equo ſignatæ.

℣. 8. Et ecce Equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors: infernus ſequebatur eum.

Χλωρὸς quod in fonte eſt. rectè vulgatus vertit *pallidus*. etſi enim plerumque id vocabulum ſonat *viridem*: tamen non rarò etiam ponitur pro ὠχρὸς *pallidus*. color proprius morientium & cadaverum. Hic enim generatim mors plurimorum ex Iudæis obſtinatis ſignificatur, variis ex cauſis orta. de incredulis autem & Chriſto rebellibus agi, oſtendit pediſſequus morti addi-

tus Infernus in quo ſepultus dives Epulo dicitur Luc. xvi. 22. quo indicatur, animam ejus æternæ damnationi addictam. unde iſta mors de quâ hic agitur non eſt mors Sanctorum quam excipit beata ſors cœleſtis hereditatis; juxta illud Pſal. cxxvi. 3. *cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas domini. Beati mortui qui in Domino moriuntur. A modò jam dicit Spiritus ut requieſcant à laboribus ſuis.* Judæis contrà obduratis in Infidelitate poſt tamdiù auditam & ſpretam Apoſtolorum prædicationem, eventurum hîc denunciatur, quod eis Chriſtus prædixerat Jo. viii. 24. *Si non crediderit quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Eventus ergo ſignatus hâc apertione ſigilli quarti fuit ingens ſtrages Judæorum Chriſti hoſtium, qui poſt Martyrium Iacobi Minoris; cum jam obdurationis eorum irrevocabilis, abundè magna experimenta capta eſſent, diverſo genere immiſſarum divinitùs cladium maximo numero ſunt abſumpti, ut in declaratione ſequentium verborum diſtinctiùs exponetur.

Et data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.

Spatium temporis quod hæc Prophetia reſpicit, extenditur ab anno Imperii Neronis octavo quo interfectus eſt S. Iacobus Minor Epiſcopus Hieroſolymorum, uſque ad ejuſdem Imperii annum duodecimum, quo eſt initium factum bello Romanorum in Iudæos, Cæſtio Gallo Syriæ Legato Hieroſolymam oppugnare tunc aggreſſo, unde magnâ vi repulſus eſt amiſſis plus quatuor millibus Romanorum militum, quos Iudæi victores peremerunt. Quæ deinde ſecuta ſunt, prænunciantur reliquis hujus Prophetiæ partibus, quas cum eventu (quod nos agimus) comparare ſatagentium intereſt diſtinguere tempora: & unamquamque Hiſtoriæ partem ei reſpondenti Vaticinii parti adaptare. Aio igitur huic hærens propoſito, mortem quæ hic pingitur imagine Equitis pallidi *gladio, fame, & morte & beſtiis terræ interficere* innumerabilem Iudæorum Chriſti legem reſpuentium multitudinem, prædici hoc loco graſſaturam per omnem Iudææ regionem annis ferè quatuor, quantum intervallum patet à Iacobi nece ad fugatum ab Hieroſolymis Ceſtium. & quadrat ad id ſatis aptè priùs à nobis poſita hypotheſis, ſignificati per hoc quartum animal Pauli Apoſtoli, ſcriptoris Epiſtolæ ad Hebræos, quam cum is anno Neronis quarto, juxtà ſuperiùs dicta, Româ miſerit, potuit illa toto fermè triennio ante Iacobi Minoris Martyrium in Iudæâ legi. poſt quod ultimo cumulo peccatis Iudæorum impoſito, cepit Deus laxare habenas ſuæ juſtitiæ, immittendâ maximæ multitudini Iudæorum Impœnitentium morte per quam in Infernum reprobi devolverentur. quàm verè prædictum hoc fuerit, ex Ioſepho demonſtrabimus ſacta illius temporis deſcribente. Traditis lib. xx. Orig. cap. viii. Ananum Pontificem Sectâ Sadducæum, hoc eſt Semiatheum, ferali incenſum odio in Iacobum Chriſti fratrem, captaſſe tempus ejus perdendi quo Procurator Romanus

Romanus, à quo se impeditum iri providebat, in Iudæâ nullus esset. Festo enim priori Procuratori mortuo, qui suffectus à Cæsare jam fuerat Albinus, nondum advenerat. Hic autem paulò post veniens, homo avarus, impunitatem scelerum pecuniâ instituit vendere. Plenos reperit carceres Sicariorum. secta erat detestabilis paulò ante coalita, prout capite superiori Iosephus narraverat. Hi nomen invenerant à sicis quas clàm gestabant. sunt hæ Gladioli oblongi recurvi. Cum quibus se turbis constipatæ multitudinis (quales ob crebra festa,& concursum in urbem Iudæorum, quotidianæ Hierosolymis erant) inferentes, clàm confodiebant quos oderant; quibus subitò cadentibus, ipsi primi miserabantur, & justitiam implorabant. Hos tandem detectos Festus severè coërcuit. at ejus successor quæstum è potestate faciens, quotquot horum vinctos reperit, acceptâ pecunia Liberos dimisit; permisitque grassari, modò sibi partem prædæ penderent. Hinc numero, fiduciâ, & viribus aucti Sicarii innumeras licentissimè cædes faciebant, expilabant domos; & si qui horum in flagranti deprehensi, custodiæ darentur, liberari eos aut numerato Albino pretio procurabant, aut rapto filio, vel alio intimo Pontificis Ananiæ (hic Anano in pœnam occisi Iacobi post trimestrem Pontificatum depositio, subrogatus à Rege Agrippâ fuerat) se non priùs reddituros denunciabant quàm is ab Albino, apud quem gratiâ pollebat, Latronum liberationem impetrasset. quod ille cum necessariò faceret, Sicarii securissimè quotidianis cædibus, spoliationibus, domorum direptionibus grassabantur, plurimis miserrimorum Civium quotidiè coactis exinanitas & cruentatas cæde *Patrum-familias*, domos relinquere: fugiendo extra urbes in agros & sylvas; ubi fame, morbis ex eâ contractis, vel bestiarum, quibus illic nemora & saltus scatent, dentibus peribant. hoc est, quod hîc dicitur: *interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.* His malis accessit præreptio decimarum in areis per Pontifices fieri solita, unde contigebat magnæ partis inferiorum Sacerdotum, qui ex iis decimis ali debuissent, fames, fuga, interitus: accesserunt rixæ cruentæ inter familiares Pontificum crebrò depositorum, & ipsis succedentium: accessere deprædationes impune factæ à Saüle, & Costobaro cognatis Regis Agrippæ, quos tali gratiâ subnixos coërcere nemo poterat. Accedebant denique multæ per id tempus factæ abductiones plebis credulæ per Impostores se Prophetas fingentes, in loca deserta, ubi vel fame, vel immissis, tamquam in seditiosos, militaribus copiis concidebantur. Hæc procurante Iudæam Albino fuere; quo amoto miserrimi Iudæi è fumo in ignem sunt prolapsi. En quæ scribit Iosephus cap. IX. lib. XX. Orig. *Gessius autem Florus Albino successor à Nerone missus plurimis Judæos replevit calamitatibus. Is Clazomenius erat genere; adduxitque secum Cleopatram Conjugem non minùs improbam, per quam ut Poppææ Augustæ amicam Judææ administrationem impetraverat. adeò verò potestate violenter abusus est, ut Albinum Judæi desiderarent quasi beneficum. Nam ille quantum poterat clàm erat malus,& nocens. Florus contrà quasi ad ostentandam*

missus malitiam, publicè traducebat nostræ gentis injurias; nihil sibi ad summam in rapinis, & suppliciis iniquitatem reliquum faciens. Erat enim inflexibilis ad misericordiam, nullis umquam lucris satiabilis: undecumque parva æquè captans, ac magna. ut etiam Latronum esset particeps. multi enim illum quæstum exercebant, de incolumitate quam ab eo redimebant, deciſis prædarum partibus. adeoque nullus erat injuriarum, vel modus, vel finis, ut miseri Iudæi non ferentes rapacem Latronum insolentiam, cogerentur Laribus relictis, & patriis ceremoniis, ad Exteros fugere, &c. Hæc ibi, & consequenter plura Josephus, qui eadem etiam copiosiùs tractat lib. II. de bello à cap. XIII. ad XVI. quæ qui legerit. abunde perspiciet, cumulatissimè impletam fuisse hanc vaticinii partem, quæ significatu Equi pallidi continetur. in quâ verba illâ: *super quatuor partes terræ*; Significant nullam oram aut regionem in totâ ditione Iudaicâ, immunem ab his malis fuisse. quod adeò verum est, ut etiam Judæos in aliis regnis Colonias habentes, puta in Ægypto, in Macedoniâ, in Italiâ, & alibi, clades istæ per tempus idem sint secutæ: ut ex Iosepho, Philone, aliisque Veteribus intelligitur. In Græco est ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς: quæ si scrupulosè, vertantur Latinè sonant: *Super quartam terræ partem* in quo si est aliqua diversitas à Vulgata, sic conciliari potest, ut clades istæ quas diximus Latè per omnes partes terræ Iudææ vagantes, quartam ferè partem hominum variè consumpserint. nihil autem usitatius est eâ Synecdoche quâ loci nomen pro Incolis loci ponitur. Sic enim tota Civitas prodisse obviam dicitur, cum Cives prodeunt. ita quarta pars terræ erit quarta pars habitantium terram. Aliquoties inferiùs visuri sumus tertiam Iudæorum partem prædictis illic Calamitatibus consumptam. Nempe modò memoratus pœnæ gradus primus est, quem alii atrociores excipient. Interim quod ad hunc attinet observo in eo aliquid simile ejus quod scriptum est I. Reg. v. 6. de Philistæis Arcam Captivam detinentibus, & à Deo percussis: *Et facta est confusio mortis magnæ in Civitate* Asoto. Hoc est: ibi variis mixtim ex causis plurimi moriebantur, allii à bestiis, alii aliter: sic enim nunc uno appellata nomine mors diversis sævit instrumentis, gladio, fame, luc, bestiis. Nimirum in rem deducebantur minæ olim Hebræis derelinquentibus Deum à Mose intentatæ Deut. XXXII. 23. *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. consumentur fame, & devorabunt eos Aves morsu amarissimo, dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, Iuvenem simul, ac Virginem, lactentem cum homine sene, &c.* Hæc mea est de quatuor Equitibus cum totidem Animalibus comparatis sententia. Bessonus Magister meus aliam horum interpretandorum sequebatur viam. Illi quatuor Animalia totidem Patriarchæ sunt. aut Patriarchatus: Hierosolymitanus, Anthiochenus Alexandrinus, Romanus. At tempore quod respicit ista Prophetia, nec Romanus, nec Alexandrinus adhuc erant, postea fundati. De quatuor Equis quid sentiat,

longum sit dicere. Hunc ultimum pallidum, interpretatur Hæreses aut Hæresim in genere, & infernum ejus pedissequum, Mahometem ac Musulmanorum sectam. Mihi quæ dixi videntur veri similiora.

℣. 9. Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare Animas interfectorum propter verbum Dei: & propter testimonium quod habebant.

Rectè in hunc locum Bessonus: *Est SS. Martyrum periphrasis. Hi enim propter Evangelium, quod est verbum Dei; & fidei confessionem, seu*, testimonium, quod habebant, *id est, constanter retinebant, occisi sunt. Martyrum igitur animas sub altari vidit: quia eorum reliquiæ jam inde ab exordio Ecclesiæ in altarium gremio condi consueverunt. Ambros. Lib.* IX. *Ep.* LXXXV. succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus Hostia est: sed ille super altare qui pro omnibus passus est, illi sub altari qui istius redempti passione. *Et Prudentius Hymno* III. *Peri Stephanon*

Sic venerarier ossa libet;
Ossibus altare & impositum.

Vide Hieronymum contra Vigilantium. Augustinum Epist. Liv. & Serm. XI. *de Sanctis.*

Hactenùs Bessonus:

Intelliguntur autem peculiariter Animæ Martyrum qui à Iudæis ob Christi confessionem passi erant usque ad tempus signatum hâc parte Prophetiæ: è quibus tres noti sunt: duo ex Actis Apostolicis Stephanus & Jacobus Major, tertius ex Fastis Ecclesiasticis & Historia Josephi, nempe Iacobus Minor: Cæterùm verisimile est, & hic innuitur, & superiùs etiam v. 4. indicatum fuerat, occisos ob Christi fidem à Iudæis fuisse multò plures. Porrò Animæ in cœlo regnantes ibi dicuntur esse ubi jacent ipsorum corpora, ut significetur sentire ipsas honorem suis reliquiis exhibitum, ac vota Fidelium, ipsas venerantium, sicuti & curationibus largiendis sæpe testantur. Etiam Exteri Scriptores talem quamdam Animarum, in suis post mortem cineribus præsentiam agnoscunt. Ovidius lib. III. Fast. de Annâ osculante in discessu ex Africa urnam sororis Didonis:

Terque vale dixit: cineres ter ad ora relatos
Pressit: & est illis visa subesse soror.

℣. 10. Et clamabant voce magna dicentes: usquequo Domine sanctus & verus non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ?

Etsi Animæ sanctæ Deum videntes, uti Deus ipse in quem transformatæ

quodammodo sunt, propendent ex sese ad optandam exorandamque Peccatoribus, etiam iis à quibus extrema mala dum in corporibus viverent, passæ sunt, veniam, & gratiam conversionis: tamen dum in divinæ visionis luce clarè perspiciunt, non restare ullam ampliùs spem reductionis illorum ad frugem meliorem, propter irrevocabiliter defixam in proposito ruendi semper in pejus obstinatorum in malo voluntatem: sumunt & ipsæ sensus divinæ justitiæ conformes; incumbuntque ad urgendum ut repræsentetur decretum ipsis supplicium: præsertim quando impunitas eorum producta longiùs, impedimentum objicit gloriæ Dei. Non potest dubitari de honestate hujus affectûs, cum is pro exemplo Deum habeat, indulgere & expectare peccantium resipiscentiam diù solitum: ad extremum tamen justissimæ severitati totas habenas laxantem. *Tacui semper* (ait ipse Isaïæ XLII. 14.) *silui, patiens fui: sicut parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul.* & paulò ante: . *Dominus sicut fortis egredietur: sicut vir prælior suscitabit zelum: vociferabitur & clamabit: super inimicos suos confortabitur.* Hoc imitantur Animæ sanctæ: & priori mansuetudine, cujus tempus præteriit, sepositâ, hostiles animos in vexatores suos concipiunt tum demùm cum eos mortuos Deo vident: hoc est eam explesse scelerum summam ultrà quam toleraturam se ipsos divina, dudum omnia in pondere & mensurâ temperans, Providentia præfiniverat. *Tunc stabunt justi* (ait sacer scriptor libri Sapientiæ cap. v. 1.) *in magnâ constantiâ adversùs eos qui se angustiaverunt.* Tali zelo instinctus David scribit Ps. LIV. liv. 16. *veniat mors super illos & descendant in Infernum viventes.* Et Ieremias c. XVIII. 21. *Propterea da filios filios eorum in famem: & deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis, & viduæ, & viri earum interficiantur morte: Iuvenes eorum confodiantur gladio in prælio. audiatur clamor de domibus eorum, adduces enim super eos latronem repentè: quia foderunt foveam animæ meæ & laqueos absconderunt pedibus meis.* Martyres igitur sancti petunt maturari supplicium Synagogæ rebellis, & Gentem Iudaïcam Evangelicæ Prædicationi pertinacissimè obstantem excindi. Quod *sanctum & verum* appellant Dominum, ostendunt, se Christum compellare cui *omne judicium Pater dedit* Io. v. 22. quippe cui ut Deo, summa sanctitas; ut Verbo, plenissima veritatum omnium notitia competit.

℣. 11. & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.

Præclarè Beda in hunc locum hæc verba sic enarrat: *singulas modò stolas habent Animæ, de suâ beatâ immortalitate gaudentes. resurgentibus autem corporibus, juxta Isaïam, in terrâ sua duplicia possidebunt.* Eadem fermè habet Aymo, antiquus Interpres hujus libri. significatur ergo his verbis, id quod maximo consensu Patres veteres Græci Latinique docent: quodque distinctè definivit Benedictus XII. summus Pontifex, extravagante cujus est initium: *Benedictus Deus*: Animas Sanctorum quæ nihil eluendum habent in Purgatorio, statim à morte compotes fieri Beatitudinis æternæ:

Visionis nempe Dei, & amoris ac gaudii beatifici, quæ tria uno nomine beatitudinis essentialis intelliguntur, juxta probabiliorem Theologorum sententiam; & hîc designantur per has *stolas albas*. Pro contraria opinione negante Animas verè beatas esse ante corporum resurrectionem, citari solent quædam Patrum loca; præsertim Augustini & Bernardi: quæ quomodò ad Catholicam veritatem accommodanda sint, accuratè demonstrat Bellarminus Tom. II. contr. Lib. I. Cap. V. controversia IV.

Et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum: donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi.

Petebant istæ animæ sanctæ statim excindi Synagogam: quandoquidem ejus conversionis nulla superesset spes. Respondet Dominus, admittens tacitè ut veram rationem illam: aliud tamen obstare, ne continuò afficeretur ultimo exterminio Gens Judaïca. Velle quippe Deum ac decreviſſe adhuc glorificari per Martyria quorumdam Fidelium degentium inter Judæos; quos ideò tolerare per aliquod spatium statuerit, permittendo ut potentiâ abutantur suâ, & furori indulgeant. Credibile est Sicarios, cum tam multos quotidie Judæos interficerent; etiam Christianos ex iis quosdam odio Christi ac religionis occidisse. Quia ergo isti adhuc deerant ad implendum numerum ab æterno decretum Martyrum per Judæos coronandorum, distulit eorum ultimam cladem annis adhuc aliquot Deus.

℣. 12. Et vidi cum aperuisset sigillum quintum, & ecce terræ motus factus est magnus: & Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus: & Luna tota facta est sicut sanguis.

Hactenus causæ cladis ultimæ Iudæorum, & dispositiones ad eam proximæ usque ad Præfecturam Gessii Flori Iudææ funestissimam, quâ extremâ quasi face bellum Romanum absumpturum gentem Iudaicam inextinguibiliter exarsit, quatuor præcedentibus sigillorum Libri resignationibus pate factæ sunt. Hæc quinta, præsagia indicat quæ, more Divinæ Providentiæ solemni, præsignificandi prodigiis res magnas eventuras, tantæ calamitati obscurè innuendæ præmissa sunt. Hæc generatim in unum collecta è temporibus per apertiones sigillorum jam transactas indicatis partim accersuntur: quemadmodum res per singulas alias signatæ apertiones in peculiaria sequentium spatia nonnumquam exeunt. ut prædicatio Evangelii quam prima indicat, & persecutio Iudæorum in Christianos suæ Gentis adumbrata per secundam, per omnia continenter usque ad initium Romani belli tempora diffunduntur. Primum inter signa ejusmodi hîc ponitur terræ motus magnus, cujus mentio ad durationem extensionemque declarandam iterùm inferiùs repetitur v. 14. Inesse peculiarem portendendi vim Ter-

ræ motibus, Plinius opinabatur, ut hæc verba testantur lib. II. cap. LXXXIV. *Nec vero simplex malum* (Terræ motus) *aut in ipso tantùm motu periculum*: *Sed par aut majus ostentum. numquam Urbs Roma tremuit, ut non futuri eventûs alicujus id prænuncium esset.* Indicium dat terræ motus magni Eusebius in Chronico Ann. IV. Olymp. CCV. Claudii imperatoris IV. ut Libri mendosi habent, sed Petavius ex Orosio, & Cassiodoro evincit rescribendum V. quo inter Theram, & *Therasiam* (inquit) *enata est Insula habens stadia triginta.* Hoc in mari Iudææ obverso fieri vix potuit, quin ipsa continens concuteretur. Secundum prodigium, *Sol factus niger* Eodem anno Claudii V. contigit, quando die ipso natali ejus Imperatoris Sol defecit Kalendis Augusti, quæ Eclipsis eò fuit cunctis notior quòd eam antequam fieret Imperator ipse prævulgaverat Edicto, ut refert Dion. Cassius lib. LX. pag. 682. alias extitisse per consequentes annos ante initium belli, Solis defectiones, Astronomicæ tabulæ indicant. unius præ cæteris insignis Historici meminerunt, conspectæ cum horrore Anno Neronis quinto, Vipsanio & Fontejo Coss. de eâ Plinius lib. II. cap. LXX. Tacitus Annal. XIV. Xiphilinus ex Dione sic Scribit: *in mediis sacrificiis quæ Agrippinæ causa fiebant, totum Solem defeciisse, adeo ut Stellæ de die conspicerentur.* Quæ sequuntur & *Luna facta est sicut Sanguis* Eclipses eorumdem temporum lunares indicant, quæ plurimæ fuerunt. duas in specimen hic memorasse sufficerit ex Petavio in Chronico, Anno Claudii Imperatoris VI. Luna defecit die Ianuarii XI. Anno vero consequente Claud. VII. Lunæ contigit insignis defectio Kalendis ipsis Ianuariis. Hi defectus utcumque naturales, & necessariis magnorum luminarium occursibus viâ certâ; velocitatis modo semper simili euntium, inevitabiles, ac per hoc prævisioni Astronomorum expositi, peculiari tamen institutione regentis genus humanum Dei, præsignant eventura. Dedit enim Deus, ut ait Moyses Gen. I. 14. Solem & Lunam, *ut sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Non in tempora solùm, hoc est, in divisionem annorum, & mensium: Sed & *in signa*, hoc est, in præsagia imminentium eventuum, præsertim tristium: puta morituorum Regum, exscindendarum Civitatum aut Gentium. quâ ratione Gen. IX. Iris arcus coloratus nubium, etsi non minùs naturalibus quàm Eclipses productus causis, institutione Dei voluntariâ deligitur in signum promissionis ab eo factæ non obruendi ampliùs generali diluvio terram universam.

℣. 15 Et stellæ de Cœlo ceciderunt super terram.

Interpretationem hujus loci & trium sequentium ex Bessono hîc apponam, quæ mihi optima visa est. Sic igitur in ejus dictatis legitur. *Stellas populariter vocat ignitas exhalationes: de quibus Aristot. I. Meteor. IV. si exhalationis longitudo in multas simul, & exiguas partes disseminata fuerit, & latitudo atque crassitudo se similiter habeant, tunc sunt quæ creduntur vulgò vagari Stellæ. Ejus generis fuerunt de quibus Sigebertus*

in Chronico: Stellæ complures simul de Cœlo cecidisse in terram visæ. inter quas unam maximam labi in terram cum quidam in Franciâ stuperet, & notato loco ubi labi visa est, aquam ibi fudisset, fumum cum fervoris sono inde exire magis stupuit. Hæc Bessonus. quibus addo: Id circa hæc tempora accidisse, Prophetæ hæc scribenti credendum esse, etiam si non extent Historicorum testimonia id asserentium. neque enim aut missa in literas omnia sunt quæ tunc accidere: aut quæ scripta de iis sunt cuncta, & integra pervenerunt in manus nostras.

Sicut ficus emittit grossos suos.

Bessonus. *Facilem crebrumque harum stellarum lapsum fore indicat. nec multò aliter Isaias* XXXIV. 4. *& omnis militia eorum (cœlorum) defluet sicut defluit folium de vineâ & de ficu. Græci quoque ἀποῤῥοίας, id est, defluxus, hujusmodi lapsûs vocant.*

Et Cœlum recessit quasi liber involutus.

Cœlum Deus extendit sicut pellem Ps. CIII. 3. *Expelle autem oblongâ atque perpetuâ fiebat liber antiquitùs. In hoc exarabantur characteres, quibus simillima sunt astra cœlorum; ac proinde quando non apparent ob densitatem vaporum, cœlum instar obtinet libri involuti. Ita Isaïas cap.* XXXIV. 4. *ait*: complicabuntur sicut liber cœli. *Cui simile est illud Ierem.* IV. 23. Aspexi cœlos & non erat lux in eis. *Dies autem nubis seu nubilus pro infelicissimo ponitur.* Hæc Bessonus. ex quibus apparet significari hoc loco: multis diebus per hæc tempora cœlum ita densis obductum nubibus continuè fuisse, ut nec nocte luna vel stellæ conspicerentur; nec solis lumen ipsum per diem, aliter quàm mœstum & caligine infuscatum cerneretur. Quod cum longo durat spatio, haberi ostenti loco solet. Sic enim cum id accidisset anno quo est Iulius Cæsar occisus, ut prodigium celebrant omnes illorum temporum Historici. Plin. lib. II. cap. XXX. *Fiunt prodigiosi & longiores solis defectus, qualis occiso dictatore Cæsare, & Antoniano bello, totius pene anni pallore continuo.* Idipsum significare Ovidius voluit lib. XV. Metamoph. sub finem, dum necis Cæsaris prodigia recensens ait:

Solis quoque tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.

Quod & ante Virgilius expresserat I. Georg. de sole scribens:

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscurâ nitidum ferrugine texit.
Impiáque æternam timuerunt sæcula noctem.

Non enim illic, ut quidam putant de solis Eclipsi quæ tunc contigerit,

agitur : cum accuratè inspectis astronomicis abacis, Petavius se perspexisse affirmet, lib. x. de Doct. Temp. c. LXIII. nullam neque anno quo Cæsar est occisus, neque præcedente, veram solis Eclipsim, quæ Romæ videri potuerit, fuisse commissam. Hæc igitur cœli sicut libri convolutio, non aliud quàm continuatam diù nubium atrarum ἐπιπρόσθιον *oppositionem*, & ex eâ natam lucis diurnæ nocturnæque notabilem ac molestam diminutionem designat. Nam hoc diminutionis verbo utitur idem exprimens Dio. lib. XLV. dum φῶς τῦ ἡλίυ ἐλαττῶθς ait. à quo non multum aberrat Josephus de iisdem agens Orig. lib.xv. cap. XXII. dum ex Epistola M. Antonii Triumviri ad Hyrcanum Pontificem Iudæorum scriptâ, recitat hæc verba: δι' ἃ ἠ τὸν ἥλιον ἀπεστράφθαι δοκῦμεν, ὅ ἠ αὐτὸς ἀηδῶς ἐπεῖδε τὸ ἐπὶ καίσαρι μῦσος. *Propter quæ solem etiam aversum fuisse credimus; qui & ipse patratum in Cæsarem scelus infandum illibenter aspexit.*

Et omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt.

Omnes, vel hyperbolicè dictum pro multis : vel restringendum ad Iudaicam ditionem. Terræ motibus quatiuntur sæpe Montes, ut observat Plinius; sæpiùs loca maritima, aut fluviis lacubusque vicina, quæ in Scripturâ solent Insulæ vocari.

℣. 15. Et Reges terræ & Principes & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus & liber absconderunt se in speluncis & in Petris Montium.

℣. 16. Et dicunt montibus & Petris cadite super nos; & abscondite nos à facie sedentis super Thronum & ab ira Agni.

℣. 17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum : & quis poterit stare ?

Hæc eadem de signis terribilibus destructionem Ierosolymorum & cladem Iudæorum ultimam præcessuris, sequente ex his consternatione omnis generis Hominum summâ, prædicit Christus Mat. XXIV. sed clariùs & accomodatiùs ad hunc locum Luc. XXI. ubi v. 5. *quibusdam dicentibus de Templo : quod bonis lapidibus & donis esset ornatum : dixit* (Christus) *Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Interrogaverunt autem illum dicentes : Præceptor, quando hæc erunt : & quod signum cum fieri incipient ? Qui dixit*, &c. Tum multa congerit bellum Romanum præcessura. Primò apparitiones crebras Pseudo-Prophetarum qui se Christum mentirentur. Harum sanè per hæc tempora plurimas Historici, præsertim Iosephus, memorant. *Deinde insurrectiones Gentium in Gentes*, tum *terræ-motus magnos per loca.* Horum & hic à Ioanne distinctissima fit mentio : denique *pestilentias & fames* : quam noster, ut vidimus, ad apertionem sigilli quarti jam meminerat. Addit

dit ibidem Christus 12. *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur. tradentes in Synagogas & custodias, trahentes ad Reges & Præsides propter nomen meum.* accommodatissimè ad jam à nobis dicta in expositione Equi rufi apparentis post apertionem sigilli secundi: cujus tempus incipit ab anno Christi 34. desinente quo, est Stephanus occisus. Postremò adjungit v. 20. *cum autem videritis circumdari ab Exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio ejus.* & paulò post. v. 25. *Erunt signa in Sole & Luna, & in terris pressura gentium præ confusione sonitûs maris & fluctuum* (quæ pressura & confusio videntur pertinere ad terræmotus de quibus diximus) de terrore inde orto mox subdit; *arescentibus hominibus præ timore & expectatione*, &c. quæ consternationem exprimunt hîc à Joanne distinctiùs memoratam. Eam & ejus causas ut intelligamus exponenda hîc simul duxi multa hujus generis ostenta, quæ Iosephus uno capite xxxi libri VI. de bello, juxta Editionem Latinam lib. VII. c. XII. collegit. En ejus verba juxta vulgatam versionem: sed à me ad Græcum archetypum ubi opus fuit conformatam. *Denique miserabilis Populus illis quidem Fallacibus Dei oracula fingentibus credulus erat: certis verò prodigiis futuram desolationem verè prænunciantibus, neque attendebat neque credebat; sed velut attoniti, nec aut oculos habentes aut animas, divinas denunciationes aure surda præteribant. Hæ autem fuere. supra Civitatem sidus stetit gladio simile, & per annum perseverans Cometa. Præterea festo die Azymorum, cum bos sacrificanda duceretur, agnum in Templo medio peperit. Orientalis autem porta interioris Templi, cum esset ex ære solido crassissima & gravissimi ponderis: quæ quotidie sub vesperam vix à viris viginti totâ vi connitentibus clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, uno perpetuo ductum lapide, visa est noctis horâ sextâ sponte patescere. quâ re statim per custodes Templi Præfecto nunciatâ, accurrens ille ægrè multorum nisu potuit claudere. Hoc quoque ignaris quidem signum optimum videbatur: Deum namque bonorum portam aperuisse dicebant. contrà Prudentiores reputabant: sponte relaxatam proditamque Templi securitatem: & ex re utique ac voto Hostium pandi repagula claustrorum. itaque inter se fremebant, extremæ desolationis loci ejus sanctissimi signum id videri. Post Festum autem diebus paucis primâ & vigesimâ die mensis Artemisii, spectrum planè horrendum apparuit, excedensque fidem; ut vereri potuerim. ne id mox narrando nugari ac fabulari viderer, nisi & qui viderunt superstites adhuc essent: & quæ secuta sunt clades cunctis conspicuæ, dignæ palàm apparerent quæ talibus præsignificarentur ostentis. Nam ante Solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus; & armatæ acies tranantes nubila, & Civitati circumfusæ. Festo autem die quem Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes intimum Templum more suo ad ministeria sacra ingressi, primum quidem motum quendam sensisse ac strepitum aiebant: posteà vocem clarè sonoram audivisse quasi multorum conclamantium* μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν *emigremus.*

hinc. Hæc quinque signa sunt è septem ibi relatis à Iosepho; alia insuper duo memorante quæ infra opportuniùs describam ad primum, & tertium decimum versum capitis VIII. Porrò illa omnia à multis visa, à cunctis audita, & indubitabiliter cognita, adjuncto experimento quotidiano calamitatum horrendarum ex parte memoratarum ad apertionem sigilli quarti, & metu justissimo pejoris in posterum fortunæ, extantibus causis eventuum tristiorum ineluctabiliter imminentium; & hæc aggravante cuncta interno augurio malè consciarum mentium, eam desperationem omni hominum conditioni per Iudæam injecerunt quæ hic graphicè describitur, & satis tragicè. Ibi per mentionem Regum terræ innuitur Rex Agrippa, qui quantum exhorruerit bellum ingruens Romanum longâ oratione ad Iudæos habitâ declaravit, quam recitat Josephus lib. II. de bello cap. XVI. ubi eis, si quod facere parati videbantur, rebellarent, denunciat: inde omninò eventurum ut Urbs sancta funditùs destruatur, Templum incendatur, tota Judæorum ubique terrarũ gens omnium internecione deleatur, nullo cuiquam tuto perfugio futuro. Postque perorat, testans sancta ipsorum & sacros Angelos Dei, Patriamque communem, se illis salutaria consulere dehortando ipsos à bello Romano: quibus monitis ni obtemperent, extremo ipsos & sacra ipsorum gentemque universam exitio mox irreparabiliter perimendos. Atque hæc dicebat non dissimulans sentire se, surdis ea cani; ac propterea quas certò imminere providebat immanes clades, imis animi sensibus exhorrescens. Par sensus erat Primorum quos hîc *Principes*, *Tribunos*, *divites & fortes*, sacer vates enumerans nominat: qui cum irrevocabiliter ruentem in propositum rebellandi gentem Iudaïcam, cuncta frustrà molientes cohibere nequirent, intimo dolore mentiumque angore cruciabantur. Ipsa quoque minor plebs verbis illis expressa: *omnis servus & liber*, non exceptis etiam seditiosis, æstuabant horrore ingenti exitialium malorum in quæ se ultrò videntes, fatalî instincti væcordiâ, præcipitatum ibant. Quod addit: *abscondisse se in speluncis ac Petris montium.* Alludit ad naturam Regionis quam incolebant ὑπόγειον totam, & cavernis spelunciscque capacibus passim hiantem, in quas per servitutes & hostiles vastationes libris Iudicum, Regum, alijsque Canonicis Historiis narratas, sæpe Israëlitæ delituerant: in iisque non rarò subsidentes latrones receptum prædarum, & stationem unde in grassationes erumperent habebant. Ad extremum quod subjicit: *Dicunt Montibus & Petris cadite super nos*, hanc videtur habere sententiam, ut oppressi præsentibus malis absque fugiendi facultate, inutile ac miserabile votum desperantes æstuanti animo versarent, frustrà desiderantes Montes intùs cavos, ad quos procurrendi spatium non haberent, ipsis superincidere, in quorum cæcis & profundis antris perfugium aliquod haberent à terrore Minarum Dei & Christi; non dubiè conscii, se quæ jam appulsa mala paterentur, & mox impendentia exhorrescerent, Christo interficiendo meruisse, prout ipse dudùm denunciaverat in Parabolâ vineæ Mat. XXI. 33. ubi cum retulisset Agricolas videntes adventan-

tem Domini sui filium, apprehensum eum occidisse, interrogassetque Iudæos quid facturum iis Dominum putarent? Ipsi responderunt: *malos male perdet*: quòd nimirùm, ut est in aliâ Parabolâ capitis sequentis v. 7. *Rex iratus missis exercitibus suis perditurus esset homicidas illos & civitatem illorum succensurus.* Ea illis consternatio intemperiis horribilibus (quod hîc exprimitur) sontes animos agebat ferebatque in ipso procinctu & proximo apparatu Romani belli. quod momentum hæc Prophetiæ pars propriè spectat.

AD CAPUT VII.

℣. 1. Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor Angulos terræ.

TERRA de quâ hic agitur est Iudæa; porrò ut Terra universa, ita & singulares quæque regiones in quatuor partes dividi solent: ita ut quaternarius hîc memoratus nihil nisi ὁλοκληρίαν, quasi dicas, *totalitatem* significet. Quatuor autem Angeli sunt ministri divinæ Providentiæ in gubernatione peculiari Gentis Iudaicæ, & Regionis in quâ ea sedes proprias habebat.

Tenentes quatuor ventos terræ; ne flarent super terram, neque super mare, neque super ullam arborem.

Ventorum Symbolo perturbationes quævis publicæ, præsertim bellorum & seditionum, designantur; quarum nullam erumpere in damnum Populorum Angeli, quos iis curandis præfecit Deus, sinunt; nisi postquam ita Deum velle intellexerunt. Cum hi ergo dicuntur: *tenere quatuor ventos ne flarent*, significatur, eos impediviſse ne bellum quo erat Iudæa peritura conflaretur ante certum momentum quo Deus id permittere decreverat. Daniel. VII. 2. ait: *Videbam in visione meâ nocte: & ecce quatuor venti Cœli pugnabant in mari magno.* Ieremiæ quoque LI. 1. & 2. legitur: *suscitabo super Babylonem quasi ventum pestilentem. Et mittam in Babylonem ventilatores & ventilabunt eam.* quæ loca suadent per quatuor hic memoratos ventos, intelligi Romanos exercitus, qui posteà in Iudæam immissi eam desolaverunt. sanè infrà cap. IX. 14. soluti dicuntur quatuor Angeli qui *erant alligati in flumine magno Eufrate, qui parati erant in horam & diem & mensem ut occiderent tertiam partem hominum.* Illos quatuor Angelos ibi ostendemus, fuisse quatuor Legiones Romanas, quæ fixam stationem habebant ad Eufratem, in custodia illius Imperii limi-

tis. iis autem Veſpaſianus inde aſſumptis, bellum Iudaïcum geſſit. Quatuor igitur venti de quibus hic agitur, intelligendi ſunt deſignare occaſiones, incentiva & multiplices cauſas quæ per aliquot annos ante duodecimum Neronis, hinc variè inſtigabant Iudæos ad rebellionem, inde Romanos partim Præfectos, partim milites provocabant ad odium immane gentis Iudaicæ : unde facilè prolabebantur ad eam injuriis intolerabilibus vexandam. Hæc ne in apertum bellum erumperent diù prohibuere, ut hic dicitur, Angeli cuſtodes Iudaïcæ ditionis; ventos flare paratos tenentes; hoc eſt benevolâ providentiâ variis artibus procurantes ne odia mutua Iudæorum & Romanorum uſque ad bellum apertum exardeſcerent. quæ hîc Prophetia prædicit, patratum exhibet Hiſtoria Ioſephi variis locis tum Orig. lib. xx. tum lib. II. de Bello multa referens, quæ vel Rex Agrippa vel Pontifices ac Principes Sacerdotum, cæterique Primores Iudæorum, ſapienter egerunt ad mitigandos animos, hinc Albini & Geſſii Flori, Præſidum Romanorum, inde Plebis Hieroſolymitanæ, & Iuventutis Judaicæ, jugum Romanæ tyrannidis impatientiſſimè ferentium. Nec nova eſt hæc metaphora incentores bellorum ventis comparans. Recitat Livius lib. xxxviii. partem orationis in Senatu Romano habitæ ad veniam Ætolis impetrandam; quâ excuſans Orator eorum rebellionem, culpam ejus imputat cuidam Thoanti & aliis quos è diverſis partibus flando tempeſtatem excitaſſe quamdam ait. Livii verba pauca hîc adſcribere tanti eſt : *Athenienſis Legatus Leon Iceſiæ filius, eloquentiâ etiam dicitur moviſſe : qui vulgatâ ſimilitudine, mari tranquillo, quod ventis concitaretur, æquiparando Multitudinem Ætolorum uſus, cum in fide Romanæ Societatis manſiſſent, inſitâ Gentis tranquillitate quieſſe eos aiebat. poſteaquam flare ab Aſiâ Thoas & Dicæarchus, ab Europâ Menetas & Damocritus cepiſſent: tum illam tempeſtatem coortam quæ ad Antiochum eos, ſicuti in ſcopulum, intuliſſet.* Hæc ille. deinceps exponendum, quid per mare & arbores hîc intelligat Ioannes. Nam terræ nomine Iudæam indicare jam diximus. Mare in hâc priori Apocalypſis parte uſque ad cap. xii. adumbrat Vrbem Hieroſolymitanam; in ſecundâ verò à cap. xii. uſq; ad cap. xx. plerumque Urbem Romam ſignat. Generaliter *aquæ multæ populi multi ſunt*, ut Angelus Ioanni ait infrà c. xvii. 15. quare Hieroſolyma, Urbs tum maxima, & facilè frequentiſſima, non Iudææ ſolùm, ſed Aſiæ ac penè Orbis univerſi poſt Romam, ob populi quam continebat multitudinem, non malè imaginem maris præfert, Etiam Cicero multis locis Orationum & Epiſtolarum, Urbanâ multitudinẽ mari confert, eique fluctus ac procellas tribuit, quippè naturâ mobili & ad quoſvis impulſus ſuaſionum, quaſi ventorum, in tumultus & ſeditiones æſtuare facili. Atqui Orientales & Aſiatici Populi Italicis leviores & inquietiores habebantur. interque hos conſtat, nullam Plebem ſeditioſiorem his temporibus Hieroſolymitanâ fuiſſe. quæ hîc ideò mare vocatur : in quâ Alcedonia quædam Deus fieri modò curat, per Angelorum ſuæ Providentiæ Miniſtrorum curam, cohibitis aliquamdiú turbis.

Quænam vero illæ sunt *arbores* in quas item ut in *mare* prohibentur *flare*, bellorum incentores *venti*? debent eæ profectò esse aliquid, quod magis rei per *mare* significatæ respondeat, quam arbores mari in propriâ & naturali notione sumpto. Igitur cum mare, ut dictum est, urbem hîc Hierosolymam designet, per arbores intelligi conveniet ejus urbis ædificia, & Domos quæ magnâ ex parte lignis constabant. Ideò enim Templum Hierosolymitanum Libanus vocatur, Ezechiel. xvii. 3. Habacuc ii. 17. & Zachariæ xi. 1. quòd Cedris è Libano allatis ejus laquearia constarent: eandemque ob causam Palatium Salomonis Domus Saltus Libani vocatur iii. Reg. vii. 2. x. 17. & 21. Sic Jerem. xxi. 14. ubi dicitur: *Et succendam ignem in Saltu ejus*: Denunciatur incendium imminens ædibus magnificis urbis Hierosolymæ; quarum nempe erant *tigna Cedrina, & Laquearia Cypressina*, ut est Cant. i. 16. Et ex cap. ult. lib. iv. Reg. & xxxvi. Secundi Paralip. intelligitur Domos etiam Summatum, & regias, Hierosolymis fuisse majori ex parte structas è lignis: quippe quæ illic incensæ à Chaldæis dicantur, non destructæ: quemadmodum muri Civitatis, ut pote Lapidei, aut Lateritii, destructi dicuntur. Incendia igitur, & ruinas à tectis urbanis rusticisque Judæorum arcuisse intelligendi sunt memorati hoc Loco Angeli. quod ex allegoriâ in rem collatum, innuit rem à Josepho narratam: tribus quatuorve annis belli principium præcedentibus, cum interdum, & cædes in urbe & domorum quarumdam deprædationes per Sicarios, & Romanos milites factæ sint: tamen operâ Magistratuum, & Regis Agrippæ compositas statim quàm potuit optimè turbas illas; imaginemque saltem aliquam pacis redditam: Deo sic providente ne involverentur Christiani adhuc mixti cum Infidelibus, extremis illorum malis, si bellum inchoaretur, & obsideretur Hierosolyma prius quàm illi in tempore, ut dicemus, admoniti tutum in locum se recepissent.

℣. 2 Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis.

Nempe à Christo venientem, & ab eo missum, qui propriè vocatur Oriens, Prophetiæ Zachariæ cap. iii. 8. & vi. 12. & à Zachariâ Patre Joan. Bapt. Luc. ii. 78. & ascendisse dicitur *super Cœlos Cœlorum ad Orientem.* Ps. lxvii. 34.

Habentem Signum Dei vivi.

Signum. Græcè σφραγὶς, generatim est certum Symbolum insculptum gemmæ vel metallo, quod appressum ceræ aut simili materiæ, sui figuram in eâ relinquit. Non est autem dubium quin hujus signaculi character, ac figura Crux fuerit, quæ Mat. xxiv. 30. vocatur *signum filii hominis*, ut docet Chrysostomus in hunc locum. cum & apud Ezechiel. cap. ix. qui signati sunt in fronte littera *Tau*, figurâ crucis inscripti fuerint, quæ tunc istius elementi propria fuit, ut ex sexto, & septimo Siclo, quorum ectypa Villalpandus exhibet, intelligitur: nondum primævis Hebræarum litte-

rarum figuris in Aſſyrias commutatis, quod poſt captivitatem Babylonicam contigit: & jam olim perpetuo Chriſtianorum uſu, quemadmodum ex antiquiſſimis, quæ hodie extant, Græcorum Latinorumque Patrum Monumentis apparet, ſignandi verbum, quod Græcè σφραγίζειν eſt, etiam ſine alio addito de Crucis expreſſione dicatur. Leontius Actione ſecunda Synodi VII. recitatus, & Laudatus, σαυρὸν *Crucem* eſſe ait σφραγῖδα καὶ δακτύλιον καὶ χαρακτῆρα χριστοῦ *Sigillum & annulum, & characterem Chriſti.*

Et clamavit voce magnâ quatuor Angelis quibus datum eſt nocere Terræ, & Mari.

Ne fallatur parùm attentus horum Lector, exiſtimans hanc vocem dirigi ad quatuor Angelos ſuperiori verſu memoratos. non enim ita eſt, nec eſſe poteſt: cum illi Angeli priores, *ſtantes ſuper quatuor Angulos terræ* Judææ, ad ejus cuſtodiam, & ibi degentium protectionem, ex iſtius officii debito, & ſtudio proprio *tenuerint*, ut ibi dicitur, *ventos quatuor ne flarent ſuper Terram, & Mare, & Arbores*, hoc eſt, quantum potuere diſtulerint initium Romani belli, quo erat urbs Hieroſolyma, & tota Judæa vaſtanda delendaque, ac propterea intelligendi ſint fuiſſe boni, ac propitii Genii, benevolæ Dei providentiæ Miniſtri: quales haberi quatuor nunc memoratos Angelos illud prohibet quod hic dicitur: *datum eſt iis nocere Terræ, & Mari.* Nempe urbi Metropoli, & regioni Judææ. nam ſive *datum* ponitur pro *permiſſum*, hinc declaratur illos ſponte propriâ maleficos fuiſſe, ac vi anteà cohibitos ne nocerent: ſive *datum* exponitur *mandatum*; alii ſic fuerunt à Superioribus, quibus erat contraria curatio præſcripta. Agitur ergo hîc de iis quatuor qui appellantur infrà cap. IX. 15. Et ſoluti tunc dicuntur poſt clarigationem ſexti tubicinis Angeli, cum antea ſtarent alligati ad cuſtodiam limitis circa flumen Euphraten, *parati in horam, & diem & menſem, & annum*, quibus ex decreto æternæ Providentiæ deſtinatum erat initium belli Romani Hieroſolymam, & Gentem Judaicam deleturi. Senſus itaque dictorum hoc loco eſt initium belli Romani, quod quatuor legionibus ex Euphrate advocatis geſtum eſt, peculiari Chriſti juſſu fuiſſe dilatum quoad caveretur Securitati Chriſtianorum, qui mixti tunc adhuc Judæis, eâdem cum illis clade involvi potuiſſent.

℣. 3 Dicens: nolite nocere Terræ, ac mari, neque Arboribus quoaduſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.

Cum obſignantur Capſæ aut Apothecæ, vel etiam Domûs, Regio ſigillo, deterretur audacia furum aut graſſatorum, ne vim inferre illis attentet. Sed eo Miniſtrorum Divinæ Juſtitiæ, quorum vis major eſt, impe-

tus reprimi non posset. Propterea transituro per Ægyptum nocte secuturâ Exterminatore Angelo, ad cædem Primogenitorum, Exod. XII. præmuniuntur ab ejus vi, Domus Israëlitarum signo è sanguine Agni super utrumque ostii postem facto. Fideles in quorum cordibus per fidem Christus habitat, Ephes. III. 17. Domus sunt Spirituales, Petr. I. II. 5. quarum in superliminaribus, hoc est in frontibus, signum protectionis, & tutelæ ab ingruentibus à Deo malis per ipsum Deum ponitur. idque fit quando quisque homo in Ecclesiam per Baptismum adscribitur: quod sensim toto prædicationis Evangelicæ per Judæam spatio fiebat; aliis aliisque subinde credentibus. Quia verò usque ad prævisum, & præfinitum à Divinâ Providentiâ numerum Judæorum ad Christum convertendorum, mox exprimendum summâ centum quadraginta quatuor millium, Ecclesia ex Circumcisione nondum excreverat, differri Deus hîc jubet initium belli Romani, quo auferendam præsciebat omnem ejus rei facultatem: implens quod Christus prædixerat Mat. XXIV. 22. *Propter Electos breviabuntur dies illi*: prout fusiùs à me declarabitur infrà, ad v. 4. cap. IX.

℣. 4 Et audivi numerum signatorum: centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu Filiorum Israël.

Audiri dignus mihi videtur in hunc locum Bessonus. *Artis*, ait, *Cabalisticæ tres sunt partes, Gematria, Notarica, & Temurah. Prima est cum diversarum dictionum litteræ collectæ eundem numerum efficiunt*, ut *Metraton*, & *Scadai. de primo enim cum secundo compositio dicunt Hebræi*: nomen ejus ut nomen Magistri ejus: *quia alterum alteri est ἰσόψηφον, ut Græci loquuntur, id est: parem numerum colligit, nempe* 314. *Hâc cabalisticâ ratione utitur ex parte aliquoties Joannes in Apocalypsi, ut infrà cap.* XIII. 18. *ubi numerum bestiæ ait esse 666. quod in ejus nomine hic numerus inveniatur, & hoc loco ad nomen* Abraham *alludens, cum ait ex Judæis Christianos* 144. *millia extitisse, quem scilicet numerum litteræ illius nominis exprimunt. nam cum primò Abram dictus sit, numerum* 144. *litteris æquavit: superaddita autem littera, α, totidem millenariis auxit priores, ut Græcis Calculonibus notum est. conficitur* Αβραὰμ *esse ἰσόψηφον ρ μ δ χ Minimè vero, inquiet aliquis, nam He Hebraicum non a accessit nomini Abram. verum id quidem est, sed mysterio non vacat, quod abdicata Synagogâ, & vocatis ad Ecclesiam Gentilibus, quos Hebræi Græcos communiter appellabant, nomen Abraham Linguâ ipsorum hunc numerum dederit: qui divisus in partes duodecim, quot fuere Patriarchæ filii Abraham ex Jacob, totidem millenarios in singulas Tribus erogarit, ut pro unâ duodecade Patriarcharum veteris legis, fuerint duodecies mille duodecades Primorum Christianorum ex Judæis, quorum pater Abraham secundùm carnem fuit, & posteà secundùm Spiritum. quia ipse* pater est omnium Credentium *Rom.* IV. II. *Aio præterea Litte-*

ram ה *in nomine tetragrammato esse Symbolum filii. Galatinus lib.* II. *de Arcanis cap.* X. *& hanc litteram inditam fuisse pristino Abrahæ nomini, ut ex ejusdem prosapiâ filium suum carnem aliquando sumpturum Deus præmonstraret. hic autem est Christus* Χριστὸς, *cujus prima litera perinde millenaria est ut alpha*, *& idcirco apposita est à Joanne post* ϛ υ δ, *quæ res litteræ cum paria faciant nomini Abram* ἀβραὰμ, *significatur accedente* χ *id est Christo, ad Abraham (quo nomine cum gauderet promissionem accepit Gen.* XII. 2.) *Judæis nimirum Abrahæ filiis secundum carnem credentibus in Christum, veros Fideles, ejusdem filios secundùm Spiritum, in Tribubus duodecim multiplicandos supra modum. atque ita pro singulis ex duodecim Patriarchis, fore duodecies millenos, Denique certum est, nullum esse consonans Elementum in Græcorum Albeto, quod* ה *he consonanti Hebræorum respondeat præter* χ *ut merito ejus vicem, sin minus in pronunciatione, certè in Logistice impleat, in quâ idem valet* χ *quod He* ה *cur autem duodecim millia potius quam quindecim aut viginti, &c. Pro innumerabilibus posita sint (neque enim verisimile est, hoc numero ita præcisè comprehensos omnes, ut plures non forent, neque pauciores) non aliam video rationem, quàm quæ peti potest ex ipso numero Tribuum. Quemadmodum enim cum Christus sciscitanti Petro an Fratri dimitteret usque septies: respondit*; non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies Mat. XVII. *cui simile dixerat Lamech comparando pœnas ejus qui ipsum interficeret, & qui Cainum. Gen.* IV. 24. Hæc Bessonus.

℣. 5 Ex Tribu Juda XII. Millia signati.
Ex Tribu Ruben XII. Millia signati.
Ex Tribu Gad XII. Millia signati.
℣. 6 Ex Tribu Aser XII. Millia signati.
Ex Tribu Neptali XII. Millia signati.
Ex Tribu Manasse XII. Millia signati.
℣. 7 Ex Tribu Simeon XII. Millia signati.
Ex Tribu Levi XII. Millia signati.
Ex Tribu Issachar XII. Millia signati.
℣. 8 Ex Tribu Zabulon XII. Millia signati.
Ex Tribu Joseph XII. Millia signati.
Ex Tribu Benjamin XII. Millia signati.

Quæri solet ad hunc locum, cur in enumeratione Tribuum Israël omissa fuerit Tribus Dan. quod quin certo consilio factum sit à Joanne dubitari non debet? Existimo Tribum illam Sacerdotali judicio expunctam è Catalogo Filiorum Israël, jam à temporibus Davidis aut Salomonis, propterea

terea quod prima omnium Israëlitarum Tribuum Idololatriam,& publicè susceperit, & pertinaciſſimè annis continuis suprà sexcentos retinuerit, prout intelligitur è lib. Iud. cap. XVIII. Vide quæ diximus de simili omissione trium nominum apud Matt. cap. I. 9. in Libro de Genealogia Christi à cap. XXVII. ad XXXI. confirmatur autem hæc nostra sententia ex eo quod lib. I. Paralip.ubi diligentiſſimè recensentur novem primis capitibus successiones reliquarum omnium Tribuum, de istâ siletur. Scio quosdam suspicari Tribum Dan fuisse funditùs exciſam, ut extinctis qui ad eam pertinerent omnibus, nemo vel unus remaneret. Sed hoc nimis inveriſimile est, nec ullo teste idoneo probari potest. Faciliùs admiserim, quàm alii causam afferunt, quòd Antichristus ex eâ Tribu sub Mundi finem nasciturus sit, ideò ad quamdam significationem horroris à Ioanne prætermissam. Citat in eam sententiam SS. Hippolytum & Irenæum è Veteribus, alioſque Recentiores Malvenda lib. III. de Antichr. cap. X.

℣. 9 Post hæc vidi turbam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & Tribubus, & Populis, & Linguis, stantes ante Thronum, & in conspectu Agni.

Ex dictis nuper ad illa verba v. 2. cap. VI. *Exivit vincens, ut vinceret*: Et ex iis aliis quæ refert à Christo dicta Ioan. Evang. c. X. 16. *Alias Oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, &c.* Cognoscitur Christum in suâ destinatione semper subjunctam, & succenturiatam tenuisse vocationem, & conversionem Gentium, vocationi, & conversioni Iudæorum. Tali consentaneè sensui Ioannes, ab ipso utique instinctus Christo, qui hanc illi Apocalypsim, ut profitetur in ipso principio, dictavit, hoc loco post memoratum fructum è prædicatione ad Iudæos productum; incomparabiliter uberiorem è prædicatione ad Gentes proventurum prædicat, per digressionem quamdam à principali hujus loci proposito paululùm exerrans. Expositio igitur fructu suæ vineæ prioris, Domûs Israël, redacto ad centum quadraginta quatuor millia capitum verè conversorum ad fidem Christi, & Sanctificatorum per ejus merita; quantò hic numerus sit inferior multitudine eorum qui ex Gentibus aut jam crediderant & sanctificati per baptiſmum erant; aut mox credituri, & sanctificandi prævidebantur, declarat primùm hîc: deinde iterùm infra cap. XIV. Libri hujus. utrobique tacitâ inter utriusque vineæ proventûs comparatione factâ, significans per emphasim, hujus vindemiam incomparabiliter priori uberiorem. Nam cum prioris sementis Messis proportione unius ad duodecim millia creverit, quæ Magna fœcunditas videri poterat; posterioris in tantam ubertatem multiplicatio exceſſiſſe traditur hoc loco, ut pro duodecim millibus duodecadum, quæ summa etsi magna, facilè tamen numerabilis est: fructus seminis in agrum Gentilitatis jacti in Myriades Myriades Myrtadum, & summas omni humano calculo superiores

abundaverit, id sonant hæc quæ modò tractamus verba : *Vidi turbam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, &c.* Posteriore loco cap. XIV. I. Clerum Ecclesiæ ex Gentibus numerans, ait se *vidisse supra montem Sion cum Agno stantia centum quadraginta quatuor millia, habentium nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* Agit, ut ibi dicemus, de Ministris Ecclesiæ, ad sacra officia segregatis, qui à puero electi, adhibitique curationibus Ecclesiasticis minorum ordinum, per harum gradus ad Sacerdotium usque longâ disciplina promovebantur; Iuvenes integri, ante omnem usum cogitationemve conjugii, *Virgines enim sunt* (ait ibi v. 4.) *& cum mulieribus non coinquinati*, cœlibatum ad spiritum ultimum perducturi, *ut sequantur Agnum quocumque ierit*, Christi non tantum præceptis, sed etiam consiliis obsequentes, & exempla imitantes etiam perlatæ usque ad extremum in Cruce halitum immaculatissimæ virginitatis. Horum autem summam ex ἰσοψηφία *pari supputatione* nominis Abrahami ideò exprimit, quia Clerici Christiani, *exeundo de Domo, & cognatione suâ* ut Deum vocantem sequerentur, & eum in sortem, ac hereditatem eligerent, unde Clericorum appellationem ducunt, Abrahæ devotionem peculiariter imitati, in ejus Spiritualibus filiis censeri præ cæteris meruerunt. Atqui tales, cum non nisi multesima, ut patet, collectæ ex Gentibus Ecclesiæ pars sint, si tamen omnem omnis generis & sexûs multitudinem conflatæ ex Israëlitis Ecclesiæ pari exactè numero adæquant, prout hîc affirmatur; apparet quantam ex eo Ecclesiæ ex Gentibus, suprà Ecclesiam ex Iudæis, eminentiam prudens queat æstimator intelligere.

Amicti stolis albis & palmæ in manibus eorum.

Christianos hæc innuunt, non solo nomine, sed præterea re, qui & baptismalem innocentiam albis, ut dixi aliàs, significatam vestibus perpetuam in vitâ tenent: & in omni Persecutorum occursu Christi confessionem, minarum tormentorumque victricem, quorumlibet, exhibent. Quidam, in quibus fuit, de quo mox dicam, Autor Pseudepigraphi Libri IV. Esdræ, ex hâc *palmarum in manibus* mentione argumentum sumpserunt existimandi, loqui Ioannem hîc de Martyribus consummatis jam mortuis, & cum Christo in cœlo regnantibus. quod non mihi videtur cum cætero hujus capitis textu cohærere. Nec verò est necesse ubicumque palmæ fit mentio semper intelligere triumphum cœlestem, cum victoriæ cujuscumque, palma symbolum sit: & nemo dare nomen in Christi fidem, primis illis Persecutionum temporibus, sine victoriâ potuit. unde Ioannes idem noster Ep. I. c. v. *Hæc est*, ait, *victoria quæ vincit mundum fides nostra. quis est qui vincit mundum nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei.* Si ergo viventium etiam Fidelium victoriæ agnoscuntur, quidni eisdem palmæ indices victoriarum conveniant? Nam (quod scribit in symposiacis Plutarchus) *Placuit in certaminibus palmam victoriæ signum esse, quia ejus est indolis ut oppri-*

mentibus non cedat. Quidni autem palma rectè queat tribui Christianis citra mortem constantiam testatis, cum in usu Ecclesiæ olim fuerit, coronam iis & appellationem Martyrii concedere adhuc superstitibus tormenta pro Christo passis. Extant Epistolæ ad tales etiamnum viventes scriptæ, cum titulo *ad Martyres.* & ut benè Baronius observat An. Chr. 253. Num. LIV. ex Ep. Celerini ad Lucianum, quæ inter Cyprianeas XXI. est, manifestè colligitur, eos qui pro Christi fide custodiâ tenebantur, simul ipsis contigerat, verbera, Equuleum, aut aliud experiri tormentum, statim ante necem obitam *coronatos* dici. Nullum ergo characterem habet certum gloriæ cœlestis, prælatio palmarum in manibus; nec quidquam in eo est quod prohibeat hæc de adhuc spirantibus intelligi Christianis.

℣. 10. Et clamabant voce magnâ dicentes: salus Deo nostro qui sedet super Thronum & Agno.

℣. 11. Et omnes Angeli stabant in circuitu Throni & Seniorum, & quatuor Animalium: & ceciderunt in conspectu Throni in facies suas & adoraverunt Deum dicentes: Amen. Benedictio & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

Nihilò hæc magis excedunt captum vitæ mortalis. Nam & Ecclesia Dei Doxologiam eandem quæ in cœlo cantatur canit; & in unum cum Sanctis & Angelis concentum voces hinc mittit: prout profitetur quotidie Ecclesia in Missæ Præfatione, ubi post illa; *per quem majestatem tuam laudant Angeli*, &c. statim adjungitur: *cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur supplici confessione dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. Ex quibus patet tam celestem quàm terrestrem Ierusalem eodem choro concinere glorificationem sanctissimæ Trinitatis, cum eâ solùm differentiâ, quòd illa perenniter, jure suo, & in patria: hæc ex intervallis, precariò, & in terrâ alienâ Domini canticum canit.

℣. 13. Et respondit unus de senioribus.

In, *Respondit*, absolutum ponitur verbum, quod non nisi *relativum* esse solet, interrogationem præcedentem innuens, in scriptis eorum qui genuinè ac propriè linguis olim Græcâ Latinâve sunt usi. quo in numero habendi non sunt sacri scriptores Novi Testamenti: qui ferè omnes ortu Hebræi, res illâ linguâ mente conceptas græcè latinéve interpretantes, dum verbum hebræum cogitant anceps ad indicationem ejus qui sententiam inchoat aliquam, & qui propositæ ab alio suam reponit; frequenter *respondendi*, verbum adhibent, parùm cavantes ambiguitatem inde forte nascituram assuetis vernaculo usui Hellenismi aut Latinitatis, quod ejus in linguâ patriâ occasio nulla sit. Hæc ratio est catachreseos cujusdam verbi *respondeo*;

quæ sæpe in Evangeliis reperitur ; uti & hoc loco. ut omittam exempla ejusdem multa in versionibus græcâ & latinâ vulgatis librorum Testamenti Veteris.

Et dixit mihi : Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt ?

℣. 14. Et dixi illi : Domine mi tu scis. & dixit mihi, hi sunt qui venerunt de Tribulatione magnâ, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.

℣. 15 Ideò sunt ante thronum Dei & serviunt ei die ac nocte in Templo ejus, & qui sedet in Throno habitabit super illos.

Nec in his quidquam est unde cogamur hæc interpretari de Animabus corpore solutis. Dicuntur *amicti stolis albis* hoc est Christiani sanctè viventes & baptismo acceptam puritatem custodientes, exercendis continuè sanctis operibus, *venisse de Tribulatione magna*, hoc est de statu peccati in quo miserè vivebant filii iræ ante conversionem suam, accipiendo per baptismum ex meritis Passionis & mortis Christi remissionem peccatorum. In quâ innocentiâ perseverantes assiduè per fidem sibi præsentem Deum Dominum cogitant, sentientes, volentes, agentes quæ placere illi sciunt, & ab iis quæ vetat abstinentes ; quod est *regnum Dei intra se teneri* Luc. XVII. 21. & *advenire in hominem regnum Dei* Math. VI. 10. quod additur : *& qui sedet in Throno habitabit super illos*, justis pariter in Dei gratia viventibus convenire demonstrant illa : *Si quis diligit me sermonem meum servabit ; & Pater meus diliget eum ; & ad eum veniemus ; & mansionem apud eum faciemus*, Ioan. Ev. CXIV. 23. & ; *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris*, Paulus Ephesiis c. III. 17.

℣. 16. Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus.

℣. 17. Quoniam Agnus qui in medio Throni est, reget illos & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.

Sumpta hæc ex Isaiæ XLIX. 10. ubi legitur : *Non esurient neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol ; quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos*, quæ de redimendis, sanctificandis, & à malis vitæ hujus benignâ providentiâ protegendis per Christum iis qui in ipsum crediderint ab Isaïa prædicta, Ioannes de iisdem iterat. Et Christus dudum dixerat Samaritanæ Ioan. IV. 13. *qui biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*, &c. ubi de habituali gratiâ loquitur, quam qui retinet, Dei mandata exequens, anxiis desideriis per sitim corporalem significatis caret, & calamitatibus, si ei expedit, liberatur ; ut nunc Iudæi Christiani à ma-

lis quæ impendent Iudæis Infidelibus liberandi prædicuntur, vel si vexari eos Deus sinit, ita eos confortat & consolatur, *ut faciant cum tentatione proventum* I. Cor. X. 13. vel, *superabundent gaudio in omni tribulatione.* II. Cor. VII. 4.

Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Hoc fit etiam in hâc vitâ per consolationes divinitùs indultas: & specialiter convenit his de quibus agitur, maturè subtractis ex incendio Ierusalem, & in loco securo quiete lætâ fruituris, dum infandas alii calamitates patientur. Totum hunc locum æmulatus est Pseudo-Esdras lib. IV. cap. II. quem vide si lubet à vers. 42. ad finem. itemque, si tanti est, consule librum ante hos annos quadraginta & quod excurrit à me editum de concordia Evangelistarum in Genealogiâ Christi cap. XLII. num. VII. pag. 520. ubi de Autore & tempore scriptionis illius Apocryphæ quid sentiam expono.

AD CAPUT VIII.

℣. 1. Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi mediâ horâ.

HAC reclusione sigilli septimi cum tota miserrima catastrophe Judaicæ Tragœdiæ exhibenda sit, in ipso procinctu processurus Iudex ad extremum idemque horribile supplicium, quo perempturus, funditusque deleturus erat Gentem tanto tempore dilectam, præmittitur silentium mediæ horæ, quod ut in cœlo factum hîc Ioannes vidit, ita ejus illustrem significationem in terris editam Iosephus narrat his verbis cap. XXXI. lib. VI. juxta Edit. græcam: quia Rufino veteri Interpreti placuit librum de Bello sextum in duo partiri, cap. XII. lib. VII. pag. 960. Ed. Genev. πρὸ τῆς ἀποστάσεως, καὶ τοῦ πρὸς τὸν πόλεμον κινήματος ἀτροιζομένου τοῦ λαοῦ πρὸς τὴν τῶν ἀζύμων ἑορτὴν, ὀγδόη δὴν ξανθικοῦ μηνὸς, κατὰ νυκτὸς ἐννάτην ὥραν, τοσοῦτον φῶς περιέλαμψε τὸν βωμὸν, καὶ τὸν ναὸν, ὡς δοκεῖν ἡμέραν εἶναι λαμπρὰν, καὶ τοῦτο παρέτεινεν ἐπὶ ἡμίσειαν ὥραν. Hoc est: *Ante defectionem Judæorum à Romanis, & initium Belli, conveniente Populo ad festum Azymorum, dies erat octava mensis Aprilis, circa noctis nonam horam, tanta Lux circum altare & sacram Ædem effulsit, ut videretur esse dies clara: & hoc duravit ad mediam horam.* Ita ibi Josephus. Circa hujus facti rationem hæc cogitanti occurrebant. Exprimuntur in Scripturis Actus & sensus divini ad exemplum consuetudinis humanæ, utique haud aliter admovendi intelligentiæ legentium. Solent autem Homines primo inceptu rei magnæ, inusitatæ

& irrevocabilem aleam trahentis, cunctari paululùm. Ita Iulius Cæsar inchoans Bellum civile: *paulùm constitit: ac reputans quantum moliretur, conversus ad proximos. Etiam nunc, inquit, regredi possumus: quod si Ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.* Tale quiddam hic ἀνθρωποπαθῶς *humano affectu & more* Deo affingitur, non magis, opinor, illum dedecens, quàm *tangi dolore cordis intrinsecùs*, & *pœnitere quod Homines fecerit*: quæ de illo scribuntur Gen. VI. 6. & 7. Præterea consueverunt æqui ac sapientes viri sedulò vitare, nè in mulctas ac cædes Noxiorum cupidè, aut iræ impetu prorupisse videri possint. Vnde Plato refertur deprehenso in culpâ servo manum cum Virgâ sustinens dixisse: *Percuterem te nisi irascerer.* Sic Elizæus IV. Reg. III. 15. cum excanduisset objurgans magno ejus merito Ioramum Regem Israël, moram interposuit agendis quæ instabant: quoad spatio, & Psaltis ad hoc adhibiti cantu, iræ fervor resedisset. Ita nunc, quasi majestatem dedeceret supremi judicis festinanter videri procurrisse ad perdendos utcumque meritos; æterna abdicationi, exitioque ultimo mox inchoando Gentis Iudaicæ, *silentium* seu quies in cœlo, in terrâ serenæ lucis exsplendescentiâ præmittitur ad horæ dimidium: brevibus illis affectatæ alieno tempore placidæ tranquillitatis induciis, satis in præsens declaraturis: non æstu iracundiæ, sed justitiæ consilio maturo, meritissimas nunc demum pœnâs conscii olim immanium scelerum desperatæ correctionis Reis infligi.

℣. 2 Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Throni, & datæ sunt illis septem tubæ.

Tuba instrumentum est bellicum. ideo eleganter hîc innuitur, Beatis Angelis in Cœlo summa pace fruentibus, citharas quidem, & lyras solere ad manum esse, ut supra indicatum est cap. v. 8. & infra dicetur. c. XIV. 2. XV. 2. Tubas autem minimè: quare illas iis re nunc poscente, oportuit ad tempus dari: quando per eos denunciari Romanum in Judæos bellum supremo Gentis ejus exitio terminandum Deus jussit. aptissimè autem ad hoc tubas adhiberi quis non videt, cum per irruptionem Romani Exercitûs vastaturi Iudæam & expugnaturi eversurique Hierosolymam hæc calamitas inferenda esset. In omnibus autem Exercitibus, præsertim vero Romanis, in singulas penè horas tubæ audiebantur. Addo: isto Angelorum tubis clangentium septenario, sine dubio alludi ad rem Libri Iosuë cap. VI. narratam: ubi septem Sacerdotes cum tubis totidem septiduò semel quotidie clangentes circumeunt urbem Iericho, eo effectu, ut septima clarigatione muri Ierichuntis corruerent. Par hîc fortuna Hierosolymæ per Ierichuntem signatæ denunciatur; per septem Tubicinum Angelorum cantus, pari excidio Hierosolymæ secuturo.

℣. 3 Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens Thu-

ribulum aureum, & data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum.

Antea dixit de precibus Animarum Sanctarum martyrio functarum, cap. VI. 9. quæ magnam Deo causam decernendi Iudæorum exitii præbuerunt. Nunc viventium quoque adhuc Christianorum supplicationes eodem spectantes, oblatas Deo simul docet. Viventium esse has orationes, ostendit interventus Angeli. Angelorum enim est exulantium in vita mortali Fidelium preces offerre Deo, ut ex libri Tobiæ c. XII. 12. & aliis scripturarum locis intelligitur. Animæ quippe solutæ corporibus, & jam beatæ, Angelorum ad id operâ non egent: sed ipsæ coram supplicationes per se suas exponunt Deo.

℣. 4 Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.

Ascensione rectâ, nec vento interpellatâ, fumi sursum, significatur, exauditas à Deo Christianorum viventium orationes, qui amoveri postulabant impedimenta propagationis Evangelicæ Doctrinæ, quorum unum erat, vel maximum obstinatæ Synagogæ prosperitas, & Iudaïcæ Reipublicæ opes. quare ut eorum æquissimis desideriis gratificaretur Deus, eam funditùs exciturum se significat; nutu mandans Angelo, ut hausstos thuribulo de fornace Aræ carbones *in terram Iudæam spargeret, ut mox dicitur.*

℣. 5 Et accepit Angelus thuribulum & implevit illud de igne altaris, & misit in terram.

Indicante per id Deo, & exauditas esse à se preces sibi oblatas (consuetum enim in Scripturis signum est impetrationis, & ut Gentiles olim loquebantur, Litationis, in sacrificiis aliquid petentibus, si flamma cœlitùs in paratam holocausto pyram descenderet) & se decrevisse funditùs perdere Iudæam, cujus rei Symbolum aptum est immissio in eam Carbonum desolatoriorum ut Ps. CXIX. 4. loquitur. Etiam Gentilibus infandum & extremæ index Calamitatis auspicium putabatur, lapsus in terram ex alto Carbonum ex arâ sumptorum. Is fiebat interdum, Carnivoris avibus victimarum semiusta membra ex arâ in altum raptantibus, & hærentes Carbones excutientibus, eam avem, cujuscumque generis esset, ex hoc facto vocabant incendiariam, aut Spinturnicem, *quæcumque apparuerit Carbonem ferens ex aris, vel altaribus*, ut loquitur Plinius lib. X. cap. XIII. Quare opportunè statim additur.

Et facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.

Quæ fuere non tam præsagia imminentium, quàm initia præsentium malorum.

℣. 6 Et septem Angeli qui habebant septem tubas præparaverunt se ut tuba canerent.

℣. 7 Et primus Angelus tuba cecinit: & facta est grando, & ignis, mista in sanguine, & missum est in terram.

Neronis anno XII. Christi LXV. tandem exarsit apertum inter Romanos & Iudæos bellum; cujus causa proxima jam ab initio Imperii Neronis: imo & à nono Claudii, quo is Iudæos Româ expulit, per annos sexdecim lentè tracta, ænigmatico Symbolo exprimitur his Ioannis verbis: quibus ait, grandinem igne, & sanguine mistam in terram esse missam. nimirum Origo mali ejus fuit ira vehemens, obstinata & sanguinaria tum Romanorum, & illis subjectarum Gentium in Iudæos, tum horum vicissim in nationes ipsis dominantes aut vicinas. Odium passim solet frigore signari. induratio in odio, per gelu & grandinem figuratur aptissimè. in his paradoxa est conjunctio ignis cum grandine, hoc est ardoris flagrantissimi cum rigidissimo frigore, quali obduratur aqua in grandinem. inopinata quoque est sanguinis cum his junctio: sed quæ in Symbolis non cohærent, in re significatâ naturalissimè conveniunt. cum enim per hæc declarentur sensus Animorum turbidi, simul odio summo servitutis, impotenti amore libertatis, tædio, invidiâ, indignatione, metu pariter, & audaciâ inquietissimis æstuantium, experientia nos docet cuncta ista, utcumque invicem infensa, in perturbatis mentibus facilè misceri. qualem confusionem affectuum Virgil. Æneid. XII. in Turno graphicè depinxit his versibus,

Æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoque instania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.

Iudæi magnâ tumebant suæ suprà Gentes cæteras excellentiæ opinione, ex memoriâ suarum originum, & promissionum Patribus factarum, quæ opes ipsis, imperium, gloriam, qualia contingere hominibus possunt maxima, spondebant. Ipsorum vox est cum Christo jurgantium Ioan. VIII. 33. *semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam.* aliunde experiebantur se non modò servire Romanis, sed ab iis tyrannicè vexari, despici, diripi, cædi; qualia passos infanda memorat Iosephus superiùs laudatus, sub Præfecturis maximè Albini, & Gessii Flori. hinc dolore urebantur intimo. Exardescente simul odio immani Tyrannorum, simul impatienti desiderio vindictæ, æstibusque furoris è virium non modicarum conscientiâ, subinde in rebellandi conatus erumpentis; quem malè coërcebat obversantis oculis

oculis Romanæ potentiæ præsens timor, non diuturni (ut quidam ait) magister officii. unde statim rursus recrudescente magis magisque intùs odio, in consilia ultionis attentandæ revolvebantur; novis præsertim in dies lacessiti ludibriis & injuriis atrocibus. Tali fuisse animorum habitu Iudæos per ea tempora initiis Belli contigua, clarissimè docet Historia Iosephi: & eandem istam dispositionem in iis mentium, his hoc loco verbis adumbrat Propheta noster; simul innuens, dum hæc à cœlo missa dicit, fuisse in his θεῖον τι, *divinum quippiam*, fatalem nimirum trudentis in perniciem sic meritos vis majoris impulsum: feralis quippe quo pessum ruebant furor, cæca obstinatio, duritiæ indomabilis ictibus, pervicacia inflexibilis, impetus in præceps væcors, monita, consilia, & quævis obstantia perrumpens, majorem monstrabant, quàm quæ humanis & naturalibus adscribi causis posset, commotionem animorum. Grando igitur, obfirmationem in odio irrevocabilem; ignis, ardentem iram; sanguis, crudelitatem inhiantem cædibus; quibus Iudæi æstuabant in Romanos parentesque his populos; paribus contrà in gentem Iudæam instinctos furiis, signant: exprimuntque, quam hâc Angeli clarigatione primâ designare facer vates voluit, belli contra Iudæos Romani causam.

Et tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est.

Etsi, ut dixi, bellum anno demùm Neronis duodecimo palàm commissum inter Romanos & Judæos est: non tamen tunc initium cædium factum. Pestes illæ animorum, odium, ira, vindictæ ardor, utrimque stimulantes hinc Judæorum, inde Romanorum & his studentium Nationum animos, subinde irritas, rebellandi conatus, & seditiones erumpebant, è quibus deprædationes, vastationes, incendia, strages sequebantur. Talia plurima ab anno Claudii nono ad initium Belli contigisse testis oculatus, & pars malorum illorum, Josephus memorat; ex cujus narratione facilis fides adstruitur sacro vati prædicenti hoc loco, primis illis belli deinde aperti apparatibus, & quasi rudimentis, tertiam Terræ Iudææ partem fuisse combustam, hoc est latrociniis, populationibus, cædibus consumptam. Tertiam item partem arborum concrematam, per *arbores*, suprà vers. 1. capitis VII. signari domos & ædificia diximus. sed illic agi de ædibus intra Vrbis Hierosolymæ muros & ambitum sitis suadet conjuncta maris mentio quâ Vrbem Jerusalem in hâc Prophetia denotari monuimus ibidem. Hîc cum de Terra, hoc est regione Iudaicæ ditionis universa extrà urbem nominatim agatur, Villæ, castella, vici, oppidáque minora intelligenda sunt. quarum rerum pars tertia pessumdata incursibus, motibus, & tumultibus per ea tempora in Judæâ concitatis, per modò memoratas intemperies mentium, dicitur hoc loco, quod quàm sit credibile mox ostendam. Nunc enim illa postrema verba edisserenda se offerunt:

& omne fœnum viride combustum est. Ex illis Christi verbis Luc. xxiii. 31. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* intelligitur per virorem innocentiam signari. Duplicis autem hæc est generis, Prior absoluta & perfecta, labe carens omni, qualem illic sibi Christus tribuit justissimè. nam solus ipse per se, & ejus beneficio Mater ejus Maria, Immaculatissimâ innocentiâ nituerunt. Quamquam autem extrà hos *non est homo qui non peccet*, ttibuitur tamen quibusdam innocentia ex comparatione cum nequioribus: quali genere innocentiæ homines in originali peccato concepti & nati, dum mediocribus tantum: & plerumque ex fragilitate contractis, per vitam culpis maculantur, puri prædicari & innocentes solent. Hujus ordinis non multi qui tunc in Iudæâ erant, per hæc belli præludia omnes absumpti significantur his verbis; *omne fœnum viride consumptum est.* idque benignâ in eos providentiâ factum, innuitur arcanè. sic enim subtracti sunt horrendis cladibus in quas sunt reservati nocentiores, meritò scelerum suorum. Est enim votum commune prudentium, præverti optare summas calamitates morte sibi repræsentatâ. ex quo sensu illa apud Virgilium Evandri, filii unici Pallantis interitu afflicti, de sua conjuge prius mortua Æneid. xi.

Túque ô sanctissima conjux,
Felix morte tuâ, neque in hunc servata dolorem.

Et Æneid. i. Æneæ ipsius horrendam in mari tempestatem patientis.

O terque quaterque beati,
Queis ante ora Patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Ostendamus deinceps ex testimonio Iosephi quàm verè ac plenè perpetrata eventu, quæ hîc prædicuntur, sint. Eo quod definivimus spatio annorum circiter viginti ante initium belli, hæc contigisse ille narrat.

Transamnenses Iudæi odio illo & irâ sanguinaria quas grando igne mixta & sanguine signant, finitimos Philadelphenses, sine consensu Primatum & Magistratuum, latrocinio aggressi, multos ex illis interficiunt. Cuspius Fadus tunc Iudææ Procurator missus à Claudio, vehementer iratus quod judicium non expectassent suum, si putabant sibi factam à Philadelphensibus injuriam, sed ita temerè ad arma concurrissent, in seditiosos animadvertit, eorum duce Annibâ occiso. Idem Tholemæum Iudæum qui Idumæos & Arabas latrociniis infestaverat, capitis damnavit. alioque per Iudæam ausos paria coërcuit. Joseph. lib. xx. Originum Cap. i.

Tiberius Alexander Fado succedens in Judææ præfecturâ Jacobum & Simonem Filios Judæ Galilæi qui tempore census à Quirino initio rebellaverat negans fas esse Judæis Imperatori Romano subesse, moventes scilicet nunc quoque similia, crucis supplicio affecit. Jos. lib. xx. Orig. Cap. iii.

Rixa inter Galilæos Judæos, & Samaritanos obiter contractâ, cum multi Galilæorum cecidissent, irritati Galilæi cæteri vim parant, frustrà eos deliniente Magistratu, qui Ventidium Cumanũ tunc Judææ Præfectum ulturum causâ cognita injuriam ipsis à Samaritanis factam pollicebatur, nam vulgus Galilæorum, adscito in auxilium Eleazaro Dinæi filio latrone Judæo celebri, qui à multis jam annis per Montes errans Vicos Samaritanorum rapinis incendiisque vastaverat, armis temerè raptis Samaritanos invadit. quo cognito Cumanus, assumpta Equitũm ala & quatuor cohortibus peditum adjunctaque multitudine armatâ Samaritanorum, Galilæorum multos perimit, plures captos abducit. Galilæi post hæc novam vim parantes vix tandem ut quiescerent persuasi sunt ab Hierosolymorum Primoribus, qui saccos induti, capitibus cinere sparsi, supplices Galilæos precabantur, ne cõmunem Patriam irent perditum, bellum in eam à Romanis procurantes. quo facto visi quidem flecti sunt, repetentes domos suas. cæterùm latrones ex ipsis plurimi in notas dispersi latebras unde in prædas ac cædes erumperent, Iudæam universam Prædonum receptaculis impleverunt. Hæc Josephus lib. xx. Or. c. 5. Qui & addit Samaritanos causa delatâ ad Numidium Quadratum Syriæ Præsidem, effeciſſe, ut ille quos Judæos Cumanus ob vexatos Samaritanos in custodiam dederat, juberet crucifigi. itemque alios Judæos ejus noxæ compertos interficeret, Ananiamque summum Pontificem, & Ananum Ducem, eandem ob causam vinctos Romam mitteret. Successit Cumano Claudius Felix frater Pallantis liberti apud Cæsarem gratiosi. sub hoc (*Res Iudææ*) Verba sunt Jōsephi cap. vi. lib. xx. Orig. *prolabebantur usque in deterius: tota enim referta erat latronum receptaculis, & Magis præstigiatoribus, imperitique vulgi seductoribus. quorum multos, sicut & latrones, Felix quotidie comprehensos afficiebat suppliciis.* Hæc ibi Iosephus, addens de comprehenso per dolum Eleazaro Dinæi filio duce latronum, & Romam vincto misso: deque Jonathâ Pontifice clàm missis operâ Felicis Sicariis oppresso, deque Impostoribus & Magis post se multitudinem in loca deserta trahentibus, quorum Felix identidem immissa in eos militari manu strages edebat. Non omittenda sunt quæ ad rem maximè faciunt hæc Josephi verba: *Post hæc latrones rursum ad rebellandum Romanis inciabant: dictitantes excutiendum illorum imperium: & non assentientium vicos absumebant incendiis.* Hæc jam citato cap. vi. lib. orig. xx. Josephus; significans cædes quotidie innumerabiles per totam Judæam hoc tempore fuisse factas, partim à Romanis Judæos Præstigiatoribus credentes, coërcentibus; partim à latronibus Judæos rebellare Romanis recusantes ferro & flamma ulciscentibus, quæ peculiariter utilia sunt intelligendis verbis illis, *& omne fœnum viride consumptum est*, cum enim per *fœnum viride* juxtà expositionem priùs memoratam, minùs noxii Judæorum designentur, quales erant illi qui suadentibus rebellionem assentiri recusabant, apparet quàm verè prædicta hæc sunt. Liber etiam Actorum à cap. xxi. ad xxvii. referens ea quæ Paulus Apostolus à Judæis sub eadem Felicis Præfe-

cturâ passus est, magnum argumentum præbet odii & iræ sanguinariæ Judæorum per id tempus, symbolis grandinis igne mixtæ & sanguine nunc adumbratæ. Eodem pertinent quæ Iosephus narrat eodem cap. VI. lib. XX. de seditione Cæsariensi, quæ originem habuit à superbiâ Iudæorum illius urbis civium, alios qui pariter eam civitatem incolebant minus divites quam ipsi contemnentium & vexantium. quâ occasione irritatis mutuò animis ad lapidationem ventum, multis utrimque cadentibus. quod videns Felix immisit armatos milites qui multis Iudæis trucidatis domos eorum divitiis refertas diripuerunt. Præfecturæ quæ sequuntur Tres, Festi, Albini & Flori, usque ad initium belli, multò etiam tumultiosiores funestioresque prioribus per totam fuisse Iudæam fusè ac lamentabiliter Iosephus exponit capitibus VII. VIII. IX. lib. XX. sæpe laudati; & capitibus XI. XII. XIII. XIV. lib. II. de Bello. quæ describere hic longum foret, nec opus est, cum illic videri possint, & hactenus dicta sufficiant ad clarè demonstrandum: pleniss imè eveniss e quæ primâ clarigatione Tubicinis Angeli præmonstrata Ioanni fuerant redundatura in totam Iudæam mala ex injusto, inveterato, irrevocabili odio quo Iudæi plerique ardebant in Christianos, ut Paulum Apostolum ex actis Apostolicis, in Romanos Præsides & Milites, in Gentes finitimas, ut Samaritanos & Cæsarienses, quibus addi possent Scythopolitæ, *Damasceni*, Alexandrini, & alii ex aliis Iosephi locis; denique in se mutuò, Latronibus & Sicariis Iudæis Iudæorum aliorum strages quotidianas facientibus, & per rapinas ubique atque incendia grassantibus, ex quibus ante bellum contigit tertiam Iudææ partem absumi.

℣. 8. Et secundus Angelus tuba cecinit. & tamquam Mons Magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis.

℣. 9. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars navium interiit.

Quæ Gens Judæorum extrà Vrbem Hierosolymam tristia & dira passura erat aliquot annis ante bellum à Romanis palàm indictum, denunciavit tubicinium Primi Angeli: secundi clarigatio mala colligit quæ per idem tempus ipsa Hierosolymorum Civitas pertulit, obscuris hîc expressa symbolis Montis ardentis, & Maris: quæ ante omnia declaranda sunt à Nobis. Ac de *Mari* quidem res dudùm confecta videri potest. sæpiùs enim jam diximus, per *Mare* in hac Apocalypsis parte quæ de Judæis agit, Vrbem Hierosolymam signari: uti & in alterâ quæ res, acta, fortunasque Romanorum exequitur, Vrbem Romam. Hoc etsi considere poteram satis persuasum iri prudenti Lectori, continuâ inductione & experientiâ perpetuâ convenientiæ signorum cum rebus in locis singulis, ubi maris imagine ad Vrbem relatâ rectè cernuntur respondere vaticiniis eventa; puto tamen ta-

men operæ pretium fore hîc semel demonstrasse; Exteris etiam scriptoribus usitatam esse frequentium & populosarum Vrbium, omnisque adeò unum in locum coactæ Hominum Multitudinis, cum Mari comparationem. Cicero in Or. pro Cluentio: *Ex quo intelligi potuit, quod sæpe dictum est: ut Mare, quod suâ naturâ tranquillum sit, ventorum vi agitari, atque turbari; sic & Populum Romanum, suâ sponte esse placatum; Hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus concitari.* Idem in or. pro Murænâ: *Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes & quantos æstus habet ratio comitiorum.* Idem pro Milone. *Equidem cæteras tempestates & procellas, in illis duntaxat fluctibus concionum, semper putavi Miloni esse subeundas.* Publ. Scipio Africanus Major in oratione ad Milites sucronensis seditionis reos: *Multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est, ut venti & auræ cient: aut tranquilli, aut procellosi*, &c. Homerus Iliad. 3. v. 143.

Κινήθη δ' ἀγορὴ ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης
Πόντου ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' ἔυρός τε νότος τε
Ὄρορ' ἐπαΐξας.

Mota verò concio est, ut fluctus longi Maris
Ponti Icarii, quos Eurus & Notus
Attollit concitans.

Innumera similia passim occurrent apud omnes omnium linguarum etiam antiquissimos scriptores, ut mirandi causa nemini sit, cum videt à Ioanne Prophetiam obscurissimam de industriâ Larvis imaginum non statim intelligibilium obducente, Urbem Hierosolymorum numerosissimam, & mobilissimo Populo confertam, sub Symbolo maris abscondi. Montis ignei explicatio non minus, ni fallor, verisimilis dabitur, modò attentionem benevolam æquus Lector commodet. Aïo eo significari Præsidium Romanum quo Arx Antonia intrà Urbem Hierosolymam tenebatur. Ad quod intelligendum, memoriâ repetendum ex Josepho est, Herodem Magnum, qui opes & Regnum M. Antonio Triumviro deberet, ejusque protectione, Dominantis tum in Ægypto, & Oriente toto, valde se intelligeret egere, ut gratum se tanto Benefactori ostenderet, eumque in proposito sibi favendi magis magisque firmaret, Arcem munitissimam Hierosolymis struxisse in quâ essent Ædes Regiæ, cum adjunctis vastis spatiis ambitu murorum clausis, ubi commodè Romanorum militum Castra locarentur: eamque Antoniam vocavit. Diversabatur ibi quoties Hierosolymam veniebat Antonius. At cæteri post eum Romani Principes eam sibi propriam, & Præsidii, quo Urbem illam, & totam Judæam tenebant, stationem præcipuam habuere. Fuerat illa privatum Domicilium Hyrcani

Regis, & Pontificis, ubi stolam Pontificiam deponebat, loco Templo vicino, unde cum functionis usus poscceret, facilè sumeret. Hyrcano verò mortuo, & ultimo ex Asamonæorum genere Antigono in Herodis gratiam jussu Antonii occiso, ædificium in eo situ quale diximus Herodes condidit, & Antoniam vocavit, prout Josephus docet Originum lib. XVIII. cap. VI. Idem autem Arcem Antoniam diligentiùs describit cap. XV. libri V. de Bello juxta Editionem Græcam quâ libentiùs utor, quoniam Latina non nusquam minus accurata est, en ejus verba è Græcis cum fide reddita *Antonia verò sita erat ad angulum duarum Porticuum Prioris Templi, ejus nempe quæ ad occasum, & alterius quæ ad Septentrionem vergebat. ædificata vero fuerat super Petram quinquaginta cubitos altitudinis habentem, asperam undique ac scabram. Opus id fuit Herodis Regis, in quo maximè innatam sibi celsitudinnem mentis, ac magnificentiam ostendit. Rupis primùm inæquales prominentiæ, asperitasque ab radice omnis, abscondebantur obducto tectorio sectorum ad lineam, & lævigatorum lapidum: non speciei solùm gratiâ: sed & cautionis: cum hinc fieret, ut nec exteriùs adrepere ullus per prærupta in arcem; nec intùs clausorum demittere se infrà per fugam, ac furtum, posset: neutris utique reperturis in æquabili jam, ac lubricâ superficie, ubi manu aut pede niterentur. Inde ante turris structuram ductus circum murus est cubitorum trium, intra quem altè surgens quadraginta cubitis Arcis Antoniæ tota moles eminebat. Interiora, regiarum Ædium amplitudinem, & dispositionem habebant. compartita enim erant in omnem domuum talium formam atque usum. ambulationes videlicet, & balneas, subdivalibus spatiis adjunctis ad Prætorianorum Castrametationem satis amplis. ut ex eo quidem, quod omnium ad vitam utilium præsentem exhiberet copiam, urbs esse Antonia videretur: elegantiâ vero, ac magnificentiâ splendorem Palatii referret. Cum autem tota in Turris esset figuram conformata, ad Angulos quatuor aliis hinc inde septa erat turribus. quarum aliæ quidem in quinquaginta cubitorum altitudinem surgebant: quæ verò, in Angulo stabat Meridianam, & Orientalem Porticus jungente, septuaginta eminebat cubitis, ut ex ipsa in totum subjectum Templum despectus pateret latè liber quâ porro parte committebatur Arx Antonia duabus Templi Porticibus, gradus ad ambas dispositos habuit, per quos descendentes Præsidiarii (stationem enim ibi perpetuam habebat Legio Romanorum) & dispersi per Porticus cum armis, Populum in celebritatibus Festorum, ne quid novi moliretur, observabant. Nam urbi quidem imminebat, instar Munitionis Præsidiariæ, Templum: Templo verò vicissim Arx Antonia. quibus autem trium horum, Urbis Templi, & Arcis ipsius Antoniæ, custodiendorum cura erat commissa, omnes hi pariter in Arce Antoniâ sedes habebant fixas, & facilem è vicino receptum. Superior siquidem Civitas alio tenebatur Præsidio, cujus erant in Herodis Palatio stativa.* Hæc ibi Josephus, quid esset Arx Antonia

exactè docentia : nobisque hoc loco peropportuna : quoniam *Mons magnus igne ardens missus in mare*, significat Arcem istam, & ejus Præsidium, milites Romanos, accensos irâ in Populum Hierosolymitanum irruentes. in quo est observanda usitatissima etiam in populari sermone Synecdoche, *contenti*, ut loqui solent, pro *continente* : quâ domui, oppido, urbi ii tribuuntur motus aut actus, qui tectis & muris cum nullo convenire modo queant, personis intra eos muros, & sub iis tectis degentibus verè solùm, ac propriè quadrant : & nihilominùs intelligibiliter muris ipsis, ac tectis adaptantur, vulgari loquendi usu. Quam ergo non dedecuit Joannem in Prophetiâ, quæ non nisi obscurè proponi debebat, sub affectatâ specie paradoxi cujus incredibilitas proverbio vulgari celebrabatur, (ad quod alludunt illa Christi verba Marc. xi. 23.) *quicumque dixerit huic monti tollere, & mittere in mare*) rem maximam verissimé gerendam exprimere his verbis? incursus scilicet infestos militum Romanorum in arce Antonia degentium in Hierosolymitanam plebem; qui multi, & varii cum fuerint, omnes per Syllepsin in unum conferuntur.

Audire videor qui, me interpellans dicat, nondum sibi liquere cur Arx Antonia Mons vocetur. Huic ego ut cumulatè satisfaciam : primùm Aïo Montem dici Arcem Antoniam quia in monte structa erat, altiori eo monte in quo Templum erat situm : unde sicut Templum urbi, ita vicissim Arx Antonia Templo situs eminentiâ dominabatur, ut paulò ante dicentem Josephum audiebamus. quid quod idem dum docet supra scopulum rupicem quinquaginta totis cubitis è solo extantem, constructam fuisse Arcem Antoniam, an non ostendit evidenter montis ipsi appellationem convenire? Præterea Phrasis propria Prophetarum est Montes vocare ædificia, etiam in æquo campo aut in valle structa, præsertim excelsiora, & munimenti causa condita. Babylonem omnes sciunt in campo Sennaar, memorato Gen. xi. Æquâ inquam soli planitie sitam fuisse. Illam tamen Isaïas cap. xiii. Montem caliginosum vocat. Manifestum est igitur Arcem Antoniam rectè Montem dici : & quia per usitatissimam Synecdochen Habitatores nomine habitationis designantur, Legio Romana Arcem insidens illam jure appellari Mons potuit; & mons igneus cum excandescens irâ in Hierosolymitas erupit; sævis & variis incursionibus uno hîc vocabulo *montis igne ardentis in mare missi*, collectis. Enumeremus autem illas ex Historiâ, & facilè sentiemus oraculum Vaticinii cum eventu rebus patrato paria fecere, ubi significatur tertiam Hominum, & domuum, & Animalium urbe Hierosolymâ comprehensorum, partem hisce Præsidiariorum Romanorum, vel in Arce Antoniâ, vel in Palatio Herodis (quod paribus, & situs, & usûs causis Mons dictum, & simul comprehensum cum Arce Antoniâ hic debet intelligi) excubantium, insultibus infestisque grassationibus fuisse absumptam.

Prima narratur à Josepho libri xx. Orig. cap. iv. & libri ii. de bello

cap. xx. juxta Editionem Græcam ; juxtà Latinam autem , xi. Ex iisque locis ab Eusebio Ecclesiasticæ Historiæ libro II. cap. xix. sub Claudio Imperatore , Procurante Judæam Ventidio Cumano , cum Iudæi ad Festum Paschæ celebrandum in Urbem ex omni circum regione convenissent : contigit quarto die Azymorum Militem Romanum , unum ex iis qui armati tali tempore de Porticibus Templi supernè se ostentare consueverant , reductis turpissimè vestibus nates nudas confertæ inferiùs clarissimo die Multitudini Iudæorum obvertere , verbis simul additis quæ contemptum maximum & Gentis & Religionis ipsorum exprimerent. Ad eam speciem & vocem irritata contumeliâ intolerabili turba , ferociter inclamavit , contumeliosis & ipsa , insuperque minacibus , in Præsidem Cumanum vocibus , ni Militem impudentem statim utique sibi ad pœnam dederet. cumque frustrà moniti à Præside adeò non quiescerent , ut etiam seditiosi junioresque non pauci ad vim se palàm accingerent , & temerarium certamen lapidibus in Præsidiarios supernè stantes inchoarent : Cumanus quà irritatus contumeliis verborum , quâ veritus nè totâ irruens vi tam numerosa Multitudo milites suos loco pelleret , Κύμανος (verba sunt Iosephi) κελεύει τὸ στράτευμα πανοπλίαν ἀναλαβόντας ἥκειν εἰς Ἀντωνίαν *Cumanus jussit Exercitum universum omnibus armis assumptis convenire in Antoniam* , indeque acie instructâ in populum tumultuantem erumpere. Θεασάμενος δὲ τὸν στρατιώτην θεασάμενον τὸ πλῆθος , καὶ φοβηθὲν , φεύγειν ὥρμησε τῶν διεξόδων στενῶν , διώκειν δοκοῦντες ὑπὸ τῶν πολεμίων , καὶ συνωθούμενοι μετὰ τὴν φυγὴν , πολλοὺς ἀλλήλων ἐν τοῖς στενοῖς θλιβόμενοι διέφθειρον. δύο γὰρ μυριάδες ἐξηριθμήθησαν τῶν κατὰ τὴν φάσιν ἐκείνην φθαρέντων : *irruentes in se Milites cernens Multitudo , & terrore perculsa , incitavit se in fugam. cum autem angusti essent transitus : & Hostium , quos sibi quisque fingebat tergo imminentes , horror insanus omnes urgeret : singulis se quisque nisu immani trudentibus , plurimi compressibus in arcto mutuis passim exanimati conculcabantur. viginti ergo millia hominum illâ seditione periere.* Ita Josephus laudato cap. IV. libri xx. qui statim adjungit : illo adhuc luctu durante. quosdam qui Hierosolymis ex illâ turba fugientes evaserant , in publicâ viâ centesimo ab urbe stadio , in forte occurrentem Stephanum Cæsaris servum latrocinio grassatos , omnes ejus sarcinas diripuisse : eâque re Cumanũ auditâ , eò confestim immisisse militarem Manum ; addito mandato , villas vicosque loco propinquos diripiendi. quod dum illi crudeliter iræ indulgentes exequuntur , quidam hâc populatione Romanus miles , inventos in vico quopiam Mosis Libros palàm ostentans laceravit in conspectu Judæorũ plurimorum , multis debacchatus & in Legem & in Gentem totam conviciis. decem hominum millia hâc urbanæ seditionis appendice cæsa videtur innuere paulò ante laudatus Eusebius , dum cædes toto hoc tumultu factas ad τρεῖς μυριάδας , hoc est *ad triginta millia* perveniisse ait.

Secunda infestatio Hierosolymitarum à Præsidiariis Romanis hoc pariter vaticinio

vaticinio prædicta contigit Procurante Iudæam Albino. hic à Cumano quartus eam Procurationem gessit, nam inter utrumque medii fuere Felix, & Festus. De Albino Iosephus narrat Libri II. de Bello juxta Editionem Latinã cap. XIII. in Græcâ enim id caput numeratur XXIV. narrat, inquam, hunc hominem avarissimè ac crudelissimè potestate abusum. οὐκ ἔστι δὲ (ait) ἄνυπνα κακουργίας ἰδέαν παρέλιπεν hoc est: *neque enim fuit ulla maleficii species quam ille præterierit.* inter alia vero latrocinii crimine in custodiam datos accepta ab iis aut necessariis eorum pecuniâ non solum liberos emittebat, sed etiam iis ut securè deinceps latrocinari pergerent, dummodo sibi partem prædæ penderent, præsidio aderat. Eâ re compertâ divites expilari metuentes aurum ultrò multum Albino numerabant, ut latronum ab ipsis vim arceret. Alii verò qui eatenus innocentes vixerant, pacto cum Albino inito partiendorum cum eo spoliorum, securè jam & strenuè in domos fortunasque locupletum Civium grassabantur. Plena igitur non jam latronibus furtim ac timidè prædantibus, sed Tyrannis luce palàm, & quasi jure suo quidquid concupierant, extorquentibus, miserrima Hierosolymorum civitas erat. ἕκαστος δὲ τῶν πονηρῶν, (verba sunt Josephi) ἴδιον σῖφος ὑπεζωσμένος, αὐτὸς μὲν ὥσπερ ἀρχιλῃστὴς, ἢ τύραννος προανεῖκεν ἐκ τῆ λόχυ, τοῖς δορυφορεῖσι δὲ πρὸς ἁρπαγὰς τῶν μητρίων κατεχρῆτο. συνέβαινε δὲ, τὰς μὲν ἀφῃρημένας ὑπὲρ ἂν ἀγανακτεῖν ἐχρῆν, σιωπᾶν. τὰς ἀπλήγας δὲ, δέει τῆ μὴ τὰ αὐτὰ παθεῖν, καὶ κολακεύειν τὸν ἀξιον κολάσεως, Hoc est, *Vnusquisque ergo Improborum cohorte succinctus propriâ, ipse quidem inter cæteros quasi Princeps latronum & Tyrannus eminebat: Satellitibus verò suis ad direptiones innoxiè viventium abutebatur. ita fiebat, ut rapinas passi, pro eo ac par fuerat expostulare ac conqueri, silerent: Intacti verò eatenus, metu ne similia paterentur, etiam adulationibus ambirent donisque delinirent, pœnâ dignissimum.* Hactenus Josephus, satis intelligendum prudenti lectori præbens quantum miseriarum infelicissima Civitas Hierosolymitana toto triennio Præfecturæ Albini pertulerit, tanto tempore impositum ferens cervicibus in Arce residentem Antoniâ Tyrannum avarissimum, non jam sui Præsidii milites Romanos, sed iis multò tetriores Iudæos latrones quotidiè immittentem in ædes ac fortunas civium, autoratos nutu ejus ac patrocinio stipendiarios ipsius, qui propterea non minùs quàm qui ei sacramento dixerant milites, illius Satellites dici poterant. ut sic quoque *Mons igne ardens missus in Vrbem Ierusalem* cum ejus damno ac strage ingenti, Arx tunc Antonia potuerit intelligi, cum unâ tantum mutatione in causâ nocendi, quæ ut Ventidio Cumano fuit ira per ignem signata, sic Albino fuit avaritia, ignis & ipsa symbolo indicari solita. Nam qui eâ flagrant *inflammati cupiditate* Tullio dicuntur, cui concinit Horatius sic alicubi scribens:

Ardet avaritiâ miserâque cupidine pectus.

Successit Albino Gessius Florus. de quo est operæ pretium Iosephum

audire mox ibidem hæc dicentem : τοιοῦτον δὲ ὄντα τὸν Ἀλβῖνον, ἐπιδείξειν ὁ μετὰ τοῦτον Γέσσιος Φλῶρος, ἀγαθώτατον κ' σύγκρισιν. *Sic versatum in Procuratione Albinum, declaravit, in hâc ei succedens Gessius Florus, sui comparatione, optimum.* quod pergit in hunc modum demonstrare ὁ μὲν γὰρ (aiens) λάθρα τὰ πολλὰ, κ' μεθ' ὑποσολῆς ἐκακούργησε. Γέσσιος δὲ τοῖς εἰς τὸ ἔθνος ὠμότησι ἐπόμπευε. *Albinus quidem clàm plerumque, ac non sine quâdam verecundiâ, peccabat: Gessius autem immanes suas in commissam sibi gentem, grassationes velut iis glorians, gaudebat ostentare,* Pergit idem Historicus dicere, tum jam citato cap. xxiv. lib. II. de Bello, tum cap. ix. libri xx. Originum : Florum sic se gessisse tamquam missus esset non Procurator aut Præses ad regendam Gentem Romanis subditam : sed carnifex ad excruciandos gravissimorum convictos criminum & morti acerbæ damnatos reos. nullam rapinæ rationem, nullam excarnificandi atrocitatem omisisse ; in miseris, crudelissimum. in turpibus impudentissimum ; parum huic visum illatis viritim dispendiis lucra quærere ; totos simul populos totas urbes spoliasse ; tantùm non voce palàm edicentem, liberum esse omnibus latrocinari, modò ipsi prædarum pars præcipua redderetur. Denique ob illius avaritiam contigisse totam penè desolari regionem, miseris civibus domo pulsis perfugium apud Gentes Exteras coactis quærere. A tali Præside Arcem Antoniam cum obnoxiâ sibi paratâque ad omnem vim & nutum Legione Romanâ, obtinente quid passa Hierosolymitana Civitas toto ferè triennio fuerit, subjiciet sibi facilè animo prudens quivis æstimator rerum. quotidie nimirum Mons ille ardens in subjectam devolutus urbem, populandi, vastandi, diripiendi, nunc has nunc illas miserrimorum Civium domos finem faciebat nullum. Nec solâ semper cupiditate inflammatus ferebatur ; irâ utique sævâ non rarò æstuans. cum enim tam atrocibus injuriis irritati Iudæi, non patientissima naturâ Gens, dissimulare in Florum odia non possent, indignatus ille horrendum in modum bacchabatur. Miserandum in eo genere est quod Iosephus narrat cap. xxv. lib. II. de Bello juxtà Ed. Græc. Nam in Latinis xiv. est. Ibi sedens in Arce Antoniâ Florus, pro Tribunali armatis Militibus succinctus, Principibus Sacerdotum & Primis Civium edixit : dederent sibi statim quotquot ipsum Maledictis incessissent. Negantibus autem illis se scire quinam ii essent : aut posse in multitudine paucos insolentiùs quid ausos, vel discerni, vel convinci, aut comprehendi : cæterùm gentem ipsi supplicem & subjectam erroris paucorum veniam petere. ad ea ille furore ardens ; ait Iosephus : ἐμβοᾷ τοῖς στρατιώταις διαρπάζειν τε τὴν ἄνω καλουμένην ἀγορὰν, κ' κτείνειν τοὺς ἐντυγχάνοντας. *Inclamat Militibus: irent, diriperent Forum quod superius vocabatur, & obvios quosque trucidarent.* Milites autem autoratam cupiditatem suam ducis imperio gaudentes, non iis terminis quos ille definierat furorem cohibuere ; sed ubi forum illud omni copiâ plenissimum rapinis immanissimis exhausissent, domos quoque invadentes Tractûs illius om-

nes crudeliſſimè deprædati ſunt, cunctis earum habitatoribus interfectis. cum autem fugientes plurimi ſe per angiportus truderent, qui ex his contigui telis militum fuere, ibidem ſunt occiſi. Ab hâc cæde redeuntes, multos honeſtorum civium obiter comprehenſos Floro obtulerunt. quos ille verberibus laniatos in crucem ſuſtulit. Numerus illo interfectorum die, computatis mulieribus & parvulis, (neque enim vel lactentibus pepercerant) circiter trium millium & ſexcentorum fuit; in Græco quippe eſt: περὶ τρισχιλίους καὶ ἑξακοσίους unde corrigendus error Interpretis Latini, qui ſexcentos ſolùm & triginta numerat.

Aliam cædem à Floro Hieroſolymitarum factam, quâ plurimi eorum, vel ferro, ac ſagittis militum, vel mutuâ in fugâ compreſſione perierunt, narrat Ioſephus lib. citato, capite in Græcis xxv. in Latinis xv.

Adjungit idem Hiſtoricus cap. xxvi. continuatam diebus ſequentibus parem à Floro ſævitiam, tantâ rabie, ut licet eum Bernice Regis Agrippæ apprimè Romanis fidi, & apud Neronem gratioſi, ſoror, tum fortè cujuſdam religionis causâ Hieroſolymis immorans, miſſis ad eum ſuorum Equitum primis, quin & per ſe ipſam ſupplex accidens, enixè oraſſet, à cædibus deſiſtere, adeò nihil impetravit, ut deditâ operâ in ejus oculis trucidationes Hieroſolymitarum à Romanis Militibus frequentarentur: ſed & ipſa interficienda fuerit, niſi maturè, id parari cernens, in aulam regiam confugiſſet: illicque totam noctem intentâ ſuorum Prætorianorum vigiliâ cuſtodiretur.

Ultima ſtrages Iudæorum intra Hieroſolymam à Præſidio Romano, ante obſeſſam à Veſpaſiano Civitatem, refertur in hunc modùm à Ioſepho, lib. II. de Bello capite in Græcis xxxix. in Latinis xxiv. Ceſtius, Syriæ, Præſes, cui contributa Iudæa erat, accuſante Iudæos defectionis Floro, venit cum exercitu Ieroſolymam die xxx. menſis Octobris, & non auſis infirmiorem Vrbis partem contra eam vim defendere Iudæis, intra eam armatas copias induxit: eamque partem quæ *Vrbs nova* dicitur, & aliam cui *Bezeta* eſt nomen, & forum quod vocatur *trabium*, cuncta pariter flammâ conſumpſit. Sic progreſſus ad ſuperiorem quam ſeditioſi ſe velle defendere monſtrabant, caſtra poſuit propè Palatium Herodis, quæ ut ſuperiùs ex Ioſepho retulimus, erat altera Hyeroſolymis Romanorum Arx, in quâ Præſidium Vrbi Superiori impoſitum ſtativa tenere conſueverat. Qui locus cum amplitudine & munitione murorum ac turrium Arci Antoniæ non cederet, & ſitum etiam haberet haud paulò celſiorem, jure poteſt exiſtimari Montis in hâc Prophetiâ memorati ſignificatu comprehendi, qui ardens igne dicatur, ob iram vehementem in Iudæos quâ tunc tam Ceſtius quàm ſubjecti ei milites in Palatio Herodis, ut eſt dictum, caſtrametati flagrabant, quam & incendendâ omni eâ parte urbis quæ in ipſorum erat poteſtate monſtraverant. Aliquot diebus ibi Ceſtius manſit, quantum poterat Iudæis nocens, ac ſi voluiſſet vi aggredi ſuperiorem Civitatem, judicio Ioſephi eam facilè capturus, & ſic finem impoſiturus vixdum cepto

bello. Sexto die Templum vi aggressus eò rem brevi tempore deduxerat, ut mox capturus videretur. Quando subitò, nescitur quâ causâ, receptui canens, exercitum secum extrà urbem eduxit, castra quæ in loco *scopos* dicto priùs munierat, septem stadiorum intervallo, repetens.

Hæc omnia Hierosolymitanis per Romanos illata ante Titi oppugnationem mala hîc prædicuntur Symbolo *Montis ardentis missi in mare.* Quod additur: *facta est tertia pars maris sanguis*, significat occisam esse tertiam partem Hominum tunc Hierosolymis degentium: sequentia: *& mortua est tertia pars creaturæ habentium animas in mari.* In Græcis Originibus sic habent: ἀπέθανεν τὸ τρίτον τῶν κτισμάτων τῶν ἐν θαλάσσῃ τὰ ἔχοντα Ψυχάς. quæ sic ad verbum Latinè sonant: *& mortua est tertia pars creaturarum quæ erant in mari, habentes animas.* Cum mare, ut est demonstratum, significet cives Hierosolymitanos aut Liberos homines in eâ diversantes urbe, per creaturas quæ habent animas intelligenda puto primùm mancipia, deinde jumenta & bestias, quarum strages iis cladibus, queis ipsarum Domini periere, factas, exhausisse tertiam, & servorum, & bestiarum Hierosolymis tunc repertorum partem hîc prædicitur; atque ita revera evenisse quæ recitata ex Iosepho sunt facilè suadent. Infra cap. XVIII. 13. ut ibi diligentiùs adstruemus, *animæ* vocantur homines conditione servi. propterea quod ii solam in suo jure animam habebant cum corpus ipsorum esset sub alienâ potestate. unde incredibile videri non debet, per creaturas quæ habent animas servos hîc signari: sub quam etiam notionem sponte veniunt animalia diversi generis, quæ possidere ad usus varios homines gaudent. quod denique additur: *& tertia pars navium interiit* Domuum & ædificiorum urbis Hierosolymitanæ ruinas indicat, illis tumultibus quos retulimus sub Floro præsertim, & Cestio, illic evenisse. Satis autem est consequens, cum urbis Hierosolymitanæ populus maris Symbolo signetur, Domos ejusdem comparari navibus, præsertim cum, ut nuper annotabamus ad v. 1. capitis VII. Domus illis in locis magnâ ex parte lignis, ut naves, & materiâ constarent.

℣. 10 Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de Cœlo Stella magna, ardens tamquam facula.

Notavimus superiùs, Doctores apud Iudæos stellarum Symbolo solere designari: sed veros & bonos, Stellarum fixarum, & in Cœlo perenniter lucentium: pravos autem, siderum errantium; ut Iudas Apostolus loquitur in suâ Canonicâ v. 13. aut etiam è Cœlo cadentium, ut superiùs cap. VI. 13. & hoc loco: ubi existimo significari apparitionem, sive celebritatem in populo Iudaïco maximam Impostoris pessimi, cujus mentio est Act. XXI. 38. ubi Tribunus Lysias interrogat Paulum his verbis: *Nonne tu es Ægyptius qui ante hos dies tumultum concitasti; & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?* Agit etiam de eo Iosephus Originum lib. XX.

cap. VI. & lib. II. de Bello cap. XXIII. juxta Edit. Græcam, Latinè XII. utrobique eum non alio nomine, quàm Ægyptii appellans. quòd tali videlicet vocabulo vulgò indigitaretur: quippe oriundus ex Ægypto, & illinc in Iudæam profectus: ut disertè etiam Iosephus idem testatur loco priùs citato. Motus autem quem hic nebulo per Iudæam concitavit, ingens & pernicioſus fuit, nec parùm momenti trahens in causam exitialis belli. unde dignus fuit qui à Prophetico Spiritu prænunciaretur futurus hoc loco. Nec vacat quod additur: *tamquam ardens facula.* Significans, istam caducam Stellam dissimilem in eo fuisse aliarum exhalationum in aëre noctu accensarũ; quæ quando in terram cadunt, statim extinctæ vim se non habere igneam monstrant: sed ritu fulguris evanescunt, nihil amburentes. at ista sicut flamma in segetes maturas incidens, magnam corripuit multitudinem levis populi, dementans eos, & ad temerè rebellandum in Romanos incitans, ut mox dicetur.

Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.

Ut Civitas Hierosolymitana *Mare* in hâc Prophetiâ vocatur, sic, analogiâ servatâ, urbes Iudææ minores *Flumina* hîc dicuntur: & Pagi *Fontes*, alluſione ad Græcas Origines. Pagi enim quia solent circà, vel propè fontes condi, à voce Græcâ πηγὴ quod doricè παγὰ scribitur, Latinum nomen ducere creduntur à præstantibus Grammaticis. Iste autem Ægyptius Impostor minùs Hierosolymis profecit, quàm per cæteram Iudæam; ubi tanto favore cæcæ plebis exceptus est, ut promittens se mirabilia ostensurum, triginta Hominum millia per solitudines circumageret, ut Iosephus ait lib. II. de Bello cap. XXIII. nempe cum ei quatuor tantùm millia initio adhæsissent: ut ex Actis paulò ante diximus: deinde multis aliis eodem confluentibus, hic numerus trium Myriadum est conflatus.

℣. 11 Et nomen Stellæ dicitur Absinthium.

In Græco legitur hodiè ἄψινθος: sed noster vulgatus legisse videtur ἀψίνθιον unde *absinthium* reddidit, Herbam notissimam ab Absintho urbe Thraciæ nomen olim nactam, ideò forte, quod vel magnâ ibi copiâ hæc planta proveniat; vel ibi primùm adhiberi ad humanos medicinæ usus ceperit. ut cerasus arbor nomenclationem duxit à Cerasunte Civitate Provinciæ Ponticæ, quam cum Lucullus mithridarico bello delevisset, surculos istius arboris bacciferæ, copiosissimè in ejus territorio provenientis, primus in Italiam transtulit: unde in cæteras Occidentis oras propagatæ sunt Cerasi, primæ patriæ nomine retento: quod idem de Malo Persicâ dicitur. Videri potest Ioannes hoc loco, vulgatum hujus falsi Prophetæ nomen, quod erat, ut vidimus, *Ægyptius* levi mutatione detorsisse in Absinthius ad indicandam amaritiem pestiferi ejus dogmatis. forte in animo habens locum Ieremiæ cap. XXIII. 13. & seq. *In Prophetis Sama-*

ria vidi fatuitatem. Prophetabant in Baal, & decipiebant, populum meum Israël. Et in Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii... Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad Prophetas, ecce ego cibabo eos absinthio. Nec aut indigna Scriptore Sacro, aut aliena à genio Joannis censeri debet talis detorsio, cum ejus similem infra visuri simus cap. IX. II. in voce *Apollyon* detorta ex *Apolline* famoso Romanorum Idolo, ut ibi notabimus. & Paulus ad Philipp. III. 2. similiter ludat deformando *Circumcisionem* in *Concisionem*, φριτομὴν in κατατομὴν quo exemplo SS. PP. Græci contra Photinum Hæresiarcham scribentes, eum scommaticè *Scotinum* σκοτεινὸν appellant, uti Vigilantium S. Hieronymus *Dormitantium*. Elegantia autem eò major hoc loco inflexionis hujus *Ægyptii* in *Absinthium* sentietur à Lectore si reputaverit, quod verisimillimum est, hunc Agyrtam Seductorem è secta fuisse Isiacorum Phanaticorum ex Ægypto peregrè vagantium ostentando sanctitatem, & è credulitate populorum per Asiam quæstum facientium obiter mendicando. qui adeò existimabantur Sacrosancti, & quos nefas esset violare, metu passim incusso, ne qui eis verbo aut facto incommodaret, statim ab Iside plecteretur, ut Romani nobiles, quorum intererat peregrinando latere, ut ab injuriâ omni tuti, ac securi essent, personam, & habitum Isiacorum sumerent: ut de Domitiano deinde Augusto docet Suetonius in ejus vitâ cap. I. & de Marco Volusio proscripto, Valerius Maximus lib. VII. Istiusmodi porrò errones Isiacos, pro insigni peculiari ramum absinthii manu præferre solitos, docet Plinius lib. XXVII. cap. VII. sic scribens: *Est & absinthium marinum, quod quidam Seriphium vocant, probatissimum in Tapostri Ægypti. Hujus ramum Isiaci præferre solemne habent.* Ita ille.

Et facta est tertia pars aquarum in absinthium.

Hæc aquarum mentio restringenda est ad flumina & fontes; quæ ex allegoriâ reddita, sunt urbes minores, & pagi Iudææ. In his extrà Hierosolymam plurimùm nocitura prædicitur hîc Ægyptii circulatoris corruptela. adeò ut tertiam ibi degentis Judaïci Populi partem infectura lue quadam sit, quæ per amaritiem ejus similem quam absinthii succus habet, exprimitur his verbis. Ea, quantum capio, duplex est: pravum dogma, & odium ferale Dominantium. Primùm quippe seductor Idololatra cæcam Plebem sibi credulam trahens, falsis eam opinionibus imbuebat: deinde iis inspirabat tædium immane servitutis quâ premebantur sub jugo Romanæ potentiæ, unde in væcordes conatus ejus excutiendi prorumperent. Utramque labem in scripturis reperio signatam amaritiei Symbolo. Pravam quippe doctrinam eâ imagine depinxit S. Petrus dum Act. VIII. 23. Simoni Hæretici, & impii dogmatis comperto, dixit: *in felle amaritudinis video te esse.* Nec leviores aut minoris perniciei errores erant quibus imbuebat vulgus sibi addictum Ægyptius Impostor, *Magus* (ut

habet Ioſephus cap. XII. lib. II. de Bell.) *& Prophetæ authoritatem ſibi arrogans*: adde *Iſiacus*, hoc eſt profeſſus myſta Ægyptiæ Iſidis, quam omnipotentem Deam eſſe, docente ipſo triginta illa hominum millia quos per deſerta ducebat, videlicet credebant: uti, & alia quæ ſibi divinitùs revelata mentiebatur. qualia ſuccum abſinthii Symbolicè vocari, innuit nuper citatus Ieremiæ locus: ubi Pſeudo-prophetis qui ſomnia vanæ ipſorum mentis pro divinis Oraculis tradebant, pœna decernitur guſtatus abſinthii, quaſi ut per quæ peccaverant punirentur. At frequentiùs amaritiei allegoriâ deſignatur in Sacris Libris, rancor ægrè aliquid ferentis, mœrentiſque & indignantis animi. Vide Exod. I. 14. Ruth. I. 20. IV. Reg. IV. 27. Eſther IV. I. Iob. III. 20. Prov. XIV. 10. & alibi paſſim. ad talem animi motum impellebat Iudæos extra Hieroſolymam habitantes: & per ſeſe ſentientibus gravitatem Romanæ ſervitutis, illa ipſa mala verbis exaggerans, fiebat, quod dicitur, unguis in ulcere, offerens ſe ducem ad jugum iſtud frangendum, excidendâ Romanæ tyrannidis Arce, Urbe Hieroſolyma; ubi Arcem Antoniam, & aliam Munitionem, quæ Palatium Herodis vocabatur, Romanæ legiones inſidebant. Electis ergo è ſibi credulo Provincialium Iudæorum Populo triginta millibus (ait Ioſephus Orig. lib. XX. c. VI.) *perſuaſit, ut ſequentes ſe in Montem Oliveti aſcenderent, qui è regione Urbis ad quintum abeſt ſtadium, illic enim viſuros ſuo juſſu cadere Hieroſolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinas aditus ipſis facilis pateret, ad Civitatem*, expulſo inde in perpetuum Romano præſidio liberè ac ſecurè poſſidendam. quo cognito Felix tum Iudææ pro Romanis Præſes, in illa triginta millia in Montem Oliveti profecta immiſſo Exercitu, multos occidit, multos cepit, omnes fugavit. Deinde ſcilicet in Provinciales ejus ſeditionis participes quæſtionibus habitis, pro ipſorum culpæ merito ſæviens. Erant autem hi, ut hîc dicitur, facilè tertia pars omnium extra Hieroſolymam degentium Iudæorum.

Hic me Beſſonus ſæpe hactenus laudatus deſerit. nam ejus in Apocalypſim dictata, in hoc verſ. XI. capitis VIII. & tertii Angeli Tubicinio deſinit. Iſtam eò minùs ægrè deſtitutionem fero, quòd quâ ille inſtituerat via pergere, ſequi haud poſſem. Angelorum quippe Tubicinum cantus, ille ad Hæreſum exortus refert: in primo Elxan, in ſecundo, Marcionem, in tertio Marcum quemdam, Hæreſiarchas intelligens: quæ ad meas accomodari rationes nequeunt.

℣. 12. Et quartus Angelus tuba cecinit: & percuſſa eſt tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars Stellarum: ita ut obſcuraretur tertia pars eorum: & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.

Verbum *percuſſa eſt*, in originibus, ἐπλήγη, innuit vulnera, neces & ſtrages hîc Mortalium prædici, ſane ſeries ipſa Prophetiæ hactenus ordini

Historiæ se accomodans; & hanc κτ̄ πόδα subsequens, exigit, ut postquam huc usque sacer Vates executus est, ea quæ ante bellum Romanum clarè indictum & commissum in Iudæâ contigerunt, nunc exponat primos ejus impetus effusos à Vespasiano nondum Imperatore in universas Iudaïcæ ditionis regiones, Vrbe ipsâ Metropoli exceptâ: quam studuit primùm exarmare præsidiis & subsidiis omnibus, ut faciliùs posteà subigeret nudatam & μεμονωμένην, *solitariam relictam.* Mirum autem primo aspectu lectori videbitur cædes hominum percussione siderum signari. Sed si mecum attentiùs dispiciat, spero equidem fatebitur, nec alienam ab ænigmatico affectatissimæ obscuritatis scripto, nec prorsus inintelligibilem, nec planè destitutam exemplis celebrium scriptorum, esse talem res istiusmodi exprimendi formam ac rationem. quin & ipse vulgaris sermo fert interdum aliquid simile; antiptosim videlicet vocum activæ passivæque. ex populari enim usu, non ex recondito Schematum Poëticorum penu scripsit Virgilius III. Æneïd. de solventibus funem è littore & altum petentibus Nautis

Terræque Vrbesque recedunt.

Cum ipsi potius navigantes, ut est perspicuum, recedant, terra & urbibus permanentibus immotis. Ita porro hîc dicitur tertia pars Solis, Lunæ ac stellarum *percuti*, quando percussâ tertiâ eorum qui luce istorum fruebantur parte, tot oculi à cœlestibus luminaribus collustrari desinunt. Homerus versu 357. Odyss. υ. qui est liber ejus Poëmatis xx. inter alia præsagia necem Procorum Penelopes ab Vlysse patrandam portendentia hoc ponit:

ἠέλιος δὲ
Οὐρανοῦ ἐξαπόλωλε κακὴ δ' ἐπιδέδρομεν ἀχλύς.

Sol autem
E' cœlo periit: tristis autem cœlum obduxit caligo.

Ad quem locum Eustathius, ubi retulit quosdam hæc de Solis Eclipsi interpretari, sic addit ex aliorum, quam magis probat sententia: καὶ μήν τινες, τὸ, ἠέλιος οὐρανοῦ ἐξαπόλωλεν, οὐκ ἐνόησαν ἐπὶ τὸ ἐκλιπεῖν. ἀλλ' ὅτι τοῖς μνηστῆρσιν ὁ ἥλιος ἤδη ἐπιλέλοιπεν ὡς τεθνηξομένοις. καθὰ καὶ Θεόκριτος ἥλιον πάντα δεδυκεῖν λέγει τῷ ἤδη θνήσκοντι. Hoc est: *Verumenimverò quidam, illud, Sol è cœlo periit, non intellexerunt de Solis defectione. sed per hoc putant exprimi, occumbere Procis solem tamquam mox morituris: sicuti & Theocritus, omnem solem occumbere ait cuicumque jam morienti.* Hæc ille. nunc intelligo, ut hoc obiter annotem, quid sibi velit apud Livium Dec. IV. illud Demetrii (ni fallor) Philippi Regis filii dictum: *Non omnium dierum sol occidit.* Sgnificat enim se nondum mori, & sperare inventurum vita porrò durante tempus & occasionem perficiendi quod destinaverat. Ad rem hinc nostram

noſtram. ſi, quod clarè comprobatum modò dictis eſt, locutio claſſicis etiam Autoribus uſitata eſt: ſolem dici occumbere morientibus, quidni liceat credere dum à Ioanne hoc loco tertia Solis & Lunæ & ſtellarum pars *percuſſa*, hoc eſt, perempta & obſcurata dicitur, ſignificari tertiam hominum partem, morte illatâ deſiiſſe iis uti? de Pallante mortuo Æneas apud Maronem lib. XI. ait:

Nos juvenem exanimum nîl jam cœleſtibus ullis
Debentem, vano mœſti comitamur honore.

Nîl Pallantem jam ullis cœleſtibus debere affirmat, quod luce caſſus, deſiiſſet Solis, Lunæ, ſtellarum illuminari radiis, influxibus vegetari, quibus ideò nil gratiarum deberet, eorum utique beneficiis non utens. Cumulabo hùc & Achmetis locum in Onirocriticis cap. CLXX. ſcribentis: *Siderum occaſu per ſomnum viſo internecionem Populi, & Regni deſtructionem portendi.* Cujus rei Authorem citat, Traditionem ſapientum Indiæ. Non abſimilia his habet Artemidorus lib. II. ὀνειροκριτικῶν cap. XXXVI. & XXXVIII. Requiret aliquis authoritates ſcriptorum Canonicorum huic loquendi formulæ ſuffragantium. En Ezechielem cap. XXXII. ubi poſtquam v. 5. dixiſſet Pharaoni & Ægyptiis Deus: *Dabo carnes tuas ſuper montes, & implebo colles tuos ſanie, &c.* Stragem maximam comminantia, addit v. 7. *Et operiam cum extinctus fueris* (LXX reddunt ἐν τῷ σβεσθῆναί σε, hoc eſt in ipſa extinctione tua (*Cœlos, & nigreſcere faciam Stellas ejus, Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum, &c.* An parùm clarè dicit, extinctione, ac morte Ægyptiorum, obſcuranda iis ſidera: idcirco quòd eorum ampliùs luce uti non potuerunt? quod nemo non videt geminum ejus eſſe quod verbis, quæ nunc tractamus, juxta noſtram expoſitionem, ſignificatur. Par ſubeſt ſententia verbis illis Ioëlis II. 10. *à facie ejus* (Exercitûs Sennacheribi Iudæam totam, extrà urbem Ieruſalem, vaſtantis cum cæde plurimorum) *contremuit terra, moti ſunt Cœli, Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* multis, eò quòd occidebantur ab Aſſyriis, frui Cœli luce deſinentibus. Clariùs idem cernitur in alio ejuſdem Joëlis loco cap. III. 14. *Populi in valle conciſionis: quia juxta eſt dies Domini in valle conciſionis. Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Ab oculis videlicet per mortem claùſis innumerabilium hominum qui prælîis ab Alexandro contra Darium ad Granicum, ad Arbella, ſeu Gaugamela, commiſſis occubuerunt. Paria demonſtrare poſſem Locis Jeremiæ XV. 9. & Amoſi VIII. item 9. ubi mentione Solis occumbentis mortem hominum innui, qui penitiùs introſpexit ſentiet. Sed in uſum præſentem quæ dixi abundè ſunt. Unum neceſſe eſt addere: in iſtâ definitione tertiæ partis Provincialium Judæorum qui vitam, & Cœli lucem hîc prædicuntur amiſſuri bello Romano ante obſidionem Hieroſolymæ, ut is numerus conſtet,

debere mortem civilem naturali per Syllepsin adjungi. Mortem civilem voco transitum à libertate in servitutem, qui longè plurimis omnis ætatis & sexus eo bello, ut mox ostendetur, Judæis infelicissimè contigit. Sane haud abhorrere à communi sensu, sole privatos videri, & dici eos qui ex liberè natis, & educatis in servos mancipantur, docet Artemidorus dum lib. II. cap. XXXVI. hæc scribit : ἥλιον γὰρ καὶ ἐλευθερίαν καλοῦσιν ἄνθρωποι: *Solem enim etiam libertatem appellant Homines.* ut qui hac spoliantur sole privari censendi sint.

Reddamus nunc ex Historiâ eventum hujus sic à nobis expositi Vaticinii. Nero anno Imperii XIII. auditâ in Achaïâ, ubi tunc erat, turpi & cruento Romani Exercitûs, duce Cestio Syriæ Præside, ab urbe Hierosolymâ recessu, quo plena & irrevocabilis Judæorum à Romanis defectio erat jam clarissimè perspecta, Bellum Judaïcum Vespasiano commisit. qui Antiochiam profectus, contractis ibi validis copiis; jusso etiam Tito filio cum aliis ex Achaïa & Ægypto collectis sibi occurrere, infestus in Judæam movit. Interim Iudæi stolidâ elati confidentiâ ex successu contra Cestium, Ascalonem præsidio Romano insessam Urbem temerè aggressi, duobus præliis cæduntur : quorum in priori decem, in posteriori octo ipsorum millia interfecta sunt. Iosephus lib. III. de Bell. cap. I. Latinæ Editionis, quam nisi aliud monuero, deinceps sequar. Præmitto autem dicendis, quam hoc toto bello Romani quasi formulam aut legem præscriptam tenuerunt : ut, *mortem pugnacibus* (verba sunt Iosephi lib. III. de Bel. cap. III.) *semper inferrent: imbelles ad Servitium caperent.* Res jam gestas enumeremus. I. cunctantibus adhuc Prolemaïde Vespasiano, & Tito. Placidus Romanus dux *Galilæam pervasit, maximam Galilæorum multitudinem interimens.* Ios. l. III. c. IV.

II. *Vespasianus Gadaram expugnat. cunctos puberes interficit, cum Romanos odio gentis & cladis, quam pertulerat Cestius, memoriâ, nullius ætatis misericordia commoveret. Incendit autem, non solum civitatem sed etiam omnes circum vicos & oppida*, l. 3. c. V.

III. Trajanus à Vespasiano missus ad oppugnandam Japham, duodecim millia Japhensium ante muros trucidat, Titum deinde ad capiendam civitatem accersens, cum eò intùs irrumpit, & quindecim hominum millia interficit, duo millia centum triginta captivos abducit. Joseph. l. II. c. XII.

IV. Cerealis Tribunus contra Samaritas missus, eorum undecim millia & sexcentos occidit. Jos. l. III. c. XII.

V. Vespasianus Jotopatam Urbem munitissimam, laboriosa & cruenta 47. dierum oppugnatione capit : quadraginta millibus Judæorum occisis pugnando; post expugnationem puberibus cunctis : infantibus & feminis, numero mille ducentorum capitum, in servitutem abductis. Jos. l. III. cap. VII. VIII. IX. X. XIII. XIV. Jotapatenorum ne unum quidem superfuisse ait Jos. l. III. c. CXV.

VI. Joppe à Romanis capitur, cunctis habitatoribus in naves elapsis qui omnes maris tempestate perierunt. Jos. l. 3. c. XV.

Multi per desperationem se ipsos gladio perimentes, alii in littus enatantes à Romanis occisi, quatuor millia ducenti in terram mortui ejecti.

VII. Titus Taricheas Urbem munitissimam vi capit cum ingenti hominum cæde. l. III. c. XVII. Taricheensium innumeram multitudinem navibus in lacum fugâ elapsam, raptim ædificatis ratibus Vespasianus insecutus cædit, tanto numero, ut sanguine infectus & plenus cadaveribus lacus esset l. III. c. XIX.

VIII. Placidus à Vespasiano missus, Itaburio deditione potitur, cæsis priùs in inferiori planitie Judæis. Jos. l. IV. c. II.

IX. Gamala vi capitur à Vespasiano & Tito, cum immensa cæde, etiam infantium & feminarum, quarum duæ tantum latebris servatæ superfuere. In Arcis expugnatione quatuor millia à Romanis perempta sunt: quinque verò millia cum conjugibus & liberis se ultrò ex desperatione dejicientes in præcipitium, periere. l. IV. c. III.

X. Giscala à Tito capitur, interfectis fugientium duobus millibus, & puerorum ac mulierum tribus ferè millibus captis. Jos. l. IV. c. IV.

XI. Vespasianus circum Thamnam Toparchiam omnia vastat, incendit, subvertit. duobus vicis captis plusquam decem millia hominum peremit, mille captivavit. Hierichunta occupat multis occisis. lib. V. c. IV.

XIII. Gadaram aliam urbem magnam transamnanæ regionis Metropolim Vespasianus occupat; contrà fugientem ex eâ multitudinem Placido cum quingentis Equitibus & tribus millibus peditum misso, qui fugacium, quos multos per viam deprehendêre, occiderunt. Omnes verò necessariò sistentes ad Jordanis ripam intransmeabilis sine nave, aggressi trucidant. Interfecti sunt ad XV. millia (nam in Græco est μύριοι πεντακισχίλιοι, cum in Latino legatur, *tredecim millia*) Iordane hausti sunt innumerabiles: duo millia ac ducenti sunt capti. Ios. l. V. c. III. Ed. Lat. Græcæ autem l. IV. cap. XXV.

Habes in his, Lector, distinctè numerata centum triginta quinque millia Iudæorum arma tractantium Romano ferro trucidata, obscurè indicatam parem ferè multitudinem tot vastationibus, excursionibus, incendiis peremptorum: & his majorem numerum parvulorum, Mulierum, & imbellium Virorum Mancipatorum diræ servituti, per totam quàm latè patet Iudaïcam ditionem extrà Hierosolymam ante hujus oppugnationem. quas res clarigatione quarti Angeli fuisse prænunciatas ostendimus. percussione & obscuratione tertiæ partis Solis, Lunæ, ac stellarum, mortem significante tertiæ partis Hominum qui in Urbibus, Pagis & Regionibus ditionis Iudaicæ extrà Hierosolymam sitis tunc sunt reperti. cujus Vaticinii confido visuros omnes clarum & plenum eventum in iis quæ retulimus, cum ex his manifestè pateat, saltem partem tertiam mortalium illic degentium, aut morte naturali per ferrum, famem, & mala belli cætera; aut civili per mancipationem in miserrimam servitutem, fuisse consumptam. Unum puto expositioni quarti hujus Tubicinii addendum circa ultima illa verba:

ita ut . . . diei non luceret pars tertia, & noctis similiter. Per hæc enim suspicor indicari: continuis illis incursionibus infestorum Exercituum, & anxios ubique tanti belli metus, cessasse in Iudæâ toto illo tempore tertiâ saltem ex parte, itinera, commercia, culturam Agrorum, & cætera negotia quæ per diem exercentur: artificia quoque urbana, studia & meditationes lucubrationum; quin & somnos ac necessariam quietem ad refectionem corporum: quæ res noctu geruntur.

℣. 13. Et vidi, & audivi vocem unius Aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magnâ: væ, væ, væ Habitantibus in terrâ; de cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tubâ canituri.

Existimo per hanc Aquilam Ioanni visam & auditam dum væ, væ, iterando, portenderet mala propriè Urbi Hierosolymorum eventura, quæ mox per Trium Angelorum extrema Tubicinia prædicenda sunt, significari Iesum filium Anani: De quo audiendus est Iosephus lib. VI. cap. XXXI. Ed. Græcæ, lib. VII. cap. Ed. Lat. Latina hic adscribam prout vulgata extant, è Græcis tamen, ubi oportuerit, correcta. Sic igitur ille post sex alia exposita prodigia, quæ nos priùs descripsimus partim ad v. 17. capitis VI. partim ad v. 1. capitis hujus octavi, pergit scribere: *Quod autem his horribilius fuit, Iesus quidam filius Anani plebeius & rusticus, quadriennio priùs quàm Bellum gereretur, in summâ Civitatis pace atque opulentiâ, cum ad id Festum venisset quo ex more, religionis causâ, tabernacula sibi quemque facere oportet, repentè in Templo exclamare cepit: Vox ab Oriente, vox ab occasu, vox à quatuor ventis; vox in Hierosolyma & Templum, Vox in sponsos & sponsas, Vox in Populum universum. Et hæc diu noctuque vociferans, omnes Civitatis vicos circuibat. Insignium verò Popularium quidam nefasto diræ vocis augurio offensi, ominosum corripiunt præconem, & plagis miserum conscindunt. Ille autem neque pro se quidquam querens, nec propriè ad percussores expostulans, eademque priùs iterans vociferari pergebat. Magistratus, id quod erat, rati: è superiori afflatu motum ejus viri esse, ad Præfectum eum Romanorum ducunt, ubi flagris usque ad ossa laceratus, nec supplex cuiquam fuit, nec lacrymam misit: sed quàm poterat maximè flebiliter inclinans vocem ad singulas responsabat plagas: Væ, væ Hierosolymis. Albino autem interrogante (is enim Præfectus erat) quis esset, & unde veniret, ac cur ista diceret? ad ea quidem nihil respondit, in deploranda verò Civitatis sorte, quibus, dum cæderetur, lamentis ceperat, perseveravit: donec insanũ eum Albinus judicans, dimisit. Ille autem toto eo quod Bellum antecessit temporis spatio, neque adivit quemquam Civium, neque loqui visus est, sed per dies totos quasi solemne integrans carmen, væ væ Hierosolymis, lamentabatur. Et neque maledixit umquam ulli multorum ipsum quotidiè pulsantium: Neque si qui ei alimenta miserati præbebant: gratias agebat, sed triste illud omen, unum ejus erat æquè ad omnes respon-*

sum. Maximè autem in Festivitatibus clamore illo funesto contendebat. Idque cum continuasset per annos septem, & menses quinque, numquam aut raucior facta vox ejus est, aut ipse fatigatus elanguit: quoad inchoatâ Urbis oppugnatione quasi ceptum jam patrari quod portenderat cernens, acquievit. Supra murum enim circumiens, & cantilenam voce stentoreâ instaurans solitam, væ væ rursùs Civitati, væ Populo, væ Templo, ad extremum addidit: væ etiam, væ mihi. quod cum diceret lapide ictus ballistâ excusso, repentè concidit exanimis. Hactenus Josephus.

Hunc ego eventum in serie gestarum rerum adeò notabilem Historico nobili visum, ut tanta illum accuratione perscriberet, Spiritui quoque Divino censeo dignum existimatum qui distinctè in Prophetiâ signaretur. Ergo ut Apparitionem Impostoris Ægyptii superiùs vidimus non perfunctoriè notatam in hoc vaticinio, Symbolo Stellæ caducæ cui nomen esset absynthium: ita hîc arbitror imagine *Aquilæ volantis per medium Cœlum*, & *væ* ingeminantis *voce magna*, Jesum Filium Anani designatum. Aquila is meritò dicitur, propter eam quam adeò luculenter ostendit Sublimitatem excelsæ mentis mirè Superiorem humilitati cogitationum humanarum. qui nec maleficiis, nec beneficiis moveretur, fustibus, flagris, carnes ad ossa discerpentibus, non attenderet; famis, nuditatis, contemptûs, extremæ omnis generis miseriæ, securus, unum ageret, quod Aquilæ solet tribui, *fulmina ministrare*. Destinata enim urbi Hierosolymorum funditùs perdendæ, ac post longos, & horrendos cruciatus penitus delendæ, cum Populo & Templo, justissimæ Supremi Judicis iræ fulmina, perpetuò tanto illo temporis spatio specie lamentantis intentavit. Ostentum profectò mirabile; ac nemini Hierosolymitarum, quos ea clades manebat, ignotum. Omnium enim se illic oculis & auribus toto Septenio per vicos & plateas ejus urbis universas quotidie circumiens, & ferale carmen occinens, inculcavit. propterea dictus hîc, *volasse per medium Cœlum*, hoc est in meridianæ lucis inevitabili cuivis fuisse conscientiâ positus. Fuit autem hic locus in Prophetiâ proprius ejus memorandi, post ea prædicta mala quæ urbis Hierosolymæ obsidionem præcesserunt. Nam Jesus Ananides ad sola quæ Civitatem Jerusalem, ejus Populum & Templum unicè spectarent, infortunia præmonstranda missum sese, præ se tulit constantissimè: ibi primum sui indicium faciens Festo Tabernaculorum, Septennio ante obsidionem: continuè deinde ibi manens: & cum cæderetur, urbi Jerusalem, Populo ejus & Templo, væ, væ, væ, quod Propheta hîc exprimit, iterans. quo indicatur, illa verba hoc loco posita: *væ, væ, væ, habitantibus in terrâ*, Signatè intelligenda de terrâ in quâ primùm apparens stetit, hoc est de solo Urbis Hierosolymæ: quod & adstruunt verba continuè addita: *de cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tubâ canituri.* Siquidem tria ultima Tubicinia res spectant inchoatam Hierosolymorum per Titum obsidionem secuturas, ut deinceps me confido luculenter ostensurum.

AD CAPUT IX.

℣. 1 Et quintus Angelus tuba cecinit : & vidi Stellam de Cœlo cecidiſſe in terram.

MIRABILI exactione diligentiæ accommodat hoc loco Sacer vates Prophetiam ad ordinem hiſtoricum geſtarum quas prædicit rerum ; dum prænunciaturus hoc propriè quarto Tubicinio mala horrenda quibus Urbem Hieroſolymam tempore belli Romani nefariæ Zelotarum, & Sicariorum Factiones afflixerunt; incõparabiliter atrociùs,& perniciosiùs quàm Romani ipſi Hoſtes ſævientes, neceſſitate coactus primam earum Originem, quæ ad tempus aliquantò ſuperius pertinebat, exprimere ; illam ſignatè indicat verbo præteritum ſignificante : *Vidi*, inquiens, non *cadere*, ſed *cecidiſſe de Cœlo Stellam*. Nimirum cauſa prima, & Fons perniciei quâ iſta fæx hominum Urbem Jeruſalem oppreſſit fuit exortus novæ Hæreſeos:cujus totam hîc ex Joſepho deſcribere narrationem operæ pretium duco.Sic igitur ille ſcribit libri II. de Bello cap. xxx. & xxxi.juxta Editionem Græcam, juxta Latinam vero lib. II. cap. XVII. *In Templo quoque Hieroſolymorum Eleazarus quidam filius Ananiæ Pontificis, Iuvenis audaciſſimus, dux illo tempore Militum, perſuaſit his qui Sacrificiis miniſtrabant, ut nullius munus aut hoſtia, qui non eſſet de Judæorum Gente, ſuſciperetur. Id autem erat Romani belli Seminarium, atque materia. Rejecit ſiquidem hoſtias Cæſaris, quæ pro Romano Populo offerri ſolitæ erant. Plurimùm autem ſuper hoc Pontificibus aliiſque Nobilibus deprecatis, ut non præterirent eum morem, quo ſupplicabatur pro Regibus : nihil tamen acquieverunt, non parùm quidem, & ſuæ multitudini confidentes. robur ſiquidem omne res novare cupientium, eorum voluntates juvabat : maximè autem aſpiciebant Eleazarum, qui per idem tempus, ut dixi, Præfectus erat Templi, & dux illud cuſtodientium militum. Convenientes igitur Primores quique authoritate, & potentiâ, cum Pontificibus, & Phariſæorum nobiliſſimis, & videntes, quàm gravibus malis implicaretur per hæc Reſpublica, conſultabant de ſummâ rerum. Decreveruntque tandem, experiri ſeditioſorum animos, & ante Portam quæ Ærea vocatur concionem advocantes (erat autem interioris Templi ad Solem Orientem verſa) primò quidem multa de temerariâ eorum defectione conqueſti, & quòd tam grave bellum Patriæ commoverent : deinceps irrationabilitatem cauſæ ipſius arguebant dicentes : Majores quidem eorum ornaſſe Templum ex magnâ parte de muneribus Gentium : Semperque eorum qui foris eſſent : Populorum dona ſuſcepiſſe. ac non modò non rejeciſſe hoſtias quorumvis, quod eſ-*

ſet impiiſſimum, ſed & quæ conſpicua nunc quoque eſſent, & tanto ibi tempore manſiſſent Exterorum Regum, & Populorum Anathemata palàm expoſuiſſe. Contrà vero nunc iſtos temerè proritantes Romanorum arma, & bellum horum in Gentem noſtram ſtudiosè concitantes, novum ſtatuere Religionis modum : ac præterquam periculis extremis Urbem ſubjicerent, etiam illam novo piaculo falſi circa res Sacras Dogmatis ream apud Deum, facere tentarent : quale ſine dubio eſſet, pro certo determinare ſolis fas eſſe Judæis Deum colere : neque licere ullis Exteris in Templo eorum, aut venerari numen, aut ei victimas offerre. quod ſi Privatum in quemlibet ea nova exceptionis injurioſæ præſcriptio ſciſceretur, eſſet quod ægrè ferremus, inhumanitatis per id notam Genti noſtræ inuſtam : nunc cum Romani qui poſſunt plurimum jure legitimo dudùm poſſeſſo Libationum, & ſacrificiorum pro ſe apud nos procurandorum excluduntur nominatim, quis non videt meritò eſſe metuendum, ne qui hoſtias ab iis oblatas rejecerimus, de cætero pro nobis quoque ipſis admittere hoſtias, & ſacrificare prohibeamur. Ac ſic Civitas interdicta Sacris penitùs maneat, niſi citò reſipiſcentes Iſti, quam primum Romanis reddant temerè ipſis ablatam hoſtiarum offerendarum poteſtatem: occupentque celeri revocatione legis injuſtæ famam ejus perlatæ. ne ſi priùs culpam quam emendationem reſcierint irritabiles, & naturâ Romani, & fortunâ Dominantes, vehementem injuriæ quâ ſe à nobis ultrò violatos & contumeliosè laceſſitos putabunt, ultionem irrevocabiliter decernant. Hæc ſimul dicentes producebant peritos rerum juriumque patriorum Sacerdotes, qui conteſtarentur, ex omni retrò memoriâ Proavos, & Majores Gentis, victimas ab exteris oblatas Gentibus admiſiſſe. Surdis hæc canebantur; ne attendere quidem curante iſtorum ullo qui pernicioſam inchoaverant novitatem. Hæc ibi Joſephus. ex quibus patet, veram Hæreſim, eamque pernicioſiſſimam, fuiſſe novum iſtud Dogma Eleazari, contrà ſcripturas, manifeſta exempla Patrum, & authoritatem conſenſumque præſentem Pontificum, & Doctorum legis, irrevocabili pertinaciâ defenſum. Ejus Author hîc indicatur Stellæ nomine, tralatitio, ut ſæpe vidimus, Symbolo Doctorum, qualis erat Eleazarus, ſacerdos, & Summi Pontificis filius. quia vero hujus exortus Hæreſeos contigit ſub Præfecturâ Flori, ante bellum commiſſum, & multò priùs quàm urbs Hieroſolyma inteſtinis horrendis laboraret malis quibus conflictari cepit, poſt Ceſtii maximè receſſum; indéque perſeveraturis uſque extremum ejus excidium; graſſationibus, inquam, & infanda tyrannide ſeditioſorum, quorum Dux & Magiſter hîc Eleazarus, per ſuum iſtud peſtiferum Dogma prætextum ipſis, & fiduciam ſæviendi miniſtrans: Joannes hoc loco per quarti clarigationem Angeli mala illa prænuncians, fontem horum, & originem primam ex anteriori repetit memoriâ : *Vidi*, inquiens, *Stellam de Cælo cecidiſſe in terram* Eleazarum videlicet è primoribus Sacerdotum, eruditum in Lege, Templo præfectum, defeciſſe in erroneam de religione ſenten-

tiam, contrariam scripturis & Traditioni, eique adhæsisse pervicaciâ indomabili.

℣. Et data est illi Clavis Putei Abyssi.

Autor fuit Eleazarus sectæ Zelotarum, quæ duas alias paulò ante per Iudæam natas afflatu instinctas non dubio Stygiarum Furiarum, Hierosolymam attractas sibi junxit; & antea per regiones ditionis Iudaïcæ furtim tantum & eruptionibus timidis, nec idipsum impunè, prodeuntes, legitimis quasi autoravit stipendiis, & sibi militantes intra Vrbem Ierusalem, ipsumque Templum, ad hoc cædibus & Sacrilegiis polluendum, illam omnibus dirissimæ Tyrannidis malis affligendam, consortes flagitiorum, instrumenta grassationum cruentarum, rapinarum & incendiorum, palàm habuit. Hoc est quod hic dicitur: *Datam esse stellæ de cœlo in terram cadenti*, nempè Hæresiarchæ Eleazaro, Pontificis filio, legis Doctori, Templi Præfecto, Novum Scripturis contrarium, exitiosissimum Reipublicæ dogma comminiscenti, promulganti, invictâ pertinaciâ tuenti, *clavem abyssi*, facultatem educendi in lucem Vrbis atque intra ipsum Templum collocandi, sectas istas avernales, priùs vagantes per Iudæam, delitescentes in speluncis, legibus damnatas, à Magistratibus coërcitas, cunctis Bonis exosas, ut jam quasi jure utentes suo, luce meridianâ, inter Hierosolymam & Templum nefaria omnia securè liberéque perpetrarent. Hæc paulò uberius *declaranda sunt. Per tempora vergentis in interitum* Iudaïcæ Reipublicæ à medio ferè Principatu Claudii Augusti, duæ per Iudæam coaluerunt sectæ Tartareo malorum dæmonum impulsu, *Sicariorum* prior, altera *Latronum* dicta, de quorum ortu, auctu, successibus, ducibus, quæ variè Historia suggerit, sub unum hic colligimus aspectum. de Sicariis hæc scribit Iosephus Originum lib. xx. cap. vii. *Cum venisset in Iudæam Festus* (Porcius Festus missus à Nerone Felicis in Procuratione Iudææ successor) *Offendit totam afflictam à latronibus, vicos passim populantibus, quorum ferocissimi, appellati* Sicarii, *tunc ad maximum numerum excreverant, utentes gladiolis instar acinacis persici, incurvis, quales sicas Romani nominant, unde latronibus. ipsis cognomen est inditum, multorum cæde infamibus: qui ut jam dictum est, festis diebus admixti turbæ undique in Vrbem confluenti religionis gratiâ, nullo negotio quotquot collibuissent tollebant de medio. aliquando etiam armati invadebant Inimicorum vicos, direptosque tradebant incendio.* Hæc ibi Iosephus. Ex quibus vides sicarios ad genus quidem latronum pertinuisse, sed propriâ quâdam differentiâ furtivarum per sicas cædium, constituisse peculiarem ipsorum & pessimam speciem. secundo autem libro de Bello posteriùs scripto Iosephus idem cap. xii. Iam anteà sub Felice Festi decessore, & fuisse & invaluisse Sicarios his verbis docet: *Sic autem regione purgatâ* (repressis videlicet latronibus) *aliud genus latrocinantium in Hierosolymis* (quò tribus solemnibus per annum Festis Pascha, Pentecoste, & Scenopegiis Iudæi omnes confluebant) *oriebatur.*

tur. Hi autem Sicarii vocabantur, die claro, & in mediâ Civitate passim quosque interficientes. potissimùm verò diebus solemnitate festivis immiscebantur vulgo, sicas sub veste gestantes. His inimicos interficiebant, ac deinceps collapsis hominibus, illi inter reliquos de scelere querebantur, quâ fraude extra suspicionem manebant, diúque latuerunt. Primus igitur ab eis Ionathas Pontifex interficitur. post hunc autem quotidiè plurimi cædebantur: atque ipsis calamitatibus molestior timor Civitatem premebat. Sicut enim in medio bello per singula momenta omnes mortem operiebantur. Circumspiciebant autem, eminùs quosque appropinquantes: & neque Amicis suis fidere poterant dum tamen in mediis suspicionibus atque custodiis nihilominus interficerentur. Hæc ibi: quæ pleraque, ut fit, ex occasione ab Historico congeruntur in anteceſſum ex memoriâ rerum posteriùs illic narratis secutarum. Hæc satis nunc sint ad informandam Sicariorum ideam. De Latronibus, reperio: natam eam sectam inter Iudæos è tædio Romanæ Dominationis, & impatientiâ injuriarûm & contumeliarum quas crebras à Romanis Præsidiariis patiebantur.

Nam eâ quam superiùs ad vers. 8. cap. VIII. retulimus ex Iosepho lib. XX. Orig. cap. IV. & libro II. de bello cap. XI. immissione militum ex Arce Antoniâ in Plebem per Ventidium Cumanum Iudææ Præsidem factâ, indignati audaces juvenes, decrevere, quam vi apertâ non possent de Romanis ultionem sumere, latrociniis exequi. itaque eodem tempore (quod continenter narrat Historicus) juxta Bethoron per viam publicam Stephanum quemdam palàm agnitum pro servo Cæsaris, & quamdam Principis supellectilem ferentem, latrones Iudæi luce palàm irruentes deprædati sunt. paulóque post, audito: Iudæum aliquem è Galilæâ ad Festum ascendentem occisum à Samaritis, Galilæi magno numero contra Samaritanos accurrerunt, vindictam occupaturi jure ac manu propriis, quasi eam non ampliùs se putarent sperare à Præsidum Romanorum justitiâ posse. Addit mox ibidem Iosephus: *Multi autem per idem tempus in latrocinia conspirabant: sicut ferè solet insolentia crescere rebus quietis: per quæ in omni regione agebantur rapinæ; & audacissimus quisque reliquis vim afferebat.* Hæc ibi: quæ originem Cumani Præfecturæ assignant diù posteà duraturæ Latronum in Iudæâ Factionis. Fuerunt hæ quasi primitiæ defectionis à Romanis Gentis Iudæorum universæ; eatenus adhuc in fide atque obedientiâ Cæsaris perstanti, quatenus seniores & moderatiores in eo Populo sequi latronum palàm Rebellium impetus renuebant, propterea ab iis diripiebantur & cædebantur. Contrà hoc genus invalescens numero & licentiâ per Iudæam, delitescens in sylvis & cavernis, indéque in grassationes cruentas excurrens, multa Romani Præsides moliti conatique sunt, plurimis ipsorum captis & securi aut cruce punitis; sed numquam istam potuerunt exhaurire sentinam; ac ne impedire quidem ne numerosior in dies ea fieret secta. fugientibus scilicet aut delitescentibus latronibus, interim dum vis ingruebat major: postmodum novâ sibi multitudine adjunctâ sæviùs è

latebris erumpentibus, spirabant autem omnes atrocem & irrevocabilem in Romanos iram, quâ commendati novo Hæresiarchæ Eleazaro, accitis horum ad se undecumque quàm plurimis suam Hæresim, quæ zelotarum nomen accepit, adeò corroboravit, ut neque tota conveniens Vrbis Hierosolymitanæ multitudo, ducibus ipsis Pontificibus ac Primoribus Gentis, eam coërcere, aut Templo, quod insederant, valuerit pellere, ut suprà dicentem Iosephum audivimus his verbis: *nihil tamen acquieverunt* (Pontificibus & Proceribus recta monentibus) *non parùm quidem & suæ multitudini confidentes; robur siquidem omne res novare cupientium* (latronum & sicariorum undique accitorum) *eorum voluntates juvabat.*

℣. 2. Et aperuit Puteum Abyssi; & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est sol, & aër de fumo putei.

Quæ à Zelotis Eleazari sequacibus, armatis numero & viribus accitorum in Vrbem ex omni Iudæa Latronum & Sicariorum, quin & introductorum eódem viginti millium Idumæorum, autoratorumque ab ipsis ad cædes & sacrilegia, crudeliter, immaniter, horrendè Hierosolymis, & intra Templum ipsum atque adita ejus intima sanctissimaque, acta Iosephus narrat libri II. de bell. capitibus XVII. XVIII. XXVIII. libri IV. cap. V. VI. VII. libri V. capitibus I. II. VII. IX. libri VI. capitibus I. IV. XIV. XV. XVI. Editionis Latinæ, adeò longè superant vim ac captum quantævis malitiæ humanæ, ut facilè prodant iis gerendis interveniisse rabiem stygiam avernalium furiarum: quod nemo qui ea quæ indicavi loca legerit, dubitare opinor poterit. verissimè igitur ea prædicens hoc loco sacer vates eruptionem Infernorum è Tartaro Spirituum ingentem exprimit tunc factam justo Dei permissu, ejus similem quæ sub tempus Christi Passionis ad concitandos in Deicidium Iudæos contigerat, indicatæ à Christo ipso verbis illis ad eos dictis qui eum in horto comprehensum ligaverunt: *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* ea sola differentia quod tunc Lucifer cum præcipuis Satellitum suorum insensibiliter versatus Hierosolymis est, agens ferensque internis suggestionibus Iudæorum Mentes in phanaticum Christi odium, quoad eos perpulit ad conscisendum réque ipsâ perpetrandum omnium quæ esse possunt immanissimum & inexpiabilissimum nefas, infamati interfectique Dei Filii. Nunc verò ad justas exigendas pœnas illius Piaculi horrendi tortor idem qui suasor fuerat immissus, præsentiam Hierosolymis suam rapinis, incendiis, stragibus, sacrilegiis, inundatione teterrimorum omnis generis scelerum monstravit. sanè cogitatam à Spiritu Divino hæc dictante antithesim & comparationem quandam inter Christi crucifixionem & Vrbis ac Populi Hierosolymitani discerptionem per Zelotas & horum emissarios, dubitare non poterit qui considerabit versum hujus ipsius noni capitis undecimum: ubi cum manifesta allusione ad co-

natum à Iudæis adhibitum ad persuadendum Pilato ut trilinguem titulum indicem Regni Christi, quem ejus Cruci præfixerat, tolleret: effertur tribus iisdem linguis nomen Principis Dæmonum qui præfuit consiliis actibusque Zelotarum, eos instigans ad horribilia illa quæ gesserunt; usque ad secutam ex his perniciem extremam Templi, Vrbis, & Gentis. Primo autem statim seditionis Zelotarum exortu, quod tempus peculiariter hîc signatur, quæ miserrima rerum omnium confusio Civitatem Hierosolymitanam occupavit universam, graphicè verbis quæ tractamus exprimitur, per accomodatissima fumi, caliginis, tenebrarum aërem & solem ipsum obducentium, symbola; quæ Prophetiæ cum Historiâ comparatione declarabimus. Ait sacer vates apertum ab Eleazaro *puteum abyssi*, per hæc verba significat infimam Orci cloacam Luciferi & præcipuorum Dæmonûm carcerem, quem eodem *abyssi* vocabulo nominatum ab ipsis ejus incolis Malis spiritibus legimus Luc. VIII. 31. ubi dæmonia tam numerosa, ut se Legionem fatentur, quæ sex millibus constabat, à Christo ea ejiciente ex Energumeni corpore quod insederant; *rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.* hujus abyssi pars ima *puteus* hîc dicitur: quam S. Petrus secundæ suæ Epistolæ cap. II. 4. *Tartarum* vocavit; cui voci, putealis profunditatis subest notio, Scriptorum etiam Exterorum sensu: ut patet è Virgilio sic scribente Æneïd. VI.

Tum Tartarus ipsa
Bis patet in præceps tantum tendit que sub umbras
Quantus ad æthereum Cœli suspectus Olympum.

Addit, ex hoc puteo aperto fumum exiisse sicut fumum fornacis magnæ. fumus caliginem, & ardorem habet; & hic eo quod sit exhalatus è Tartaro, Stygiam insuper quamdam malignitatem. Caligo cæcitatem, ardor væsanos æstus animorum, & præcipites impetus designat. Stygia vero malignitas in Sacrilegiorum infandorum omnem excedente modum audaciâ licentiâque cernebatur. Hic denique fumus obscurasse dicitur *Solem* & *aërem* ambas videlicet Respublicas, Sacram & Civilem, quarum Sedes primaria, caput & Concilium utriusque Regiminis publicum Hierosolymis erat. Ibi residebat Summus Synagogæ Pontifex, ibi Synedrium magnum; ibi Sacerdotes vice quisque suâ functiones in Templo Sacras obeuntes: Illic pariter habitabant Proceres, ac primi Magistratus, ac Judices totius Gentis Judaicæ. qui æquè universi exortâ Hæresi Zelotarum, quasi tenebris repentè densissimis offusis, in cæcam agendorum, & providendorum ignorantiam demersi sunt. Orthodoxum Religionis Dogma, Patrum exempla, venerandæ Traditiones, Canonicarum Scripturarum authoritas, Sanctitas rituum, & ceremoniarum, in Festis, sacrificiis, observationibus Spreta omnia violata, susque deque habita, & quasi absorpta vi quadam subitâ horendæ tempestatis, spectari jam, & movere ad sui respectum re-

verentiamque desierunt Lymphatos, & temerè ruentes immanibus furiis homines. quam hæc verè dicantur clarè perspiciet qui Josephi narrationem lib. II. de Bell. capitibus XVII. & XVIII. ubi & exortum, & primos furores Zelotarum exponit, leget.

℣. 3 Et de fumo putei exierunt Locustæ in terram.

Quinam hîc per Locustas indicentur, docet locus Proverbiorum XXX. 27. *Regem Locusta non habet; & egreditur universa per turmas suas.* His verbis nihil mihi videtur fingi posse aptius ad informandam imaginem seditiosorum, quorum immanem in Urbem Hierosolymam tyrannidem prædicit hujus quarti Angeli Tuba. conflabatur ista factio ex Zelotis, Latronibus, & Sicariis. Hi omnes, ut de singulis ostendi, ortum cujusque sectæ memorans, excusserant palàm jugum legitimi, cui tota tunc Judæa Gens suberat, Imperii Romani; in eoque toti erant vehementissimis incumbentes conatibus, ut nationem universam, quantumvis reluctantibus Prudentioribus, in plenam à Cæsare defectionem impellerent. Locustæ igitur jure vocabantur, cum illis id quadret unicè *Regem Locusta non habet* : aut, ut in Originibus hebræis legitur מלך אין לארבה *Melec ein laarbeh non est Rex pro locustâ.* quod distinctiùs declarat istos de facto sine Rege fuisse, utcumque de jure Regi legitimo subessent, Imperatori Romano: à quo cum ipsi protervâ rebellione defeciissent: hoc unum agebant omni maleficii genere, ut populares suos omnes in paris contumaciæ professionem publicam traherent. Nec verò Dominationem exteram abdicasse contenti; etiam subjectionem omnem ad Magistratûs legesque patrias abjecerant; tam Sacras, quàm Civiles. Summos Synagogæ Pontifices, Concilium Ecclesiæ supremum, Cathedram Moysi, Tribunalia politica, redegerant in ordinem; seque pro absolutis divinarum humanarumque rerum Dominis atque arbitris ferebant. quod peculiariter exprimitur. vers. 7. hujus capitis, ut ibi dicemus. Nec minùs convenit quod addit de Locustâ Salomon: *& egreditur universa per turmas suas*, Factioni è Zelotis, & Sicariis conflatæ. Nam hæc, ut Josephus historicus docet, continuè prodibat in grassationes nocturnas, & diurnas, cædens, diripiens, ferro & flammâ devastans Cives frequentiùs quam Hostes. quin, & ipsi se invicem grassatores mutuis infestabant discordes insidiis atque insultibus intra urbem, donec adveniente Hoste extero, & muris se oppugnandis admovente, pactis tantisper Civilium odiorum induciis, vi concordi resistebant. Has inter hos divisiones, quibus miserabiliter lacerabant infelicissimam Hierosolymorum urbem pestes istæ intestinæ: disertiùs signant origines Hebrææ, dum verba modò adducta sic efferunt. ויצא חצי כלה *Vajetse, Chotsets, Cullo*, hæc ad verbum sonant: *Et egredietur dimidians totum ipsum.* Vires enim & opes illius miseræ Civitatis hæ cruentæ Factiones in partes discindendo minuerunt, ut multò deinde infirmior ad resistendum externis Hostibus Romanis fieret.

Videatur Joſephi caput 1. lib. VI. de Bello in Editione Latinâ, ubi refert Hiſtoricus à tribus ſeditioſorum Exercitibus ſub Tyrannis totidem invicem infeſtis, & contrà ſe invicem diù noctúque atrociter præliantibus, Eleazaro Zelotarum autore partes Templi Superiores manu valida tenente; Joanne è Giſcalis profugo cum numeroſiſſimis Latronum Copiis Inferiora Templi ejuſdem inſidente; denique Simone Gioræ filio, duce ingentis facinoroſorũ ex omni Judæa, & Idumæa collectorum exercitûs, ſubjectam Templo Urbis partem dirâ opprimente Tyrannide: adverſùs tum Ioannẽ, tum Eleazarum cruentiſſimè quotidie dimicante, & paria patiente ab ipſis: cum tamen in hoc omnes convenirent, ut in urbis cives continuis irruptionibus, direptionibus, incendiis, cædibus innumerabilibus crudeliſſimè ſævirent. En quos vocet hic ſacer vates *Locuſtas*, nempe illas Salomoni loco citato memoratas, *Egredientes per turmas ſuas*, & *dimidiantes* diſcerpendo mutuiſque diſcidiis perdendo *totum* robur Reipublicæ Judaicæ. Idcircò autem hæ locuſtæ dicuntur exiſſe *de fumo putei* aperti per Clavem Eleazari, quia tam Joannem è Giſcalis, quam Simonem Gioridem Eleazarus idem in urbem introduxerat, evocaverat: tametſi eos poſteà æmulos Tyrannidis præ ſuperbia non ferens, hoſtiliter invaſerit.

Et data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem Scorpiones terræ.

Similitudo Locuſtarum hoc eſt, *Seditioſorum Vrbem Hieroſolymitanam* vexantium cum ſcorpionibus, in tribus cernitur. Primùm quia ſcorpiones, non ut aſpides, viperæ, aliæque venenoſæ beſtiæ, frequentiùs in agris & ſylvis, rariùs intrà Vrbes & domos, nocent: contra enim ſcorpiones plerumque gignuntur, inſidiantur & feriunt, in mediis Civitatibus, in intimo Ædium, in cubiculis & lectis, ita iſti Factioſi, Hieroſolymitanam præſertim Civitatem pleniſſimam Populo inſidioſis ſuis graſſationibus peſſumdabant. Alterum quod arte priùs declarata Sicariorum, inobſervabiliter enecabant plurimos, ferientes quos odiſſent meridie in plateis & concurſu frequentiſſimo, gladiis ſub veſte occultatis oblongis & recurvis, ad ſimilitudinem caudæ Scorpionis, in ſummo recurvum aculeum habentis, quo in corpus non advertentium infixo, lethali eos infuſo veneno perimit. qua imagine non poteſt aptior excogitari ad exprimendas proditorias illas Sicariorum cædes Hieroſolymis paſſim fieri ſolitas: de quibus ſuprà recitavi teſtimonium Joſephi ex cap. VII. libri XX. Originum. Tertius denique ſimilitudinis character inter ſeditioſos Oppreſſores Vrbis Hieroſolymæ, & Scorpiones, in eo ſitus eſt, quod venenum Scorpii, non ſtatim, ſed tardè poſt longum cruciatum enecat. de quo audiendus eſt Plinius cap. XXV. libri XI. de Scorpionibus terreſtribus agens: *Peſtis*, inquit, *importuna veneni ſerpentium: niſi quod graviore ſupplicio lenta per triduum morte conficiunt.* Sic enim iſti Hieroſolymitarum Tyrannni eam ſenſim Vrbem

lentâ & immedicabili abſumebant tabe, minùs multò dolituris civibus, ſi eam uno ſimul die univerſam inflammaſſent : imò & hoc poſteriùs fruſtrà tunc præoptantibus pleriſque, ut teſtatur ipſe noſter Propheta, paulò poſt verſu 6. prout ibi annotabimus.

℣. 4. Et præceptum eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem : niſi tantùm homines qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis.

Dixit anteà, datam locuſtis ; hoc eſt, ſeditioſis Judæis, poteſtatem nocendi : quia quantalibet humana vel diabolica malignitas impotens ad nocendum eſt ſine Dei cuncta juſtè moderantis licentiâ : quæ etiam dum ſævire permittit, terminos præfinit, ultra quos exire vis noxia nequeat : quoſdam excipiens ne omninò ſubjaceant incommodis ; vexationi quoque aliorum quos mulctari ſinit, metas certas modumque conſtituens. Impedit autem efficaciter miris modis ſapientiæ ſuæ notis, nè ultrà præſcriptum noceatur. & hæc abſoluta efficaxque voluntas obſtandi ne plus fiat quàm vult fieri, vocatur hîc *præceptum*. Præcepit ergo zelotis, latronibus, ſicariis, intra urbem graſſantibus, ne chriſtianis nocerent. Nam hos intelligit nomine *habentium ſignum Dei in frontibus ſuis*. Chriſtiani enim omnes apoſtolicâ inſtitutione Crucis ſigno creberrimè conſignabant frontem. de quo inſtar ſit omnium quæ citare poteram è Patribus Baſilio de Sp. ſanct. cap. 1. Hieronymo ep. XXII. ad Euſtoch. Cyrillo Hieroſolymitano Cate. XIII. Theodoreto lib. III. Hiſt. Eccl. c. x. aliiſque permultis ; Teſtimonium antiquiſſimi Tertulliani lib. de coronâ Militis cap. III. & IV. *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus. Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies : Traditio tibi prætendetur autrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* ita ille. Habes in his & uſum, & usûs originem Apoſtolicam Traditionem, quam dubium non eſt à primâ Evangelii per Judæam prædicatione cœpiſſe. Omnes ergo qui è Iudæis Chriſti fidem & Baptiſmum ſuſcepêre, frontem Cruce ſignabant. ut quærendi non ſint alii à Iudæis Chriſto incredulis, quos hæc quæ tractamus verba indigitent : *homines qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis*. Unde membrum oppoſitum antitheti, erunt citrà omne dubium Judæi chriſtiani. Quare iis quæ annotavi ſuperiùs ad v. 2. & 3. capitis VII. nunc addo : cum Angelis quibus datum eſt nocere terræ & mari prohibetur per *Angelum fortem venientem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi*, id facere, *quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum*: Significari fuiſſe dilatas certo conſilio divinæ Providentiæ clades extremas Judæorum, quoad ex illâ Gente in Chriſtum

credidissent quotquot erant præordinati ad vitam, ut loquitur S. Lucas Act. XIII. 48. Aliud aliàs ego secutus, existimaveram; *signationem* illam pertinere ad protectionem quâ Deus tueri decreverat, Judæos Christianos, à malis quæ aliis impendebant, postea tamen, re attentiùs perspectâ, judicavi τὸ: *quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Idem valere ac, *quoadusque perduxerimus ad credendum in Christum, baptismum suscipiendum, & publicè profitendam religionem christianam* (cujus professionis notissimum symbolum erat signi Crucis in fronte formatio) *omnes illos quos ad id Deus efficaciter præelegit* eóque, ni fallor, referri potest quod dicit Christus, mala hæc eadem belli Romani, & supremi Judaïcæ Gentis excidii prænuncians, Matth. XXIV. 22. *Propter electos breviabuntur dies illi.* Breviari enim æquè possunt tollendo de initio spatii per dilationem principii cladium; ac demendo de posteriori ejusdem spatii parte, & ejus fine citiùs repræsentando. Confirmor in hujus expositionis prælatione suprà illam aliam, cui aliquando adhæseram, ex eo quod edicitur Angelis Ministris divinæ in Gentem Judaïcam Christo contumacem ultionis: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus, &c.* Nocumentum illud terræ, mari, & arboribus inferendum, significat perniciem ferro, flammâque, à Romanis illatam Regionibus primùm cunctis ditionis Judaïcæ extrà urbem Hierosolymam per irruptionem à Vespasiano factam, de quâ multa diximus ad clarigationem quarti Angeli vers. 12. c. VIII. Deinde ipsi Gentis Metropoli Hierosolymæ, primùm per Zelotas, Latrones, & Sicarios, deinde per Romanum exercitum duce Tito. Istorum ergo malorum initiis præverti mandat *Angelus fortis ab oriente signum Dei vivi ferens*, (hoc est sanctus Michaël protector Primitivæ ex Judæis Ecclesiæ; aut, ut alii volunt, Christus ipse) expletionem præordinati convertendorum ad Christi fidem è Gente Iudæorum numeri, quæ hîc exprimitur per *signationem servorum Dei in frontibus eorum*, cui nempè tunc adhuc aliqui deessent ad numerum centum quadraginta quatuor millium signatorum consummandum: quem prædefinitum à divinâ Providentiâ fuisse, testatur Joannes se audisse cap. VII. v. 4. & horum aggregandorum captari spatium per dilationem decreti jam paratique Iudæis irrevocabiliter contumacibus supplicii, Angelis ejus Ministris imperatur.

Redeamus ad ejus quem in manu habemus, enarrationem versiculi. Prædicitur in eo, furias Seditiosorum quæ dirissimè infestaturæ erant urbem Hierosolymam, Iudæis tantùm incredulis nocituras: iis verò qui ex illâ Gente Christianam Religionem ritè susceptam piè profiterentur, nihil omninò damni allaturas: Deo istos peculiari providentiâ ab eorum insultibus protecturo. Id porrò ita ut hîc prædictum fuerat evenisse, demonstrat primò silentium Ecclesiasticarum veterum memoriarum, in quibus nullum vestigium est ullius Martyris à Zelotis Hierosolymæ (à *Zelotis*, dico, *Hierosolymæ*: nam alibi à Sicariis passos Christianos aliquot, verisimile esse aliàs dixi,) necem passi. Deinde idem disertè adstruit Eusebius Hist.

Eccl. lib. III. cap. v. sic scribens : *Cum universa Plebs Fidelium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ex Oraculo, quod viris quibusdam sanctissimis divinitùs editum fuerat, ante initium Belli, è Civitate migrare, & oppidum quoddam trans Jordanem, Pellam nomine, incolere jussa fuisset ; jamque omnes qui in Christum crediderant, relictis Hierosolymis sedes suas Pellam transtulissent ; ita & regiâ Urbe, quæ totius Gentis caput est, & universâ Judæâ viris sanctis destitutâ, tum demùm divina illos ultio, ob tot admissa, tum in Christum, tum in ejus Apostolos scelera, corripuit, &c.* Ita Eusebius. Hæc, uti de pluribus, verè, humano more, universim enunciata, non obstant, quominùs fortè pauci & rari quidam Christiani etiam à Zelotis Hierosolymæ dira passi & extrema fuerint. Nam qui Zachariam filium Baruch, cui necem à Zelotis iniquissimè illatam Iosephus refert lib. v. de Bello cap. I. Suspicetur fuisse Christianum, vix coargui ullo idoneo teste poterit. Uti neque qui simile opinaretur de Iesu filio Anani, de quo Iosephus idem lib. VII. de Bello cap. XII. Exortum sectæ Zelotarum Eleazaro authore initium Romani Belli fuisse disertè asserit Iosephus, caput XVII. Libri II. de Bello, quo initia Hæresæos Eleazari fusè narrat, sic inscribens : in Editione Latinâ : *de ceptâ rebellione Judæorum contrà Romanos.* Est id caput in Græco Archetypo trigesimum libri ejusdem secundi, cui lemma hoc præfigitur ; ὅπως Ἐλεαζάρῳ, υἱῷ Ἀνανίᾳ τῷ ἀρχιερέως, στρατηγοῦντος, τὰς ὑπὲρ τοῦ Καίσαρος θυσίας ἀπέῤῥιψαν καὶ μᾶλλον ἀνήφθη ὁ πόλεμος. *Ut Eleazaro filio Ananiæ Pontificis, Templi Præfecturam gerente, Hostias quæ pro Cæsare offerebantur, rejecerint. Unde magis inflammatum est bellum.* Rectè dicit ex Hæresi Eleazari, *magis inflammatum fuisse Bellum*. Nam ejus anteà scintillæ plures palàm eruperant, id sedulò agente Floro, qui tunc Iudæam pro Romanis procurabat, ut Iudæos ad rebellandum provocaret ; quod sæpe memorat & queritur Iosephus lib. eodem II. capitibus XIII. XIV. XVI. Sub Præside autem Floro novam suam Hæresim & sectam Eleazarus protulit, cujus exortus verum initium Belli fuerit cum ejus anteà quædam tantùm tentamenta prima, & velut rudimenta præcessissent. Cum ergo Eusebius testetur, ut vidimus, *Plebem universam Fidelium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ex oraculo divinitùs edito ante initium Belli ex civitate migrasse*, verisimiliter opinari possumus, eam transmigrationem factam quo primùm tempore Factio Eleazari formari cepit : in eoque Christianos obtemperasse verbis illis Christi, Mat. XXIV. 15. *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto . . . tunc qui in Judæâ sunt fugiant in montes &c.* Scripsi aliàs Spicilegii Evangelici Paragrapho III. & in Annotationibus ad cap. Danielis IX. 27. per *Abominationem stantem in loco sancto* Idolum in templo positum signari. Nunc verisimiliùs arbitror, per id intelligi Factionem Zelotarum, duce Eleazaro Hæresiarchâ Templum obtinentem manu armatâ, & illud cædibus, & infandis nequitiis prophanantem. Scio sæpe Idolum in sacris Scripturis abominationem dici. Sed in iis etiam lego Levit. XVIII. 22. *cum mas-*

culo

culo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est. Atqui hoc Zelotæ Templum insidentes faciebant, ut ad vers. hujus capitis 8. demonstrabo. Lego Deuteronomii XVII. 1. *Non immolabis Domino Deo tuo bovem & ovem in quo est macula, aut quippiam vitii, quia abominatio est Domino Deo tuo.* En testantem Iosephum Hostias humano sanguine pollutas operâ & vi Zelotarum tyrannicè Templum occupantium fuisse oblatas. Sic ille scribit cap. 1. lib. VI. Ed. Lat. de Zelotis agens: *Quamquam enim ad omne impietatis genus rabidi ferebantur: tamen eos qui sacrificare cuperent, recipiebant, cum suspicione & custodibus indigenas perscrutando. Hospites enim, etiam qui exorassent eorum crudelitatem, post exituri subcisivâ seditionis operâ consumebantur. Missilia namque machinarum vi ad aram usque Templumque pervenientia, in Sacerdotes sacra celebrantes cadebant: ac multi qui properantes ab ultimis finibus terræ ad sanctissimum locum venissent, ante ipsas hostias procubuerunt, aramque universis Græcis & Barbaris adorandam suo sanguine imbuêre. Indigenis autem mortuis alienigenæ, ac Sacerdotibus Prophani miscebantur. Perque atria divina stagnum fecerat diversorum cadaverum sanguis.* An non hæc *Abominatio Domino Deo?* Lego præterea Prov. III. 32. *Abominatio Domini est omnis illusor.* Quinam unquam detestabiliùs Deo & Hominibus illusere quàm Zelotæ? Prov. XI. 1. *Statera dolosa abominatio est apud Deum*, quid tot execrabiles rapinæ Zelotarum? Prov. XII. 22. *Abominatio est Domino labia mendacia.* Quod pernicioſius mendacium falso dogmate Eleazari de rejiciendis victimis Exterorum, contra Scripturas, Traditiones, Patrum exempla, auctoritatem præsentem Magni Synedrii, & totius Synagogæ ac Cathedræ Moysis, à Zelotis pertinacissimè defensum, liberrimè prædicatum? Prov. XV. 9. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* XVI. 5. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Non est cur plura talia passim obvia describam. Ex his enim confido satis confici, haud immeritò posse nos intelligere per *abominationem desolationis stantem in loco sacro*, (nempè in *Templo* Hierosolymitano, quod disertè primigenia Danielis authoritas exprimit) fuisse Zelotarum Hæresim & sectam vi & armis in Templi possessione stabilitam; quæ *desolationis* ideò dicta sit, ad differentiam aliarum Abominationum, quæ quondam in eodem Templo steterant, quod ex hâc secuta sit æterna ἐρήμωσις *desolatio*, destructioque ipsius Templi. Constitutam igitur & firmatam intrà Templum Zelotarum Tyrannidem Christiani Hierosolymis degentes cum vidissent, admoniti à viris sanctissimis oraculo de hoc divino edoctis, ut Eusebius suprà recitatus indicat, momentum id esse modò relatis Christi verbis indicatum agnoverunt, quo ipsis emigrandum Hierosolymis esset, quod sine morâ fecerunt, divinâ interim impios Zelotas cohibente providentiâ, ne per illa initia grassandi, Christianorum quemquam sui suarumque rerum exportationem ex urbe molientem violarent. Hoc puto prædici verbis hujus 4. versiculi, ubi per fœnum terræ & omne viride, generaliter Christianorum innocentia signatur: ut in illo Christi dicto, Luc.

xxiii. 31. *Si in viridi ligno*, (hoc est in ipso Christo innocente,) *in arido quid fiet?* Existimo etiam, illâ distinctâ mentione *fœni & arboris* Laicos & Ecclesiasticos signari, quibus cum æquè utrisque communis virot innocentiæ sit; tamen priores, pro humilitate infimi statûs, *fœnum terræ* dicantur; posteriores ob sublimitatem gradûs superioris, appellentur *arbores*.

℣. 5. Et datum est illis ne occiderent eos, (*nempè Judæos non Christianos*) sed cruciarent mensibus quinque:

Spatium istud ad nocendum Judæis concessum inculcatur iterùm infrà vers. 10. *& potestas earum* (locustarum hoc est Zelotarum & evocatorum ab his intrà urbem Seditiosorum) *nocere hominibus mensibus quinque.* Quò major nobis injungitur diligentia investigandi, comparatione eventûs cum vaticinio, quàm verè definitum intervallum id fuerit. Hoc igitur agamus. Si quis librum Josephi de Bello quartum à cap. x. ad xlii. juxtà Editionem Græcam, (nam Rufinus latinæ autor librum istum quartum in duos divisit, libroque quinto initium dedit à cap. xix. libri iv. post quod caput adhuc xxiii. capita eidem libro annumerantur in Græcis.) Si quis, inquam, illum librum attentè legerit, ejusque partes inter se omnes ac rerum tempora comparaverit, reperiet exactissimâ veritate quinque mensium numerum hoc loco expressum, Factiosorum grassationibus intrà urbem Hierosolymam fuisse assignatum. quod ut demonstretur, repetendum ex suprà dictis est; Factiosos istos summum præ se tulisse odium Romanorum, coëgisséque ad defectionem ab eis Judaicum Populum: quod cum Romani non ignorarent, non minori videlicet eos ipsi vicissim prosequebantur odio. Itaque quando se admovebat urbi Romanus exercitus, Zelotæ ac Sicarii, cæteræque Latronum sibi invicem & Civibus pariter infestorum copiæ, obliti jam discordiarum civilium, in communes Hostes concordi studio ferebantur. Quoties verò Romani alibi detenti urbi Hierosolymitanæ non imminebant, tum eam Zelotæ aliique seditiosi, tyrannidè immani lacerabant. Cui rei, justo ulciscentis numinis arbitrio, tria ipsis satis libera concessa sunt spatia, quinque mensium singula, breviter hîc definienda suis terminis: ut sua vaticinio huic perspectissima veritas constet.

Primum spatium numerandum est à recessu Vespasiani Cæsareâm, post excisam magno labore urbem Gamalam: Τρίτῃ καὶ εἰκάδι μηνὸς Ὑπερβερεταίου, ait Josephus libri iv. cap. vii. hoc est, *tertiâ & vigesimâ die mensis Hyperberetæi:* post quod statim, ut idem habet cap. viii. cum majori exercitûs parte, Vespasianus se contulit Cæsaream: requiem ibi fessis militibus daturus. Ceperit ergo Vespasianus in Hybernis esse circà initium Novembris. mansisse autem ibi menses omnino quinque, sic ex eodem Josepho conficitur. Narrat is cap. xxv. lib. iv. de Bello, movisse Vespasianum versus Hierosolymam, ubi audivit cædem à Sicariis Massadâ Castello erumpentibus factam per dies Azymorum in oppido Engaddi, prout Jo-

sephus cap. præcedenti retulerat, ex quo sequitur, mendum esse in eâdem Historiâ Josephi cap. xxv. lib. iv. ubi dicitur : Vespasianum Cæsareâ contrà Hierosolymam euntem, cepisse obiter urbem Gadaram transamnanæ regionis Metropolim, in eam ingressum die iv. Dystri Mensis, qui ex parte respondet Martio, quod neutiquam cohæret cum cæteris ab eo affirmatis. Ut enim rectè observavit Petavius in Chronico, ad annum Christi lviii. dies Azymorum qui finem Hybernorum Vespasiani ex ipso Josepho cap. xxiv. lib. iv. præcesserant, quartâ die Dystri Mensis posteriores fuerunt, ac consequenter, non Martio mense, sed Aprili, movit Cæsareâ Vespasianus, ut suus exactissimè numerus constet summæ quinque mensium Zelotis à metu Romanorum securis ad suam in cives exercendam liberè tyrannidem concessorum.

Atqui rursus similes inducias quinque mensium seditiosis Hierosolymæ dominantibus à Romanis datas, Josephus innuit, dum narrat cap. xxix libri ejusdem, Vespasianum Cæsaream reversum : ibi studiosè comparasse cuncta ad mox oppugnandam Hierosolymam ; quo ibi audito, solita intestinorum motuum quies, videlicet sit secuta : sed brevis & in paucos solùm dies. Post quos multis nunciis Hierosolymitani certiores sunt facti, Vespasianum repentè accepto indicio tragici exitûs Neronis, turbatis Romæ rebus, non putasse committendum, ut se tam spisso implicaret negotio : ideoque supersedendam obsidionem cogitatam decrevisse, in quâ sententia confirmatus paulò post auditâ evectione Galbæ in Imperium, misit ad eum Titum filium, qui ei suo nomine gratularetur, & de bello judaico mandata novi Domini referret. Verùm Titus isto itinere usque in Achaiam progressus, ibi necem Galbæ audiens, ad Patrem curriculo rediit, mense circiter quinto ex quo allatus de Neronis morte nuncius fuerat.

Hic fuit finis secundi quinquemestris spatii ad licenter Hierosolymis sæviendum Factiosis dati. Nam Titi reditus, quasi jam cum Patre & copiis omnibus se Hierosolymæ admoturi, solicitudinem Zelotis incussit, effecitque ut in consuetas mutuarum grassationum inducias convenirent. Brevia tamen ista quoque alcedonia fuêre. Contigit enim tunc, quod latè mox fama totâ Asiâ vulgavit, Vespasianum Cæsareæ Augustum acclamari : statimque posteà (quod Josephus narrat cap. xxxvi.) auditum est, eundem cum filio & universo exercitu versus Ægyptum processisse.

Inchoatur hinc tertium intervallum concessum Tyrannis Hierosolymitarum ad securè indulgendum suo in eos furori, quo etiam credibile est eos solutiore ab omni respectu immanitate debacchatos. quoniam videbant universas jam Romanas copias ex omni Iudæâ decedere, idque in longum, ut apparebat, tempus, cum an subjecturus se foret Vespasiano Tiberius Alexander, qui Ægyptum tenebat, esset incertum : &, ut ille, sive victus, sive volens, Novi Cæsaris accederet partibus, vel tunc erat verisimile, Vespasianum cum Tito Romam potiùs ad arcem Imperii occupandam properatu-

ros, quàm cogitaturos de Hierosolymis. Unde hi sibi diuturnam aut etiam perpetuam, à Romanis armis securitatem augurabantur. falsò, prout docuit eventus. nihilò enim quàm duo priora, hoc quoque tertium intervallum productius fuit, ut mox demonstrabitur. præverti enim nunc debet indicatio extremæ jam seditiosorum insolentiæ hoc ultimo spatio funestioribus quàm umquam anteà barbaræ crudelitatis exemplis debacchatæ, ex eâ videlicet quam priùs indicavi fiduciâ, numquam rediturorum ad Hierosolymam oppugnandam Vespasiani aut Titi: quibus multa in Ægypto, plura in Italiâ, ubi Vitellius Imperio assumpto Romam validissimis copiis tenebat, Iudaico bello prævertenda negotia restarent. Tunc ergo, ait Iosephus cap. 1. libri v. græcæ Edit. quod caput est in Latinâ primum libri sexti: *Tito adhuc apud Alexandriam cum Patre, intento constituendis rebus Imperii, divinâ nuper ad ipsos providentiâ delati, contigit invalescentem apud Hierosolymam seditionem trifariam dividi. & partes in se invicem infestas ruere; quod ut in malis, bonum quis & justitiæ opus dixerit. Nam Zelotarum in Populum incursio, quæ repræsentaverat excidium civitatis, superiùs diligenter expositum est unde orta sit, & in quantum malorum cumulum profecerit. Hanc autem non erraverit qui dicat: seditionem ex seditione peperisse. Utique cum, velut fera rabiosa, ubi deest exteriùs quod voret, in suas ipsa carnes immittit dentes, sic Eleazarus Simonis filius, qui ab initio Zelotas in Templum à Populo separaverat, prætextu, quasi molestè ferret, quæ quotidie nefaria Ioannes audebat, non enim cessabat à cædibus: re autem verâ, non ferens se subjici recentioribus ipso Tyrannis, & desiderio Monarchiæ, discindit se ab illis, assumptis secum è numero Potentum Iudâ Helciæ, & Simone Ezronis; cum quibus & Ezechias erat Chobari filius, homo non obscurus. Horum quemque Zelotæ non pauci sequebantur. Omnes isti occupato interioris templi ambitu super sacras in Fronte Sanctorum arma collocant. Ibi copiæ necessariorum ad victum conscientiâ securi: qualium utique abundantiam ad quamvis longum usum, sacri thesauri & plenissimæ cujuslibet generis idoneorum apothecæ suppeditura videbantur, iis qui nihil pensi ducerent res Deo sacratas impio abusu prophanare, conturbabantur tamen suæ sensu paucitatis, ideóque temperantes ab excursionibus, in suis plerumque præsidiis manebant, obtinere interim quem locum insederant contenti. At Ioannes quantùm exsuperabat multitudine Virorum, tantum premebatur loci angustiâ. & suo imminentes vertici habens hostes; nec sine metu poterat excurrere, nec quiescere præ irâ sustinebat. Ac quamvis quoties prodibat, plus damni ab Eleazarianis acciperet, quàm iis inferret, non tamen se continebat. crebræ igitur eruptiones & telorum invicem jactus fiebant, polluebaturque ubique cædibus Templum. Simon autem Gioræ, quem in suis angustiis ultrò advocatum Eleazarus, serò jam dolebat, experiens pro auxiliatore se sibi Tyrannum imposuisse, tum universam præsidio tenens superiorem civitatem, tum inferioris partem plurimam, vehementiùs jam Ioannis milites, è loco utique ingruens celsiori, jaculationibus assiduis pre-*

mebat. Tamen pars ejus copiarum quæ urbem, ut dixi, tenebat inferiorem, subjecta vicissim Ioannitis erat, uti & ipsi jaculis expositi supernè jaculantium aliorum Simonianorum, valde ab iis infestabantur. Unde Ioanni duplicem sustinenti hostem pro loci & belli naturâ contingebat, & lædi & lædere facilè. quantum enim damnosè cædebatur ab Eleazarianis, propter humiliorem sub illis castrorum suorum situm, tantùm prævalebat Simonianis, quos ex alto, tenentes inferiora, despectabat. quare insultus horum infrà tentatos facili coërcebat manu: iis autem reprimendis qui è Templo in suos jacularentur, opposuit machinas. Catapultas enim & ballistas quæ & peracutas lanceas, & saxa immania longè perferrent, habebat non paucas: quibus non solùm eos ulciscebatur, qui se telis peterent, sed & plerosque sacris ministrantium occidebat. Subdit his Josephus quæ superiùs descripsi de contaminatione Templi per cædes. Tum hæc addit Hierosolymam alloquens: *quid tantum, infelicissima Civitas à Romanis passa es? qui piacula tuorum civilium furorum suo ingressu purgarunt. Dei enim neque ampliùs eras locus: nec durare poteras, sepulchrum propriorum facta corporum, & Templo abusa sanctissimo ad tumulum stragium bello civili factarum,* Paulò post Historiam resumens hæc adjicit. *Trifariàm inter se divisis Urbis Insidiatoribus, sequaces quidem Eleazari, sacris, quas in potestate habebant, primitiis saginati, ebrietatem exhalabant in Ioannem ruendo. Hujus verò milites rapinis Civium, quos quotidiè deprædabantur, pasti, adversùs Simonianos insurgebant. quorum etiam voracitati extortum crudeliter copiosum pabulum eadem miserrima Civitas præbebat, commune vivarium ipsam discerpentium latronum. Si quando igitur ancipiti assultu diversè aggredientium Ioannes urgebatur, suos bifariàm divisos simul utrisque obvertebat: & ascendentes quidem contrà se ex urbe inferiori submovebat telis è porticibus demissis: supernè verò in se jaculantes è Templo, machinis ulciscebatur. Si autem spatio quodam temporis liber vacaret infestatione missilium ex alto à Zelotis vibratorum (plerumque enim hi cessabant jaculari per ebrietatem, aut mollem intolerantiam laboris) securiùs in Simonem numerosioribus jam excurrebat copiis: ac quantâ ipsos parte civitatis depulisset, ejus statim domos omnes annonâ refertas & omni opportunorum ad victum & usum copiâ, flammis absumebat. Quod ipsum Simon imitabatur, Ioanne interim cedente, partes urbis huic subjectas vicissim invadens, velut de industriâ in Romanorum gratiam, civitatis, cujus hi obsidionem meditabantur, comeatus & alimenta corrumperent, nervosque illi potentiæ succiderent. contigit igitur quæ circa Templum erant cuncta incendiis vastari, mutarique frequentem anteà Domibus & Populo Civitatem in campum purum ordinandis in acies exercitibus patentem; ignéque absumi, pauco excepto, frumentum omne, comportatum eâ copiâ, quæ alendis per menses plures fuisset obsessis suffectura. cujus defectu paucis deinde mensibus capta fame urbs est. quod absque istorum scelere numquam evenire potuisset.* Ita ibi Josephus exponens Acta Hierosolymis seditiosorum hoc extremo concesso ipsis ad nocendum suæ

Patriæ tempore; quibus non multò diſſimilia fuere, ut apud eundem videre licet, quæ duobus prioribus quinquemeſtribus eodem iidem loco fecerant. Reſtat nunc, ut metas ultimi hujus dati eis ſuorum vexandorum otii utrimque definiamus, clarè ſic viſuri, quinque præcisè Menſium iſtud quoque tertium idemque noviſſimum fuiſſe intervallum; & magis videlicet magiſque admiraturi divini hæc prædicentis ſpiritûs exactiſſimam fidem. Kalendis Julii fidem à Legionibus Ægyptum tenentibus Veſpaſiano novo Cæſari juratam, indeque initium Principatûs ipſius procedere, diſertè tradunt, Tacitus Hiſt. lib. II. & Suetonius in vitâ Veſpaſiani cap. IV. Hinc expectatum menſibus facilè duobus, quoad cæteri per Syriam, Pontum Galatiam, Thraciam, & Illyricum Exercitûs idem facerent, quod & ex voto evenit, facilè ſuadent quæ Scriptores iidem referunt, de miſſis ad id quoquoverſum Legationibus & Literis; deque ad hoc pellectâ variis artibus, Populorum ac Regum non ſubjectorum ſolùm, ſed etiam fœderatorum voluntate; quæ tam proſperum ſucceſſum habuerunt, ut etiam Parthorum Rex quinquaginta Equitum millia novo Imperatori ad nutum ſervitura obtulerit. Profectio igitur Veſpaſiani in Ægyptum cum Exercitu & Tito Filio, non ante Septembrem contigerit. & appulſus illùc circa initium Octobris. Ab Octobri enim incipit plena illa ſeditioſorum Hieroſolymis ſecuritas, quæ ipſis ob ſubmotas è viciniâ Romanas omnes copias cum ducibus in longum, ut apparebat, civile bellum implicatis, animos fecit ad ſuam in Hieroſolymitanos tyrannidem crudeliùs exercendam, indulgendumque liberiùs privatis cujuſque Factioſorum Satrapæ in Æmulos odiis, prout referentem paulò ante Joſephum audiebamus. *Tito*, ait, *apud Alexandriam cum Patre intento conſtituendis rebus Imperii*, &c. Hæc nota temporis Octobrem, ut dixi, & quidem deſinentem, indigitat. ex quo ad ſeneſcentem pariter Martium, quinque omnino menſes intercedunt. atqui copſe temporis puncto, provecti videlicet menſis Martii, jam redierat in Judæam Titus miſſu Auguſti Patris cum validiſſimis copiis, & cætero: maximo apparatu ad Urbem protinùs Hieroſolymam oppugnandam, quod & mox aggreſſus eſt facere die XIV. Menſis Xantici (ait Joſephus lib. V. de Bello, cap. XI.) hoc eſt XV. Aprilis noſtri. Ergo anteriori illo puncto temporis, extremo Martio, quo appulſus jam paratis copiis & machinis Cæſaream Titus, Hieroſolymis haud dubiè imminebat (quod diſtinctiſſimè Joſephus idem retulit capite XIV. libri V. Latinæ Edit. quod caput pars eſt quadrageſimi ſecundi in græcâ) excuſſæ priores intemperiæ Zelotis, Sicariis, & Latronibus contra Hieroſolymam fuerint, per incuſſam illis ſolicitudinem Romanis mox infeſta ſigna illaturis reſiſtendi, ad quod ſepoſitis tantiſper ſimultatibus inter ſeſe, mitigatiſque in cives furiis, ſeſe comparare ceperint: quod & tandem feciſſe, Joſephus totâ obſidionis narratione paſſim docet. Ex his demonſtratum quod promiſeramus, reſtat; tertium hoc quoque & ultimum ſeditioſorum liberè Hieroſolymis ſævientium tempus quinque omninò definitum menſibus fuiſſe.

Et cruciatus eorum ut cruciatus Scorpii cum percutit hominem.

℣. 6. Et in diebus illis quærent Homines mortem & non invenient eam : & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

Hæc ex mente sacri Scriptoris & serie & expositione conjungenda sunt, posterioris enim membri ratio affertur in priori : summatimque asseritur tantam, tam importunam & intolerabilem futuram Hierosolymitanis vexationem quam à Zelotis, Sicariis Latronibusque patientur, ut ejus tædio præoptaturi passim mortem sint : acerbitatis porrò & importunitatis ejus ærumnæ magnitudo innuitur per similitudinem *cruciatûs scorpii cum percutit hominem* : in quo præter duo superiùs notata de sicis, hoc est gladiis oblongis & recurvis sub veste occultatis, quibus ex improviso multos quotidie Hierosolymis, eosque insignis dignitatis Sicarii occidebant, fingentes tamen se innoxios, & ultrò factum accusantes : deque vi crudeliter lentâ scorpiaci veneni cum longo cruciatu perimentis : ille quoque tertius hîc observandus paralleli sinus est, inter feram illam Seditiosorum nationem & scorpios, quod sicut hi domi generantur, inobservabiliter insidiantur, lethaliter feriunt : ita latrones isti, domestici erant, Gente Iudæi, legis Religionisque zelum simulantes, libertatem urbis adversus Romanos hostes, Templi sanctitatem ab impiis ejus prophanatoribus, defensum se venire profitentes. Cæterùm præclaris istis nominibus ad obtentum scelerum abutebantur, exercendâ sub his impunè securéque omni quàm maximè Barbarâ crudelitate in cives, quamvis phanaticè sacrilegâ impietate in res, loca & ritus sacros : idque assiduitate numquam cessante, ac nullas miserrimo Populo timoris continuè urentis inducias concedente : cum horum furor, ut *cauda scorpii* (Plinii verba sunt loco supra citato) *semper in ictu esset*, continuè exerta, irremissio diù noctúque, ubique desæviendi conatu vigens. unde extrema desperatio necessariò infeliciſſimos occupabat cives urbis istiusmodi tartareis furiis infestæ : quæ desperatio cum eventum contineat vaticinii hoc versu sexto expressi, quod tractamus, audiendus de illâ Historicus est compertissima narrans. Sic Iosephus cap. IV. lib. V. Græci de Bello : *Undecumque autem oppugnata ab Insidiatoribus & Convenis Civitate, medius Populus, ut corpus ingens, discerpebatur. Senes verò & Mulieres tædio inteſtinarum ærumnarum, vota pro Romanis faciebant : externum bellum, ut à civili liberarentur, cum desiderio expectantes. Indigenas porrò anxietas atrox & terror vehemens consternaverat. quod neque consilii tempus ad mutationis optionem, neque conventionis spes adesset ulla ; neque ad fugam exitus cupientibus pateret. Præsidiis quippe validis inexorabiliter claustra cuncta servabantur. & commissi in cæteris invicem infestique Latronum Principes, in uno concordissimi studio propositoque erant truci-*

dandorum omnium quot quot pacem cum Romanis affectarent; aut suspecti quoquo modo viderentur meditati ad illos transfugii. unaque inviolata durabat internecino se invicem prælio concidentibus miræ conventionis quasi tessera: pro communibus hostibus habere, atque ut tales cæde immani statim ulciſci, qui procurandæ genti suæ salutis unicam tunc viam, compositionem cum Romanis, aut cogitare aut cupere putarentur. Ac Factiosorum quidem inter seſe dimicantium horrendus diù noctúque feriebat aures clamor: acutiùs tamen resonasſent ejulatus extabescentium mœrore intimo civium, lamentationesque ob mala succeſſione continuâ citrà intermiſſionem ullam omni momento semper graviora prioribus ingruentia; niſi partim oppreſſorum luctu ſtupor, voces doloris indices intercluderet: partim metus ne queſtûs ab ipſis cauſas querendi præbentibus atrociſſimè vindicarentur, vociferationes intra fauces opprimens, ſolis defungi ſuſpiriis ſineret. Jam nec reſpectus ullus neceſſariorum adhuc ſuperſtitum Propinquis erat, aut cura ulla ſepulturæ defunctorum. utriuſque neglectûs cauſa erat, ſua cuique rerum ad ſe propriè attinentium deſperatio cunctarum. Segni enim ad omnia remiſſione animi obtorpuerant, qui cum ſeditioſis habitabant; utique tamquam omni momento dirum expectantes exitium: calcatis porrò interfectorum invicem cumulatorum acervis, ſeditioſi alii contra alios præliabantur; ex ipſis quæ pede premebant cadaveribus furorem, ut apparebat, haurientes, quo efferatiùs lymphati ruere pergerent; ingenioſiúſque comminiſcerentur novum aliquid ad ſuam alienamque perniciem augendam: taleſque cogitationes ſine ullâ ſemper morâ nulli parcentes juri aut rei, ſtatim opere complerent: neque aut excarnificationis, aut quamlibet infandæ crudelitatis viam ullam intentatam relinquerent. Hactenùs Joſephus. Judicet prudens lector quàm veriſimile ſit, deſideraſſe illos mortem (quod hîc dicitur) qui, ſine ſpe ſucceſſuræ ſortis melioris, tam durâ vitæ conditione uterentur.

℣. 7. Et ſimilitudines Locuſtarum, ſimiles equis paratis ad prælium.

Equus bellicoſum animal tralatitium ſymbolum belli eſt. Æneid. lib. III. cum primo Italiæ diù quæſitæ conſpectu Æneas equos in eâ vidiſſet, Pater ejus Anchiſes inde bellum portendi auguratus eſt. Sic eam rem Virgilius exprimit.

Quattuor hîc, primum omen equos in littore vidi,
Tondentes campum latè, candore nivali.
Et Pater Anchiſes, Bellum ô terra hoſpita portas.
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.

Quia igitur iſti ſeditioſi Hieroſolymis prævalentes quos locuſtarum ſymbolo hæc Prophetia deſignat, toti bellum ſpirabant, continuéque præliabantur

liabantur inter se, cives rapinis, cædibus, incendiis populabantur. Omnes assiduè ad bellandum cum Romanis incitabant; nemo non videt quàm aptè comparentur *equis*, nec iis quibuslibet, sed *paratis ad prælium*. Hæc autem paratura vel naturæ, vel institutionis, vel cibatûs aut cultûs est: constat enim generosos nasci quosdam equos longè vulgaribus dissimiles: prodesse his etiam ad hoc plurimum si usui præliorum meditamentis militaribus formentur. Posteà peculiariter pasti & magnificentiùs, quod ipsi sentiant, phalerati, concipere dicuntur quamdam superbiam, ut sint multò ferociores: quæ facile adaptari factiosis hisce possunt; plerisque naturâ contumacibus, impatientibus omnis dominationis: qui essent dudùm assueti latrociniis, pasti rapinis, & spoliis ornati, fructuque illo scelerum autorati ad spes improbas ulteriùs ad nefas omne vi & manu prorumpendi.

Et super capita earum tanquam coronæ similes auro.

Seditiosi Hierosolymenses, ut ex Iosepho constat, omnis potestatis divinæ humanæque jugo excusso, utriusque plenum sibi arbitrium sumebant: Pontificiæ Regiæque dignitatis ex æquo jura sibi arrogantes. Injusta autem & legitimæ autoritatis cassa erat ista usurpatio. propterèà non *coronas* dicuntur habuisse: sed *tamquam coronas*, falsam speciem coronarum: non vero conflatas auro, sed adulterato & solum auri colorem ementitum in metallo longè sequiori præferentes: quod ideò addit, quia verè aurea corona supremæ legitimæ potestatis insigne vulgò habetur.

Et facies earum tamquam facies hominum.

Formâ tantùm externâ homines erant: internis sensibus & foràs prodeuntibus actibus, quibusvis feris belluis tetriores.

℣. 8. Et habebant capillos sicut capillos mulierum.

Audiatur hunc locum quasi ex professo enarrans Iosephus cap. XXXIV. libri IV. *Cædes virorum & constuprationes Mulierum per ludum ab ipsis frequentabantur: cruentâque adhuc prædâ voratâ, obscœnis flagitiis feminarum ritu perpetiendis securâ saturitate vacabant: Comas sibi & vestes muliebres aptantes; delibuti unguentis, & pictis coloribus arte meretriciâ fucantes oculos: nec solùm ornatum; sed passiones etiam mulierum imitabantur; & incredibili exuperantiâ nequitiæ, nefariæ voluptatis novos modos excogitabant. adeò ut in civitate, quam obscœnissimis flagitiis totam polluerant, velut in Lupanari volutarentur: Cæterùm femineis vultibus sanguinariæ manus erant junctæ: èque fracto muliebri mollicie, affectatissimoque ad speciem ostentationis meretriciæ incessu; repentè in cruentos insultus, eductis è stolarum fluentium sinubus gladiis, erumpebant.* Hæc ibi: & his alibi similia Josephus.

Et dentes earum, ſicut Leonum erant.

Prædas enim, ut modò Ioſephus aiebat, etiam adhuc cruentas, Leonum inſtar avidiſſimè vorabant.

℣. 9. Et habebant loricas ferreas.

Ferro illis ſeptum pectus adversùs omnem humanæ commiſerationis ſenſum erat. nam Loricæ rigidæ ſymbolo immanitatem feri animi etiam externi Scriptores exprimunt. Hor. Od. III. lib. I.

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat.

Similia paſſim occurrunt.

Et vox alarum earum ſicut vox curruum equorum currentium in bellum.

Irrevocabili impetu, ſtrepitu ac tumultu maximis, conjunctis in unum furoribus ad bellum in Romanos gerendum invitam Rempublicam Iudaicam vi pertrahentes adurgebant.

℣. 10. Et habebant caudas ſimiles ſcorpionibus: & aculei erant in caudis earum.

Hæc ſuprà expoſita. ſignificantur enim per caudas & aculeos, oblongi gladii reflexâ in ſummo cuſpide recurvi, quibus Sicarii ad proditorias cædes utebantur, ut fusè dictum ex Joſepho.

Et poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque.

Vide dicta ſuperiùs ad v. 5.

℣. 11. Et habebant ſuper ſe Regem Angelum abyſſi, cui nomen Hebraïcè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen, exterminans.

Cum ſeditioſi Hieroſolymis furentes, quos hæ locuſtæ deſignant, malitiam humanâ majorem, conſultis, actis, ſacrilegiis, enormibus omnis generis maleficiis, oſtenderent, ſatis apparebat inſtinctu eos tartareæ cujuſdam furiæ ruere. Id ſic futurum diſertè prædicit hîc Joannes, Angelum abyſſi Regem iis futurum prænuncians. Solent ſpiritus dum apud homines ſe produnt accipere ad tempus nomina iis rebus aut miniſteriis accommodata quæ in terris exercent. Cum ergo hic potiſſimùm & omni vi ageret ut Judaicam Gentem & hujus caput Urbem Hieroſolymam crudeliſſimo exitio perderet, non potuit veriori ſignari nomine quam *deſtructoris* ſive *exterminatoris*. Hoc enim ſonat Hebraicum *Abaddon* אבדון & Græcum

Ἀπολλύων: ubi notari convenit; Gubernationis bonæ omnis finem esse felicitatem subditorum: ex quo est consequens, ut Rex aut Princeps quivis proponere sibi pro scopo, & totis viribus persequi debeat salutem & prosperitatem subjecti sibi Populi. Quod cum eximiè Christus feciſſet verissimus Iudæorum Rex, *qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes* Act. x. 38. & *venit ut vitam* homines per ipsum *habeant & abundantiùs habeant* Joan. x. 10. Ingratissimè tamen à Judæis repulsus fuerat, eum coràm Pilato negantibus, & magno tumultu contendentibus, ut crucifigeretur. Deus in ultionem justam tanti sceleris dedit eis Regem contrariis planè studiis præditum. Ac quia in morte Christi titulum Regis Iudæorum triplici linguâ Cruci superpositum à Pilato, Iudæi tollere conati sunt; frustrà quidem. Pilato delere quod scripserat recusante, ut Ioan. narrat Ev. cap. xix. 21. divinus hoc loco Spiritus toti mundo tribus iisdem illis linguis promulgat nomen alterius illius Regis Iudæis in ultionem impositi. Quod quidem è diametro est oppositum nomini Jesu, salutem & felicitatem significanti.

Videri etiam potest, allusum mentione græcæ appellationis hujus mali spiritûs seditiosos incitantis, ad Apollinem, dæmonem Romanis præcipuè cultum; & sub cujus peculiari tutelâ Mons Palatinus sedes Cæsarum, ipsique adeò Imperatores esse gloriabantur, ut non solùm Virgilius & Ovidius, aliique Poëtæ passim docent: sed etiam Historici memorant, ut Suetonius in Augusto cap. xxix. & Alii, sensu satis commodo. quia enim etsi ejusmodi Factiosi, ut sæpe dictum est, præ se ferebant ingens Romanorum odium: fiebat tamen væcordi eorum in suos sævientium furore, ut Romanibus Hostibus utilissimè servirent: utique cum id sedulò viderentur agere, ut omnes Iudæorum vires eliderent, opes perderent, comeatus etiam incendio ac rapinis temerè corrumperent. Eleganter hîc igitur innuit Ioannes, Apollinem, quem levi in contumeliam flexu *Apollyonem* hoc est *Destructorem* nominat, Romanis utique faventem dæmonem, Factiosis Hierosolymæ dominantibus inspirasse quæ agebant in magnum Romanorum usum, pro quibus enixè pugnare videbantur; ut etiam ipse Vespasianus agnoscit apud Iosephum lib. iv. cap. xxi.

℣. 12. Væ unum abiit: & ecce veniunt duo væ post hæc.

Aptissimè interseritur hîc versiculus hoc loco: dat enim lucem magnam ad expedienda perplexa plurima, quæ in hoc reliquo cap. ix. totis x. & xi. occurrunt, ut usu ipso patebit. Revocanda in memoriam est ex versu 13. cap. viii. *Aquila illa per medium cœli volans* quam videns Joannes audivit proclamantem *væ, væ, væ habitantibus in terrâ, de cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tubâ canituri.* Ibi diximus significari per istam Aquilam Jesum filium Anani, qui toto septennio, ut ex Josepho illic retulimus, perseveravit ingeminare væ, væ, væ, & sui & omnium

oblitus aliorum. modus tam extraordinarius & longitudo ſeptennis iſtius funeſti præconii, fundamentum ſuſpicandi dat, majus aliquid & patens latiùs quàm quod primùm cogitanti facilè in mentem veniat, tam inuſitato portendi oſtento, prodiréque ejus ſignificationem ultrà metas & temporis & loci, & argumenti, intrà quas hæc plerumque ſe Prophetia continet, procurrendo longè in multa ſæcula futura, diffundendo ſe per omnes terras; adeóque ad finem extremum clauſulamque fatalem mundi pertingens: cujus univerſalitatis aliquod, ni fallor, indicium præbet, ille *volatus per cœli medium*, cui ſpatio non una peculiaris regio, ſed totus quam latè protenditur mundi globus ſubeſt; tum illa quoque generalis denunciatio infortunii nominatim intentata *Habitantibus in terra*, quâ tam indefinitâ mentione quis non ſentiat haud Judæos ſolos; ſed mortales prætereà qui uſpiam ſunt univerſos conveniri. Mea igitur de ſignificatu trium horum *væ* ſententia hæc eſt, quam longâ & perattentâ omnium hujus vaticinii partium perſcrutatione & expenſione formatam, hoc ſemel loco proponere operæ pretium duco. Exiſtimo primum *væ* locuſtas & damna per eas illata indicans, ſignificare miſerias extremas quibus Zelotæ, Sicarii, & Latrones urbem Hieroſolymam, poſtquam ejus tyrannidem arripuerant, afflixerunt. His ſatis per abſtruſa ſymbola hactenùs à ſacro vate deſignatis, à nobis ex comparatione rerum geſtarum & teſtimonio Hiſtoriæ declaratis: meritò hîc Joannes pronunciat: *væ unum abiit*: primum videlicet è denunciatis tribus, anteà demonſtratum clarigatione quinti Angeli tubicinis. Reſtant duo, prout admonet Propheta ſic pergens: *Et ecce veniunt adhùc duo væ poſt hæc*, reliquis ſcilicet Tubiciniis duobus, quæ ſuperſunt ad explendum promiſſum ſeptenarium ſignata. Priùs duum horum, formis ſuprà modum ænigmaticis & mæandris flexuum myſticorum pluſquam labyrinthеis, à verſ. 13. hujus capitis noni, per totum deinde decimum, & partem majorem undecimi, uſque ad hujus verſum tertium decimum extenditur. Nam utramque illius metam clarè defigit Joannes ſic ſcribens verſ. 13. cap. IX. *& ſextus Angelus tubâ cecinit.* Tum verſu 14. cap. XI. ſubjungens: *væ ſecundum abiit.* Hoc *væ* comprehendi arbitror non ſolam obſidionem, oppugnationem, expugnationem Hieroſolymorum per Titum factam, cum everſione, incendio, extremâ deſolatione Urbis & Templi, excidioque & exterminio Gentis univerſæ Iudæorum; ſed inſuper etiam calamitates quas miſerrima illa Gens in ſuo longo per Orbem exilio paſſura erat, uſque ad tempora Mundi clauſulæ finitima. quando à vaferrimo omnium Impoſtore ultimùm ſeducti Antichriſto magno, deinde, operâ maximè tunc apparituri Eliæ Prophetæ, converſi omnes ad veram fidem, & unicum Meſſiam Chriſtum Ieſum agnoſcentes, Iſraëlis reliquiæ ſalvæ fient. Congeruntur in hoc *væ*, ſyllepſi propheticâ latiſſimè ſe per plurima ſæcula & eventûs maximè varios protendente, quæcumque notabilia Nationi Iudaicæ & Urbi Hieruſalem acciderunt, à tempore quo per Titum capta eſt, uſque ad ejus inſtaurationem per noviſ-

simum Antichristum, urbisque ejusdem sic restauratæ ruinam per terræmotum vers. 13. capitis XI. prædictum. Eò igitur etiam pertinet reædificatio Hierosolymæ novâ formâ per Adrianum Cæsarem, à quo est Elia transnominata, funestus successus tentatæ per Iulianum Apostatam restaurationis Templi, ejusdem urbis expugnatio per Christianos, reditus sub potestatem Saracenorum & Turcarum, qui hodiernus ejus status est: pertinent bella cruenta quæ Iudæi denuò rebellantes passi sunt à Trajano, Adriano, Severo & Constantino Romanis Augustis, pertinent peripetiæ ac clades variæ nationis ejusdem per orbem Exulis. puta supplicia illi ob deprehensa ejus scelera sæpiùs illata, ejectiones è Regnis Galliæ, Angliæ, Germaniæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, & aliorum diversis & occasionibus & temporibus, quæ omnia videntur Ioanni fuisse declarata per voces quas se audivisse ait, vers. 3. capitis decimi, septem Tonitruum: sed addit se prohibitum ea scribere: videlicet quoniam ad informationem Ecclesiæ Catholicæ, cui hæc Prophetia consolandæ vulgabatur, parùm intererat nosse quid genti rebelli & reprobæ, malorum & calamitatum ubique terrarum usque ad finem sæculi luendum impenderet. Ex his cernitur latitudo ingens sexti Tubicinii, & penultimi væ.

Consideremus jam septimam clarigationem & tertium omniumque supremum *væ*: id putamus esse incendium ultimum mundi, mortem universorum tunc in eo viventium, horum & omnium qui umquam fuerant resurrectionem, congregationemque in Vallem Josaphat, ut habetur Joëlis III. celebrationemque Judicii universalis. Docet hoc Angelus *jurans per viventem in sæcula, quia tempus non erit Amplius: sed in diebus vocis septimi Angeli, cum ceperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei*, cap. X. 5. 6. & 7. hoc est negotium totius œconomiæ ac gubernationis Mundi corruptibilis metâ ultimâ finietur & supremâ coronide complebitur. Quare mihi videtur hujus septimi Angeli Tuba non alia esse ab eâ cujus meminit S. Paulus I. Cor. XV. 52. his verbis: *in momento in ictu oculi, in novissimâ tubâ (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti &c.* Sic summatim prælibatis mysteriis trium *væ* hoc versu memoratorum, singillatim ad enucleanda quæ sequuntur in hoc abstrusissimo vaticinio pergemus.

℣. 13. Et sextus Angelus tubâ cecinit, & audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod est ante oculos Dei.

Erat hoc *altare aureum quod est ante oculos Dei*, altare thymiamatis, descriptum Exodi XXXVII. 25. his verbis: *Fecit* (Beseleel) *& altare thymiamatis de lignis setim, per quadrum, singulos habens cubitos, & in altitudine duos: è cujus angulis procedebant cornua, vestivitque illud auro purissimo, cum craticulâ ac parietibus & cornibus, &c.* dicitur stetisse ante oculos Dei: quia continuè stabat ante conspectum Arcæ in quâ reside-

bat Deus quasi sedens super alas Cherubim, intimè applicitum velo tegenti Arcam & separanti à reliquâ Æde sacrâ segregatissimum illud aditum quod vocabatur *sancta sanctorum*; & erat omnino cuivis invium præter quàm summo Pontifici semel tantùm in anno eo penetranti. S. Paulus ad Hebr. IX. 4. hoc altare thuribulum vocat, sic scribens: *Post velamentum autem secundum, Tabernaculum quod dicitur, sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam testamenti, &c.* In eo altari perpetuò prunis intrà positis urebatur thymiama certæ compositionis, sic præscriptæ Exod. XXX. 34. *Dixitque Dominus ad Moysem: sume tibi aromata Stacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia: faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mistum diligenter & purum, & sanctificatione dignissimum: cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coràm Tabernaculo testimonii in quo loco apparebo tibi, &c.* Cum *omnia* Legis Mosaicæ sacrorum instrumenta *in figuram* essent institutione divinâ formata: ut docet S. Paulus I. Cor. X. 11. quid peculiariter figuraret suffitus perpetuò exhalans ex altari aureo & per textum veli penetrans ad Arcam suprà quam residebat Deus, innuit suprà Joannes cap. v. 8. dicens: *Et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* In loco ergo præsenti *vox illa una* prodiens *è quatuor cornibus altaris aurei*, significat Orationes Christianorum destructionem impiæ Synagogæ, postquam ejus conversio desperata erat, à Deo petentium. Hæc vox *una* dicitur propter consensionem orantium, magni ad impetrationem momenti, juxtà illud Christi Matt. XVIII. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis, &c.* Quod autem additur profectam eam *ex quatuor cornibus altaris*, innuit universalem in idem votum conspirationem Ecclesiæ totius, è cunctis, ubi Fideles omnis conditionis, ætatis, sexûs, degunt locis, rem eandem unanimi suffragio poscentis. Hæc vim quamdam Deo facit, quidquid vult utiquè extorquens: ut apparuit in liberatione Petri Act. XII. 5. ubi legimus; *Et Petrus quidem servabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deum pro eo.* Sensus ergo horum, quæ modò tractamus, verborum est: perlatas ad Deum orationes Christianorum cunctorum qui ubique vivebant paulò ante oppugnationem urbis Hierosolymæ per Titum, impetrasse à Deo ut statim inciperet ejus obsidio admotis ei quatuor Legionibus Romanis: dixi *Christianorum viventium*: hîc enim de iis agi monstrat locus suprà expositus ad apertionem sigilli quinti cap. VI. 9. *Vidi sub altari animas interfectorum propter verbum Dei... & clamabant voce magnâ dicentes: Usquequo Domine... non judicas & non vindicas sanguinem nostrum, &c.* ex altari holocaustorum sub quo jugulatæ victimæ jacebant, venit ea vox, non ut hæc nostra ex altari thymiamatis, quia hoc, ut dixi, divinâ institutione figurabat orationes Sanctorum viventium, non defunctorum.

℣. 14. Dicentem sexto Angelo qui habebat tubam : solve quatuor Angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.

Non rarò Principes porrectum sibi à supplice libellum, impetrabilia poscente, subscriptum manu sacrâ continuò mittunt ad Ministros pro mandato regio statim efficiendi quod petitur. Tali imagine repræsentatur hic vox concors Ecclesiæ pœnam Synagogæ postulantis, quasi appositò impetratæ gratiæ signo, directa ad Sextum Tubicinem, ut ei esset pro Dei mandato exequendi sine morâ quod rogabatur.

℣. 15. Et soluti sunt quatuor Angeli.

Cardo negotii est intelligere ac certò definire, quinam hi fuerint *quatuor Angeli alligati in Flumine Euphrate & soluti ut occiderent*, &c. Aio breviter, fuisse quatuor Romanas Legiones quæ limitem Imperii Orientalem, ad Euphratem stativa habentes, custodiebant. Hæ defixæ illic erant mandatis Augustorum, & usu ac lege Reipublicæ : nec amoveri inde poterant nisi Principis tunc imperantis voluntate ac nutu. Quare Vespasianus & ejus filius Titus quamdiù privati, alienis Neronis dominantis auspiciis, bellum judaicum gesserunt, haud quaquam valuerunt illis uti copiis ad libitum ; sed precariò tantùm, & pro modo impetratæ non facilè à regnante facultatis. in cujus rei argumentum traho quod Josephus cap. VI. libri V. scribit, agens de copiis quibus usus in prioribus expeditionibus ante Neronis mortem Titus fuerat, quasque tunc, accingens se Hierosolymorum oppugnationi, adjunctas cæteris de novo paratis ducebat : τριχίλιοι συνείποντο Τίτῳ τῶν ἀπ' εὐφράτου φυλάκων. *Ter mille sequebantur Titum è Custodibus Euphratis.* Pars hæc tantùm exigua erat unius è quatuor Legionibus Exercitum Romanum limitis Euphratei custodem conflantibus, quantulam tunc nimirum Imperator indulserat. At nunc Titus ipse Cæsar, Patre Augusto, proprio scilicet arbitrio, eas universas sibi adjunxit Legiones. Hoc fuit illas *solvere*, quod hic dicitur, ligatæ quippe ante fuerant imperio Neronis, ne moveri loco possent. Nec solas illas Titus habuit Hierosolymam oppugnans : sed alias item quatuor enumeratas à Iosepho. nempe quintam & decimam, aliamque indicatam ibi, sed non nominatam. quæ tres sub Patre Vespasiano in Judæâ rem gerente meruerant : insuperque duodecimam quâ Cestius Syriæ Præses malè ad Hierosolymam pugnaverat, fœdè illinc & cruentè repulsus. Et hæ quoque, etsi ab aliis diversæ; Syllepsi ex usu veteri ductâ, ad quaternarium jam memoratum rediguntur. quoniam enim modus antiquus justi Exercitûs Romani quatuor Legionum erat; quas qui plenas Consul haberet, non dubitaret acie congredi contrà quamlibet numerosas copias, fiebat ut quilibet plenus Exercitus, etsi pluribus quam quatuor Legionibus constans, quaternario Legionum definiretur. Unum consuetu-

dinis illius priscæ hîc apponere exemplum placet. Refert Titus Livius Decadis IV. lib. VII. Lucium Scipionem Asiaticum adeò non reformidasse opponere Regi Antiocho Magno ducentorum ferè millium Exercitum ductanti, Romanas solito numero ac formulâ digestas copias, ut etiam ipsius prælium detrectantis castra ultrò aggredi, sicque ad pugnam cogere, decreverit. de hujus porrò Exercitûs Romani numero sic ibi Livius scribit. *Romana acies unius propè formæ fuit, & hominum & armorum genere. duæ Legiones Romanæ, duæ sociûm ac Latini nominis erant.* Vides usitatum modum veteris Exercitus Romani: quem & in aliis tum ejusdem Livii, tum aliorum res antiquiores Romanas describentium locis observare plurimis poteris. Inde autumo universas Titi Hierosolymam oppugnantis copias ad quaternarium hîc redigi: quin & eódem, ut mox exponam distinctiùs, involvi innumeras alias Cæsarum post Titum copias, qui contra Judæos sæpiùs deinde rebellantes rem gesserunt. Non omittam hîc aliquid suggerere circa enumeratas à Iosepho Legiones quatuor à Tito contra Hierosolymam ductas, quod pertinere videatur ad memoratam hoc loco earum *solutionem*. Ait Iosephus loco ultimò citato, quatuor illas Legiones peculiaribus anteà ex causis fuisse Judæis infensas. Tres quidem quæ Vespasiano, tot oppida & regiones superiùs indicatas devastanti, præstò fuerant, multa, ut est ibi significatum, à Iudæis erant passæ gravia: quarta verò quæ olim meruerat sub Cestio, quando is ab Hierosolymis inconsultè recessit, ingenti clade ab iisdem affecta fuerat, prout fusè recitatur à Josepho cap. XXXIX. lib. II. de quâ propterea idem Historicus capite deinde VI. lib. V. scribit: καὶ τὸ πάλαι σὺν Κεστίῳ πταῖσαν δωδέκατον, ὅπερ καὶ ἄλλως ἐπίσημον δι' ἀνδρίαν ὑπάρχον, ποτε μὴ πῶ μνήμῃ ὧν ἔπαθεν εἰς ἄμυναν εἴη προθυμότερον. Hoc est; *& quæ olim sub Cestio cladem acceperat duodecima Legio, perspectæ aliàs fortitudinis famâ inclyta, tunc memoriâ eorum quæ passa erat, promptior in vindictam ferebatur.* Dicamus ergo: quatuor harum Legionum in Judæos iram quodammodo anteà ligatam defectu occasionis iis nocendi, quando contra Hierosolymam evocatæ à Tito sunt, quodammodo solutam, ut liberè deinceps posset odium in Nationem invisam suum exprimere. nec excipi contra hoc debet: non fuisse forte illas ex copiis quæ ad Euphraten excubaverint in custodiâ limitis illius. Nam quæcumque umquam Romanæ Legiones undecumque accitæ bellum in Syriâ gessere, cui contributa Judæa erat, habens finitimam Imperii metam Euphraten amnem, dici possunt Euphratei limitis fuisse custodiæ addictæ. & hoc certè modo id hoc loco intelligere necesse est, cum in hoc Angelorum ex Euphrate solutorum quaternarium per Propheticam Syllepsin, ex consequenter post hæc à Joanne dictis intellectam, includantur quotquot Romanæ copiæ sub Trajano, sub Adriano, sub Severo, sub Constantino Magno, contra Judæos rem gesserunt: ut clariùs cognoscetur ex paulò post dicendis, continuando expositionem rerum prænunciatarum sexto hoc tubicinio; quarum una tantùm & prima multarum est expugnatio Hierosolymæ per Titum,

Titum ; nec ipsa utique dilucidè signata : sed perobscurè duntaxat idque breviſſimè adumbrata verbis illis mox sequentibus :

Qui parati sunt in horam & diem & mensem & annum ut occiderent tertiam partem hominum.

Aliquando diserti Scriptores in figuratis præsertim compositionibus, satis habent res magnas & illustres, præsertim si funestæ sint & malè ominatæ mentionis, solâ causæ ipsarum expressione indicare. Sic Proteus apud Virgilium IV. Georg. Aristæum, à quo consulebatur, docet, quâ culpâ meruerit iram Numinis.

Magna luis commissa. Tibi has miserabilis Orpheus
Haud quaquam ob meritum pœnas (ni fata resistant)
Suscitat & raptâ graviter pro conjuge sævit.

His adumbrat originem infortunii quod patiebatur Aristæus, esse, quod ipse occasio moriendi Euridice Orphei conjugi fuisset : mortem tamen ipsam ejus mulieris in sequentibus studiosè subticens, intelligendam tantùm præbet. ita enim pergit :

Illa quidem dum Te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella,
Servantem ripas altâ non vidit in herbâ.

En quantum de morte dicit. Nam quæ statim addit, mortis jam obitæ signa, vel quasi effectus, aut consectanea sunt, luctus æqualium, fletus &c.

At chorus æqualis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes : flerunt Rhodopeiæ Arces,
Altaque Pangæa & Rhesi mavortia tellus.

Satis enim significasse se putabat mortem causâ ejus indicandâ, quæ fuit præceps Euridices cursus per ripam herbosam, cujus sub gramine latens hydrus ipsâ non advertente calcatus pedi morsum infixit, ex quo illa vi veneni continuò extincta periit ; quod elegante aposiopesi suppressum, relinquitur audienti cogitandum. Simili schemate Vates hoc loco noster totam operosissimam catastrophen expugnatæ à Tito Hierosolymæ, incensi Templi, exterminatæ Iudæorum Gentis, unâ innuit commemoratione causæ tanti excidii, quæ fuit Exercitus Romanus : qui, ut dictum est, significatur per *solutos quatuor Angelos*. Hi dicuntur *parati ad horam, diem, mensem, & annum*, cum alluſione opinor quadam ad Christi verba rem eandem prædicentis Luc. XIX. 43. dum appropinquans Hierosolymæ illam

intueretur: *Venient dies in te, & circumdabunt te Inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Quin etiam suspicor, Ioannem, fiducià tam diserti vaticinii ab ipso Domino editi, supersedisse hoc loco distinctiùs efferre Hierosolymitanum excidium; contentum indicationem præfiniti ad eam rem temporis quâ Christus fuerat uno illo verbo defunctus, *venient dies*, paulò enucleatiùs exprimere, memorans. *Horam, diem, mensem, & annum, momenta* videlicet in *Patris* æterni *potestate posita*, ut Christus ait Act. 1. 7. quæ ille pro suo arbitrio præfinit eventibus à se decretis. Hæ præfinitiones ante res patratas impenetrabiliter abstrusæ, ipsâ deinde experientiâ in conspectum & memoriam veniunt. quas & nos circa eventum quo de agitur reddere hîc ex fide historicâ possumus. Anno igitur à Christo nato 70. Imperii Vespasiani 2. obsidere Hierosolymam Titus cepit, instante solemnitate Azymorum, die XIV. Mensis Xanctici, ut Iosephus habet lib. v. de Bell. cap. XI. Is dies respondet nostro Aprilis XV. De inflammationis Templi præcisâ Epochâ juvat describere verba ejusdem Iosephi ex cap. XXVI. lib. VI. quia mentionem disertam faciunt illius cujus modò memini divinæ præfinitionis momentorum. Sic enim habet: : τῶδε (ναῷ) ἄρα κατεψήφισο μὲν τὸ πῦρ ὁ Θεὸς πάλαι. παρῆν δ' ἡ εἱμαρμένη χρόνων περιόδος ἡμέρᾳ δεκάτῃ Λώου μηνὸς, καθ' ἣν καὶ τὸ πρότερον ὑπὸ τῶν Βαβυλωνίων Βασιλέως ἐνεπρήσθη. Hoc est: *Huic porro (Templo) definito utique judicio incendium destinaverat dudum Deus. aderatque evolutis periodis temporum decreta fato dies decima Loi mensis; quâ & priùs à Babyloniorum Rege inflammatum fuerat.* Loi decimus ex supputatione Petavij lib. XI. de doctr. Temp. cap. XVII. exacte incidit in diem nostri mensis Augusti quintum. Denique Urbs ipsa penitùs capta est Augusti die XXXI. die Sabathi, uti Xiphilinus ex Dione refert. quem diem Iosephus cap. XLVIII. lib. VI. de Bell. Gorpiæi mensis octavum dicit.

Quod postremò additur: *ut occiderent tertiam partem hominum* facilè intelliget eventu fuisse verissimo patratum, qui Iosepho crediderit lib. VI. de Bell. cap. XLV. hæc scribenti: τῶν δ' ἀπολωμένων καθ' πᾶσαν τὴν πολιορκίαν μυριάδες ἑκατὸν καὶ δέκα, hoc est: *Occisorum toto obsidionis tempore numerus fuit myriades centum & decem, sive undecies centena hominum millia.* Vnum addo ad tollendum cuipiam forte simpliciori lectori circà superiùs dicta scrupulum, mitaturo Legiones Romanas Angelos dici, quod minimè tamen mirum est: cum quidquid instrumentum Deo est aliquid agendi Angelus vocetur in Scripturâ: juxtà illud Ps. CIII. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* & Ps. XLVIII. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus.* hoc est: Angeli ejus sunt quoties ab eo adhibentur & mittuntur ad quidvis exequendum quod ipse decrevit. sanè habemus Luc. VIII. 30. Multitudinem Spirituum malorum *Legionem* dictam. Quidni ergo Romanæ Legiones

Miniſtræ juſtitiæ divinæ potuerint Angeli dici? è genere videlicet eorum de quibus agitur Pſ. LXXVII. 49. ubi legimus : *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationem; immiſſiones per Angelos malos.* Quod ſi cui neceſſe videatur ut quatuor hi Angeli Perſonæ ſingulares intelligantur, dicemus Tribunos iſtarum Legionum Angelos vocari. quamquam nihil vetat, propriè hoc vocabulum accipi pro Geniis cuſtodibus Tribunorum illorum & ſubjectarum ipſis multitudinum : quales ſunt qui apud Prophetam Danielem nominantur Principes Græcorum aut Perſarum.

℣. 16. Et numerus equeſtris Exercitus vicies millies dena millia : & audivi numerum eorum.

In Græco μυριάδες μυριάδων *Myriades Myriadum.* Eſt autem *Myrias* Græcis numerus decem millium ; ultra quem non habet aliud Græca lingua nomen ſingulare quo ſummæ appellentur. Proverbialiter ergo ingens & penè infinitus numerus geminato & per ſe multiplicato illo *Myriadis* vocabulo exprimitur : quia verò ſignificare occultè vult Joannes plures tunc exercitus contra Judæos militaſſe; unum viſibilem Romanorum, cum ſociis ipſorum omnis generis Gentibus: præterea duos alios inviſibiles; nempe alterum ſanctorum Angelorum, permiſſâ ſibi tunc tandem facultate repetendi ab impiâ Synagogâ pœnas interfecti Chriſti, utentium : Terrium malorum dæmonum innatum ſibi in omnes homines odium tunc liberiùs Dei permiſſu in Iudæos exercentium, ingentem uniuſcujuſque illorum multitudinem exprimit de quolibet dicens fuiſſe in eo *myriades myriadum*, ubi nomen *myriades* non plurale, ſed duale videtur exiſtimaſſe vulgatus Interpres, qui *vicies millies dena millia* ponit, hoc eſt duos milliones, ſive duas myriadas myriadum. Nec moveat hîc quemquam quod numerus adeò excedens modum ſupra memoratarum quatuor Romanarum legionum, non videatur ad eas poſſe redigi : uſus enim Scripturarum canonicarum eſt certo numero ſemel poſito, longè majorem ejuſdem generis comprehendere; quod uno vel altero exemplo declarabo. Duodecim electi à Chriſto Apoſtoli fuerunt : quibus promiſit ſedes duodecim, in quibus ei aſſeſſuri in Iudicio univerſali ſint, Matt. XIX. 28. Tamen S. Paulus qui tertius decimus fuit, pari ſine dubio fruiturus eſt conſeſſu : nec tamen ideò legitur ultrà duodenarium auctus ſedium numerus. Nimirum ut aiunt S. Auguſtinus & Beda, legi ſolitis in Eccleſiâ circà hoc Homiliis, duodenario illo ſedium numero, incomparabiliter plures ſignantur, iis ſervatæ qui virtutem Apoſtolorum imitati, pari cum iis aſſeſſûs honore à Chriſto judice dignabuntur. Superiùs verſ. 8. cap. IV. quatuor ſacri Scriptores ſymbolo quatuor animalium ſignantur : ſed ad eundem rediguntur præter Evangeliſtas quatuor, etiam quatuor Græcæ Eccleſiæ Doctores, totidem Latinæ ; & omninò quotquot Sancti Patres orthodoxis ſcriptis ſacram

doctrinam explicarunt. Idem dic de viginti quatuor Senioribus in visione Ioanni ostensis suprà vers. 4. cap. IV. qui, ut ibi diximus, numero semel à Principibus Sacerdotum Aaronicorum ducto, hoc est Ephemeriarum sive vicium viginti quatuor capitibus, generaliter indicant omnes Sanctos Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, licet hi multitudinem incomparabiliter excedentem geminas duodecades efficiant. Sic accipe quatuor legiones, istum numerum modumque obtinentes, utcumque multiplicentur in myriadas myriadum. Hìc jam explicanda restat ea quam bis superiùs innuimus, Prophetica syllepsis quâ in hunc cantum sexti tubicinis Angeli includuntur aliæ atque aliæ expeditiones in Iudeos aut urbem Hierusalem, præter istam primam Titi, usque ad tempora consummationi sæculi finitima futuræ. Eam nos cogit agnoscere contextus ipse hujus Propheticæ Scripturæ totam periochen sexti tubicinii à vers. 13. capitis noni ad vers. 14. capitis undecimi protendentis. nam ibi vers. 15. ponitur tubicinium septimi Angeli. patet autem manifestissimè toto illo spatio, præter cladem primam illam Hierosolymorum per Titum, innumera alia comprehendi: suadet idem hæc ipsa, de quâ multa diximus, prodigiosa multiplicatio numeri in Myriadas Myriadum, longissimè superans quemlibet magnum numerum exercitus Titi. Agnoscamus igitur in significatum sexti tubicinii conferri alia bella contrà Iudæos & Hierosolymam usque ad mundi clausulam gerenda. Multa ex illis nos latent; vel nondum patrata vel nusquam scripta: enumeremus quæ nosse possumus. 1. Certum est, anno Christi 116. & 117. Trajani 17. & 18. rebellantes furore incredibili Iudæos, missis à Trajano exercitibus coërcitos fuisse, cæsis innumeris eorum millibus. Autor Eusebius in Chronico & lib. IX. Hist. cap. II. ubi distinctè memorat: à Martio Turbone contrà rebelles Iudæos a Trajano misso, σὺν δυνάμει πεζῇ τε καὶ ναυτικῇ, ἔτι δὲ καὶ ἱππικῇ *cum copiis pedestribus & navalibus, pretereaque equestribus*: non exiguo tempore multis præliis, eorum πολλὰς μυριάδας, quod novus doctissimus Interpres vertit: *infinita Iudæorum millia*, fuisse occisa. 2. Rebellasse sub Adriano iterùm Iudæos, autore ac duce Barchochebâ, docet idem Eusebius, Hist. lib. IV. cap. VI. quando à Rufo, tunc Judææ Præfecto, cæsa est innumerabilis eorum multitudo, cum conjugibus & liberis: agerque illorum jure belli in Populi Romani ditionem est redactus. ac cum nec sic quiescerent; & Barchochebas ex urbe Bethere, quam propè Hierosolymam egregiè munierat, fortissimè repugnaret; missis illuc ab Adriano validissimis totius Imperii copiis, & præstantissimis Ducibus, bellum tandem trienne terminatum anno ejus imperii 18. captâ per longam obsidionem Bethere, extinctâque intrà eam fame ac siti magnâ parte rebellium; ipsoque Duce Barchochebâ interfecto. Tunc in reædificatam novâ formâ, jussu Adriani, Hierosolymam, & ex novi conditoris prænomine *Æliam* appellatam, inducta est Colonia Romana: Iudæis imperiali lege in perpetuum exclusis, non modò ab ingressu Æliæ, sed etiam ab aditu vicinæ circumquaque regionis,

unde prospici locus posset ubi fuerat antiqua Jerusalem. Eo bello interfecta fuisse octoginta suprà quingenta Judæorum millia, refert Dio. Rabbi verò Joannes millia eorumdem octingenta periisse isto bello ait. Alii supra duodecies centena millia cæsorum numerant, quæ facilè fidem approbant eorum nostri Prophetæ verborum versu præcedenti extremo positorum : *ut occiderent tertiam partem hominum.* 3. Anno Christi 199. rebellarunt denuò Judæi, fatigati exactionibus Pescennii Nigri, & Claudii Ducis Romani latrociniis, anno sequenti domiti sunt à Severo, qui de iis triumphavit; vetuitque sub gravi pœna, ne quisquam deinceps religionem Iudæorum susciperet. Autores, Spartianus in Pescennio, Dio in Severo. 4. denique non ferentes, Constantino imperante ac loca sancta exornante, Iudæi Christianis subjici, rebellarunt; ut Chrysostomus asserit Homilia 11. adversus Iudæos. Vide Baronium Ann. Chr. 315. n. VI. quo præcisè Constantini anno id contigerit non traditur : tantùm constat, victos eos à Constantino, amputatis auriculis, stigmate inustos, ostentatos ad ignominiam fuisse. Ultimum hoc fuit Romanis Iudaicum bellum. Omnibus porrò hisce bellis, inserviisse Imperatoribus legiones ad Euphraten positas, dubium non est. Quatuor ergo Angeli parati in diem & horam, &c. fuerint quatuor exercitus limitis orientalis custodes, sub quatuor diversis Imperatoribus quos diximus, evocati contrà Iudæos, per Propheticam Syllepsin in unam concluſi mentionem.

Cæterùm cum de sorte urbis Ierusalem hîc potissimùm agatur, alia insuper hîc intelligenda syllepsis est, comprehendens unà cum expugnatione & destructione ejus per Titum, omnes alias mutationes quæ loco illi vel jam acciderunt, vel eventuræ sunt usque ad ultimam ejus instaurationem per novissimum Antichristum, & ejusdem eversionem per terræ motum, cujus meminit Ioannes infrà cap. XI. 13. In hunc ergo censum veniunt, primùm tentata per Iulianum infeliciſſimo successu Templi Hierosolymitani restauratio anno Christi 363. Imperii Iuliani 2. quando ille Apostata, scriptis ad Iudæos humanissimis litteris, quæ extant inter ejus epistolas num. 25. eos Hierosolymam evocatos incitavit ad restaurandum Templum, suas ad hoc illis opes offerens : illique rem strenuè aggressi, post quàm excipiendis fundamentis, fossas altas excavassent, marris & ligonibus ad id usi quibusdam ex auro, aliis ex argento, de industriâ paratis; ut refert Theodoretus lib. III. Hist. Eccl. cap. XVII. Globis flammarum ex imis illis foveis erumpentium exustis operariis, coacti absistere; insuper igne è vicino Templo, in quod territi confugerant, & è loco in quem materiam & instrumenta ædificationis ingenti copiâ congesserant, prodeunte, partim absumpti, partim mutilati, confertim plurimi, Christi gloriam vel inviti agnovêre; quidam etiam Christianam religionem amplectentes, sunt confessi : prout certissimi horum omnium autores extant, præter jam laudatum Theodoretum, Amianus lib. XXIII. S. Chrysostomus Or. 2. adversùs Iudæos, Hom. 4. in Matt. & 41. in Acta. S. Gregorius Nazianzenus Orat.

2. in Iulianum, Ruffinus lib. 1. cap. 38. & 39. Socrates lib. 3. cap. 17 Aliique Veteres ; ex hiſque multi illorum temporum æquales.

Veniunt ſecundò Expugnatio Hieroſolymorum & direptio per Choſroën, ſub Phocâ ; recuperatio ejuſdem per Heraclium : quarum illa anno Chr. 614. hæc 628. contigit.

Venit tertiò, Invaſio ejuſdem Urbis per Saracenos an. Chr. 636. ejuſdemque recuperatio per Chriſtianos An. Chr. 1099.

Venit quartò, expugnatio ejuſdem per Saladinum ann. 1187. & longa inde ſub Saracenis, Mamalucis, Turcis in hodiernum uſque tempus durans ſervitus.

Venit denique, præter alias fortaſſe nondum patratas, noviſſima illius per Antichriſtum invaſio, & magnifica inſtauratio, & exornatio in ſedem regni ſui. de quibus Vide Thomam Malvendam lib. v. de Antichriſto cap. x. & xxi. poſtremò evetſio ejus per terræ motum, de quâ noſter cap. xi.

His expeditis ad plenam declarationem verborum quæ tractamus, explicandum reſtat, cur omnes copiæ contra Hieroſolymam bellaturæ de quibus hîc agitur, equeſtres dicantur, cum magna pars earum ſine dubio pedeſtris fuerit. Symbolicam, non autem hiſtoricam aut literalem, eſſe iſtam ſpeciem *Equeſtris Exercitus*, uſque ad *myriadas myriadum* numeroſi, Joanni oblatam, ipſe videtur indicare dum verſu mox ſequenti ſcribit ſe *vidiſſe Equos in viſione*, hoc eſt in repræſentatione myſticâ, & ſimulacro prophetico : quo ſcilicet modo anteà viderat *Agnum* qui Chriſtum figurabat,& *quatuor Animalia*, Evangeliſtas & Scriptores ſacros indicantia. Vidit autem hîc omnes illos innumerabiles homines qui diverſis temporibus, ſub Tito, Trajano, Adriano, Severo, Conſtantino, Romanis Imperatoribus ; ſub Heraclio quoque Hieroſolymam à Perſis captam recuperante, ſub Ducibus Francis, in quibus erat Godefridus Bullionius, eandem Saracenis ereptam in ſedem Regni Chriſtiani erigentibus : denique univerſos milites qui aliis aliiſque ſæculis & occaſionibus adhibendi ab omnia moderante divinâ providentiâ fuerant ad ejus in Nationem Judaicam exequenda decreta ; omnes autem iſtos homines in formâ Equitum vidit, ut ſignificaretur, nullum ipſorum ſolâ humanâ vi ei negotio operam dediſſe : ſed unicuique adſtitiſſe tum bonum Angelum, tum malum dæmonem in idem cooperantes, quin & ipſos regentes & incitantes : bonos quidem Angelos Dei juſſu inſtinctos zelo procurandæ Dei gloriæ : malos autem Dei permiſſu indulgentes proprio in omne genus hominum odio, quin & ad Judæis nocendum immiſſos, ut miniſtros divinæ juſtitiæ, quæ talibus uti ad ſceleratos puniendos carnificibus conſuevit : juxtà illud Pſalmi LXXVII. 49. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ . . . immiſſiones per Angelos malos.* Cùm ergo in his bellis per quæ ultio fuſi Chriſti ſanguinis à Iudæis repetita divinitùs eſt, ſinguli milites non unum aut ſimplex animal fuerit, ſed aggregatum quoddam ex tribus : Angelo bono, Angelo malo, & Homine, quorum Angelus bonus inſtar Equitis habebat, Homo locum Equi, ma-

lus Dæmon retrò affectans, vicem Pediſſequi, hæc omnia ſymbolicè in unam formam miſcentur *Equitum in viſione oſtenſorum.* Sic olim fabulati Græci Poëtæ ſunt (quales S. Paulus Gentilium Prophetas vocat. Ad Tit. 1. 12.) Centauros Theſſaliæ Populos, qui primi Equos ad uſum præliorum adhibuerunt, mixtum animal fuiſſe ex Equo & Homine. Hæc magis magiſque firmabuntur ex dicendis ad cæteram expoſitionem eorum quæ ſequuntur in hoc capite. Nunc non abs re fuerit occurrere cuidam contrà hæc exceptioni, quæ venire fortè cuipiam in mentem poſſet, ex eo quod Chriſtus negavit, uti velle ſe auxiliis Angelorum contrà ſuos Inimicos. Nam Mat. xxvi. 53. Petrum increpans quod gladium ſtrinxiſſet in comprehenſores ſuos ait: *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim Legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* Et Joan. xviii. 16. Pilato qui ipſum interrogaverat, an eſſet Rex Judæorum? cum ſe Regem utique eſſe innuiſſet, Regem autem de hoc mundo eſſe negaſſet: addidit: *Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, Miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.* Ad hoc reſpondeo: Chriſtum ante Paſſionem ſuam nondum iniviſſe plenam & publicam poſſeſſionem Regni ſui, quod Cruce, ac nece in eâ ſubeundâ, parare ſibi conſtituerat. unde non ſine myſterio in impoſito cruci titulo, quem fruſtrà Judæi tollere tentarunt, Rex declaratus eſt. Regnum ergo in reſurrectione accepit: poſt quam ſe palàm multi Angeli hominibus oſtenderunt, obſequentes ipſi: quare id tempus eſſe, puto promiſſum Nathanaëli verbis illis Chriſti Ioan. 1. 51. *Quia dixi tibi vidi te ſub ficu credis: majus his videbis. & dicit ei, Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcentes ſupra filium hominis.* Hoc eſt: ſervientes ad nutum ejus. Hoc ipſum innuit Parabola Luc. xix. 12. *Homo quidam Nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum & reverti.* Nemini dubium eſt quin *Homo ille nobilis*, in eâ Parabolâ Chriſtus intelligatur mortalem adhuc vitam agens: Is nondum accepto palàm dum viveret regno, per paſſionem ſuam & mortem (quâ inſtante hæc illum Judæis dixiſſe diſertè Lucas docet.) *abiit in regionem longinquam, deſcendens in inferiores partes terræ*, ut Paulus habet ad Epheſ. iv. 9. ubi *& his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit* ut ait Petrus Ep. 1. iii. 19. Unde rediens per reſurrectionem, intravit in gloriam regni ſui, ſicut ipſo quo reſurrexit die, clarè dixit duobus diſcipulis euntibus Emaüntem: *nonne oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam?* Luc. xxiv. 26. Subjicit autem in Parabolâ: *Cives autem ejus oderant eum; & miſerunt legationem poſt illum dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Hi ſine dubio Judæi ſunt: qui Pilato ipſis dicenti, offerendo Jeſum: *Ecce Rex veſter, acclamarunt: Tolle, tolle crucifige eum.* Perſeverante autem illo: *Regem veſtrum crucifigam?* Reſponderunt: *non habemus Regem niſi Cæſarem* Joan. xix. 15. 16. Prætereáque intellectâ per fugam militum ſepulchri cuſtodum Chriſti reſurrectione, ſuâ ſe obvolventes

contumaciâ perstiterunt in rebellione, satagentes ejus famam extinguere, Mat. xxviii. 13. Porrò quamquam in resurrectione, ut dixi, jus plenum regni accepit, formâ servi, quam eatenus gesserat, exutâ: ut posset verè dicere quod dixisse legitur Mat. xxviii. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ*: tamen, ut inter electionem & inaugurationem Regum aliquot nonnumquam dierum intervallum est, dicere licet: *creatum* quidem Regem Jesum die Paschæ fuisse: *constitutum* autem; hoc est in publicam regni possessionem inductum, non nisi quinquagesimo post, Pentecostes, die: de quo extat testimonium disertum ipsius Christi Ps. ii. 6. sic loquentis: *Ego constitutus sum Rex ab eo* (Patre æterno) *super Sion montem sanctum ejus*, modum autem talis velut inaugurationis, aut publicè sumptæ regni possessionis, declarat statim subdens: *prædicans præceptum ejus*: indicans id factum, dum per Apostolos spiritu suo plenos, illo qui dictus est die, Hierosolymis Evangelium prædicavit: successu continuè secuto conversionis multorum millium, qui primitivam Ecclesiam jam tum constituerunt, quæ regnum visibile Christi est. Ab eo jam tempore ministros publicos sui regni admisit & adhibuit Angelos: operâ primùm usus eorum in deliniendis & ad conversionem invitandis Iudæis per annos quadraginta, quod spatium definiverat sustinendis eorum moribus, sicut olim in deserto: pari quoque nunc eventu, prout David prophetaverat Ps. xciv. ubi specie historicè recitandi quæ contigerant in egressu ex Ægypto, & viâ per desertum; revera prædicit quæ erant eventura post inchoatam Hierosolymis Evangelii prædicationem dum ait ibi v. 10. *quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde.* Hoc fuit spatium medium inter Christi prædicationem in Jûdæâ per triennium & menses aliquot, ab ipso exercitam; & post ejus mortem, & in cœlum ascensionem continuatam ab Apostolis; & initium belli Romani, quod anno Christi 66. Neronis 13. competit. cum enim plerique Judæorum toto illo tempore perstitissent in negandâ Christo obedientiâ, Evangelioque repellendo (quod in Psalmo laudato exprimitur his verbis: *ipsi vero non cognoverunt vias meas*) illâ tandem metâ divinæ patientiæ ab ejus Justitiâ positâ, decrevit Christus ingratissimam nationem perdere: quod sonant verba sequentia: *quibus juravi in ira mea si introibunt in requiem meam.* ad quod exequendum non Romanis solum aut quarumvis aliarum gentium militibus est usus; sed & bonis Angelis & malis dæmonibus, ingenti numero cum hominibus in idem conspirantibus usus est: ex quibus conflatur hoc loco memoratus *Exercitus Equestris vicies millies dena millia*, numerans.

℣. 17. Et ita vidi equos in visione.

En ut *equi in visione visi* dicuntur, non parvo indicio, haud veros & naturales illos equos fuisse; sed symbolicos & allegoricè adumbratos; ostensosque Prophetæ specie mysticâ, ad significandum mixtum quiddam

(prout

(prout superiùs exposui) ex personis tribus; bono Angelo, Homine, & malo dæmone.

Et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas & hyacinthinas & sulphureas.

Loricæ in Græco θώρηκες, quæ vox propriè pectora & præcordia humani corporis sonat, & usitatissimè trasfertur, ut superiùs est dictum, ad propositum cujusque atque affectum significandum. Pro triplici ergo personarum modò memoratarum genere, in quolibet milite Iudæos oppugnante propheticâ figuratione collectarum, aptè in singulas hæ loricæ distribuendæ veniunt; ut igneæ conveniant hominibus, irâ, quæ ignis symbolo exprimi solet, vehementi accensis; quales fuisse in Iudæos milites Romanos, superiùs ostendimus: hyacinthinæ, sive cæruleæ, cœlestium Angelorum, ex puro zelo divinæ gloriæ, obsequendique Christo, pœnas è Iudæis ipsi rebellibus repetentium, rectissimam & sincerè puram intentionem signent: sulphureæ denique tartaream malorum dæmonum rabiem exprimant, non studio Deo gratificandi supplicia Iudæis ab ipso decreta inferentium: sed usurpatione concessæ nocendi facultatis, libenter indulgentium invidiæ, ac furioso, quo flagrant in genus humanum universum odio. Atque hæ tres dispositiones animi, quomodò unicuique hominum contra Iudæos bellantium convenire queant, facilè intelligemus si cogitaverimus, militem quemque Romanum, præterquàm (ut ex Iosepho superiùs retuli) memoria damnorum à Iudæis acceptorum animo in eos infesto ferebatur; etiam instinctu tum boni, tum mali Angeli, ad eosdem pessimis modis excruciandos, prout justissimè Iudex supremus ordinavebat, incitatum fuisse.

Et capita equorum erant tanquam capita leonum.

Per capita equorum singulas militum personas, & proprios ipsorum affectus intimos, designari arbitror: nam quasi sessor equi repræsentatur Angelus bonus: malus autem instar caudæ equi ejusdem, ut ex dicendis ad vers. 19. magis eluceſcet. Significat ergo his verbis Propheta, milites pro se quemque omnes ira ingenti flagrasse in Iudæos, eamque exercuisse armis, ut leones solent dentibus.

Et de ore eorum procedebat ignis, & fumus & sulphur.

Hæc quamquam symbolica sunt, triplici loricarum colori, de quo diximus, respondentia: tamen, ut multiplex est flexus ænigmaticæ orationis, respectum non reticendum habere videntur ad rem verè gestam. Constat enim, tum universè Romanos, in oppugnationibus præsertim urbium,

flammarum jaculatione pugnare solitos : tum peculiariter in hac Hierosolymitanâ obsidione isto genere teli esse usos. Nam hoc Historia belli hujus à Josepho, teste oculato, prodita manifestè docet, toto ferè lib. v. de Bello : ubi singillatim referens, quid obsidentes oppugnantesque urbem Romani in dies & horas agerent, passim demonstrat, creberrimè ab iis adhibitas ignis immissiones ; quibus & pleraque urbis, & Templum totum succenderunt. Atque hanc bellandi artem ea occasione frequentasse, Tito ejus expeditionis Duci ad decus eximium profuit : unde frater ejus minor Domitianus, cum adhuc adolescens Triumphum Germani Iudaicum Carmine tunc vulgato, & laudato, ad nostram ætatem non perlato, celebrasset, in eo potissimum commendavit istam facum in turres aut è turribus jaculationem : ut intelligere hodiéque est ex Scriptore illorum temporum, qui carmen istud viderat, Valerio Flacco. Hic enim in principio suorum Argonauticôn, Opus id Vespasiano, Titi & Domitiani Patri tunc imperanti dedicans, sic eum alloquitur :

Eripe me Populis, & habenti nubila terræ ;
Sancte Pater, Veterumque fave veneranda canenti
Facta virum : versam Proles tua (Domitianus minor filius) *pandit Idumen :*
(Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces & in omni turre furentem.

℣. 18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & ex fumo, & ex sulphure.

Superiori commate, factâ velut digressione quadam ab allegoriâ ad litteram, hîc ad allegoriam redit : intelligens, per ignem, iram hominum ; per fumum in cælum tendentem, zelum Sanctorum Angelorum ex puro studio divinæ gloriæ in Iudæos Christo rebelles exardescentem : per sulphur denique, rabiem diabolicam infernorum dæmonum. Atque has causas fuisse ait tantæ cædis undecies centenorum millium, quæ alioqui tali tempore & loco nequaquam fieri potuisse videretur. quò referri potest, quod Titum dixisse aiunt, mirantem, plura & atrociora evenire in perniciem Iudæorum, quam ipse vellet : *Non ego aut mei milites, machinæve hæc agunt : sed major quædam vis.*

℣. 19. Potestas enim equorum in ore ipsorum est : & in caudis eorum. Nam caudæ erant similes serpentibus, habentes capita : & in his nocent.

Manifestum ex his est, symbolicè in his formari quasi poëticum spe-

ctrum; aut potiùs propheticum. Nam Prophetæ ſacri vates ſunt, eaſdem non rarò cum prophanis Poëtis, ſed graviter ac ſanctè ſemper, figuras uſurpantes: uti hoc loco mixtum prodigium ex capite equino & caudâ ſerpentinâ, ad uſum ſignificandi complexum illud quod diximus, ex homine Angelo, & dæmone in idem cooperantibus. Os equi quod fræno indito eques pro arbitrio flectit, & obedientem beſtiam ad quidvis certâ ratione circumducit; (nam ut ait Horatius

Equi frænato eſt auris in ore)

tum hominem Romanum militem, tum bonum Angelum ei præſidentem ſignat: utentem impetu iræ quo præceps miles ferebatur, moderatione accomodatâ ad finem & modum decretæ à divina juſtitia Iudæorum pœnæ. Cauda verò ſerpentina malum dæmonem unum aut plures: nam multos ſimul uni adſtitiſſe militi, tacitè indicatur hîc dum dicitur: *caudæ habentes capita*; quod talem ſpeciem præbet, quaſi ſinguli pili caudarum equinarum totidem ſerpentes eſſent, anguina in ſummo vibrantes capita; qualia fingere Poëtæ conſueverunt de crinibus Tiſiphones, aliarumque avernalium furiarum. Nec fruſtrà eſt, quod in caudis collocantur hi mali dæmones, & ibi ſibilis & veneno capitum ſuorum nocere dicuntur: hoc enim nocumentum ad tempus pœna Iudæorum poſteriùs, pertinet: de quo agitur verſibus ſequentibus duobus.

℣. 20. Et cæteri homines qui non ſunt occiſi in his plagis: neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum: ut non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare:

℣. 21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſuâ, neque à furtis ſuis.

Erat conſentaneum, ut viſa & clariſſimè perſpecta divini numinis potentia, juſtitia & ſapientia, in punitione Iudæorum per excidium Hieroſolymæ, tum Iudæi qui cladi tantæ ſuperſtites fuerunt, tum ipſi victores Romani, verum Deum agnoſcerent, & illum irritare novis ſceleribus idololatriæ, Homicidiorum, flagitiorum, furtorum deſinentes, etiam placare per pœnitentiam anteà conſcitorum ab ipſis criminum ſtuderent: ne, quæ viderant mortuis jam Iudæis infligi mala & ſupplicia, ipſis quoque poſteà infligerentur. Sed eos à tam æquis cogitationibus & conſiliis magno ſtudio mali dæmones averterunt. Hæ fuere *ſerpentinæ equorum caudæ habentes capita in quibus nocent.* Similem eoſdem operam ergà Cyrum Iu-

dæorum liberatorem à captivitate Babylonica, pari effectu adhibuisse, indicat querela Dei de eo, quod ipsum *non cognoverit* tam manifestis supremæ ejus potentiæ ac providentiæ perspectis signis: *Assimilavi te, &c. Accinxi te, & non cognovisti me*, Isai. XLV. 4. & 5. in quem locum S. Hieronymus *non cognovisti me, id est, simulacra coluisti, non Deum.* Et Eusebius in Catenâ Græcâ: sic παραφράζει *paraphrasticè reddit* locum hunc: ἐιμὶ ὁ Θεὸς ἰσραὴλ, ὃν προσήκει καὶ σε μὴ ἀγνοεῖν, ὦ Κῦρε: *Sum Deus Israël, quem te conveniebat non ignorare, Cyre.*

AD CAPUT X.

℣. 1. Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo.

HUNC Angelum fuisse Christum ipsum Dominum, opinantur Beda, Primasius, Richardus Victorinus, & alii Veterum, quos Recentiores multi sequuntur, uno ferè excepto Ribera: qui qua se ad id negandum moveri ratione ait, eam perexigui esse momenti rectè Alcasar ostendit in hunc locum. Idem & ego facilè me demonstraturum crederem, nisi genio abhorrerem à traducendis Viris magnis; multóque mallem adstruendis meis, quàm alienis amoliendis immorari. Aio igitur in hoc Angelo sic descripto luculentos agnoscere me incarnati verbi characteres, qui me dubitare, quin ipse hîc indicetur, prohibent. Primus est illud ipsum quod dubitationem quibusdam objicit, *Angeli* nomen. Nam hoc etsi communicetur passim creatis spiritibus, in primario & antonomastico sensu proprium Christi est: qui propterea dicitur ab Isai. cap. IX. 6. juxta versionem LXX. ab Ecclesia nominatim in officiis ecclesiasticis receptam, *Magni consilii Angelus* A Malachiâ item cap. III. 1. *Angelus testamenti*, in Hebræo מַלְאַךְ הַבְּרִית *Malac habberith.* Ejusdem cum voce *Angelus* ex origine notionis vocabulum est, *Missus*, Christo individuè conveniens, ut Patres passim annotant, ad Ioan. cap. IX. 7. & manifestè patet ex celeberrimo Iacobi Patriarchæ vaticinio Gen. XLIX. 10. *Non auferetur sceptrum de Iudâ, donec veniat qui mittendus est.* Verbum nempè divinum è tribus divinis personis, prima est quæ mitti possit, cum principium habeat ad intra, quo caret Pater, & revera missa est per incarnationem: unde Verbum caro factum verissimè ac propriissimè *Angelus* potest vocari. quod statim additur vocabulum *fortis* non minùs singulariter Verbo incarnato convenit. Nam hoc quartum est è sex nominibus quæ *Parvulo nobis nato*, hoc est ex omnium consensu, Dei filio in carne recens apparenti, ut propriissima tribuit Isaias cap. IX. 6. sanè Verbum assumendo debilitatem carnis, for-

titudinis quantæ capax Deus solus est specimen edidisse, prædicat gratulans in suo Cantico Beata Deipara, dum ait: *Fecit potentiam in brachio suo, &c.* Luc. I. 51. cui David præiverat Ps. XVIII. 6. de eodem canens: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* quibus consonat illud Pauli I. Cor. I. 23. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*: manifestè quippe ibi τὸ *infirmum Dei*, mysterium Incarnationis signat. Verba denique illa: *descendentem de cœlo*, aptè quadrant in tempus hoc loco significatum, quo jam à longo tempore invectus cælo die Ascensionis Christus, ibi ad Patris dexteram sedens præstolabatur effectum promissionis ipsi factæ Ps. CIX. ubi legitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: Ad quam inimicorum conculcationem exercendam descendere nunc Christum, mox dicetur vers. capitis hujus 2. ut ibi demonstrabimus.

Amictum nube.

Humana natura Verbum divinum sibi intimè unitum occultans, nubes est ipsum operiens. Ita docet S. Chrysostomus, dum in laudatione S. Stephani Protomartyris, illa Isaiæ verba cap. XIX. I. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum*: impleta fuisse asserit, quando Christus infans, Herodis gladium fugiens invectus Ægypto est. Quod disertiùs explicans Eusebius in Catena Græca, ad eum Isaiæ locum sic scribit: ὃ δὴ πεπληρῶσθαι εἴποι ἄν τις πρὸς ἱστορίαν ὅτε αὐτὸς ὁ κύριος ὁ ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν λόγος, οὐκ ἀσωμάτως, οὐδὲ ἀφρόνως ἐπιδημεῖ τῇ Αἰγυπτίων χώρᾳ ἀλλὰ μετὰ τῆς νομιζομένης νεφέλης κουφῆς, τοῦ σώματος δηλαδὴ, οὗ ἀνείληφεν ἐξ ἁγίου πνεύματος, καὶ τῆς ἁγίας παρθένου κατεσκευασμένου. *Quod impletum fuisse quis utique dixerit juxta fidem Historiæ, quando ipse Dominus qui erat in principio apud Deum, non sine corpore, nec sine humanâ mente, peregrinus advenit in Ægyptiorum regionem: sed cum reputatâ nube levi, corpore videlicet, quod assumpsit ex Spiritu sancto, & sanctâ Virgine formatum.* Ita ille. Cæterùm aliò præterea memorata hîc nubes pertinet, ipsum quoque sensibile Christi corpus, quod Verbi velum est, abscondens. Significat enim istum Christi è cœlis descensum ad insultandum Iudæis à Tito victis, non fuisse visibilem: propterea non nominatur hîc Christus, sed vocabulo Angeli, aliis quoque conveniente, indicatur. Ipse verò per fidem tantùm intelligitur, obscuritate involutus eà quæ omnia fidei objecta in hac via vitæ mortalis credentibus obumbrat: inter quæ est hic invisibilis Christi è cœlo descensus, à Ioanne, cui revelatus est, hoc loco scriptus. Observandum tamen, quod infrà distinctiùs explicabo ad illa verba versus 2. *Et posuit pedem, &c.* & versus quinti: *stantem super mare & super terram*: per syllepsin, cujus indicia habemus ex toto capitis hujus & sequentis contextu, conjungi duos diversos; sed inter se similes, Christi descensûs, ad conculcandos Hostes suos: quorum prior post excidium Hieroso-

lymorum per Titum, contigit: alter in fine sæculi eveniet, Christo palàm ad judicium universale apparente. utrique nubes convenit pro statu præsenti rerum; quia per fidem nunc solùm obscuram, ex revelatione cognoscuntur. ac licet tunc in propriâ personâ palàm Christus perspicietur ab omnibus, juxtà illa, Mat. xxvi. 64. *amodò videbitis Filium hominis* &c. & supra Apoc. i. 7. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*: tamen non nisi nube minaci & terrificâ amictus conspicietur à reprobis; prout utroque modò laudato indicatur loco; in 1. quidem dum dicitur: *Videbitis Filium hominis venientem cum nubibus cœli.* In altero dum à Joanne scribitur: *Ecce venit cum nubibus.* quæ eadem nubium mentio locis eandem rem indicantibus iteratur Marc. xiii. 26. Luc. xxi. 27. Ex quibus patet, quàm aptè Christo hoc quod hîc prædicitur acturo conveniat, esse ac dici *amictum nube.*

Et iris in capite ejus.

Non hæc eadem est Iris cum eâ quæ suprà memorata est cap. iv. 3. non enim hîc dicitur, ut illic: *Similis visionis smaragdinæ*: hoc est quæ mero colore viridi spei illice, clementiæ indice, constaret. In quo, ut ibi observavi, discriminatur Iris illo cap. iv. à Joanne visa, ab aliâ iride Ezechieli memoratâ cap. i. 28. quæ tota erat rubra, & ignei coloris, districtam severitatem denunciantis. Hæc porrò quæ circa Christi caput hoc capite x. descripti Joanni visa est, cum simpliciter *Iris* vocatur, utrumque videtur habuisse colorem. Nam hæc rubri & viridis mixtio semper in vera iride conspicitur. Cum autem hîc expressa Christi apparitio ad justæ severitatis exercitium pertineat, non oportuit ab iride caput ejus cingente abesse igneum colorem, æquissimæ iræ, & ultricis justitiæ vulgare Symbolum: sicuti nec ei deesse debuit *Smaragdinus* hoc est viridis color clementiam misericordem signans. Nam hæc; ita propria Dei est, ut in eo etiam justè sæviente non insit tantùm, sed extet etiam; & conspicuam se præbeat. Quò pertinet effatum celebre Theologorum asserentium Deum, quamlibet severè in peccatores animadvertat, *punire* tamen semper eos *citra condignum.* Id quod videtur voluisse David innuere dum Ps. xxiv. 10. *Misericordia & veritas* (hoc est justitia) *osculatæ sunt.* lix. 3. *iratus es & misertus es nobis.* lxxvi. 10. *Non continebit in irâ suâ misericordiam suam.* Et Habacuc iii. 2. *cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Convenit porrò Christo iris signum fœderis Gen. ix. 13. quia est conciliator sequester, & sponsor fœderis inter Deum & homines. Quare à Malachiâ vocatur *Angelus testamenti*, hoc est fœderis, in Hebræo enim est ברית *Berith.* ut paulò superius retuli, quæ vox manifestè *fœdus* signat, quadrat hùc illud Pauli Eph. ii. 4. *Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum.*

Et facies ejus erat ut sol.

Etiam hoc ad Christi characterem pertinet, ut superiùs noster de eo dixit

cap. 1. 16. *facies ejus sicut sol lucet in virtute suâ*, ubi annotabamus: innui differentiam lucis *participatæ* & *originalis*. illam habent illuminati à Deo Doctores, qui propterea stellis comparantur Dan. XII. 3. hanc Christus solus, Dei Verbum incarnatum; cujus unius est *lucere*, ut ait ibi Joannes, ἐν δυνάμει αὐτοῦ *in virtute suâ*, cum alii omnes, sive Angeli sive homines, *Luceant in virtute alienâ*, precariò, per gratuitam lucis communicationem ab ipso indultam, qui verè de se dixit *ego sum lux mundi*. Jo. VIII. 12. Ex hoc ergo confirmatur quod diximus, non hunc qui hîc describitur creatum Angelum, sed æternum Dei Verbum carne vestitum esse. Superat enim conditi cujusvis spiritus statum ac modum, solis, primarii lucis omnis fontis, designari Symbolo. itaque cum in monte Thabor Christus tribus Apostolis apparuit Matth. XVII. 2. *resplenduit facies ejus sicut sol*. Inde Mulier Ecclesiam repræsentans infra cap. XII. 1. cernitur *amicta sole*. Hoc est Christo induta, quod proprium erat omnium per baptismum Ecclesiæ aggregatorum: quales Paulus alloquens scribit ad Gal. III. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis*.

Et pedes ejus tamquam columnæ ignis.

Supra cap. 1. 15. *pedes ejus* fuisse dicuntur, *similes aurichalco*, *sicut in camino ardenti*, quæ expositio loci hujus est. Nam metallum in conflatorio liquefactum vi ardoris, ignis colorem præfert. Porrò hîc *pedes*, non simpliciter pro extremis humani corporis membris accipiendi: sed crura quoque illis continuè conjuncta intelligenda sunt. id enim poscit statim adjuncta mentio *columnarum*, tibias propriè indicans, quarum *pedes* bases sunt, nimirum hæc, ut re ac usu, sic etiam significatu se mutuò continent, ut in basi columna, & in hâc basis interdum, in figuratis præsertim & propheticis scriptionibus intelligantur. Itaque Sulamitis cum dilectum à capite ad calcem describeret, Cant. v. non pedes, quorum distinctè non meminit, omisisse putanda est, sed eos in *crurum* quæ *columnis* comparat v. 15. commemoratione comprehendisse, ut vicissim hoc loco noster crura in pedum mentionem colligit. Quid Symbolicè in Christo designet iste ardor pedum, vide superiùs expositum ad. v. 15. capitis 1.

V. 2. Et habebat in manu suâ libellum apertum.

Hic idem liber est quem suprà cap. v. 1. Joannes *in manu sedentis in throno*, hoc est Christi ejusdem de quo hîc agitur, vidit. Id que ipsum in argumentum trahi potest identitatis memorati hoc loco Angeli cum Christo, non enim creati spiritus autoritas ea vel potestas est, ut ei conveniat librum talem accipere, resignare, ac manu tenere. Continebat autem liber hic sententiam finalem & decretoriam reprobationis ultimique exterminii Synagogæ, atque universæ nationis Judaicæ, causis ejus, modisque, viis ac

gradibus executionis ejus distinctè indicatis per resignationes sigillorum, apparitionem equorum varii coloris, & tubicinia sex Angelorum, hactenus suis quæque locis exposita. Nunc destructâ Hierosolymâ, everso Templo, rebus que cunctis per ea Symbola prædictis eventu manifestissimo patratis, *apertus* is *liber* dicitur : Quia vaticinia suâ quasi obscuritate, clausa, & velut sigillis obsignata, eventis præsignato tempore repræsentatis resignantur, ut deinceps eorum veritas omnium oculis pateat. Hoc est quod dixit, S. Irenæus χρήσει recitata in catenâ posteriore ad Matthæum à me ante hos annos triginta editâ : πᾶσα προφητεία πρὸ τῆς ἐκβάσεως αἴνιγμά ἐστι, καὶ ἀντιλλία τοῖς ἀνθρώποις. ὅταν δὲ ἔσθη ὁ καιρὸς, καὶ γένηται τὸ προφητευθὲν τότε τῆς ἀκριβεστάτης ἐπέτυχεν ἐξηγήσεως. *Omnis prophetia ante eventum ænigma est & contradictio hominibus* (liber obsignatus,)*cum autem venerit tempus, & evenerit quod prædictum est, tunc sanè exactissima oraculi enarratio fit, & cunctis patet.* Hoc est librum antea obsignatum, monstrari jam apertum. quod dicitur hoc loco.

Et posuit pedem suum dextrum super mare ; sinistrum autem super terram.

Mare, ut sæpe vidimus, Urbem Hierosolymam in hâc Prophetiâ Symbolicè designat. Terræ autem nomine tota Judaicæ ditionis cætera regio intelligitur. Utrâque igitur, tam Urbe, quàm Regione, clade ultimâ prostratis, imponit iis pedes Christus, sicuti dejectis Hostibus Victores solent : Patre sic æterno liberante fidem illius promissi ei facti cum primùm die Ascensionis cepit ipsius jussu sedere ad ejus dexteram, expressis verbis supra relatis Davidis Ps. CIX. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* A dexterâ ergo Patris ad hoc descendisse Christus hâc Angeli specie innuitur, dum is hoc loco descendens de Cœlo repræsentatur. & fortasse illa causa est, cur non proprio & solito ; sed communi aliis, & propterea non statim intelligibili signaretur talem rem agens vocabulo Christus, quasi de industriâ, dissimulatâ personâ, & veluti larvatus alienâ specie, istam genii non sui functionem exerceret insultandi victis Hostibus : idque ita significaret invitum se ac diù reluctatũ, tandem eò ineluctabili pertractum necessitate fuisse: nec purum ejus victoriæ sibi gaudium esse, sed quadam veluti mœstitiâ perfusum, quòd qui clementiâ uteretur libentiùs, illas severæ justitiæ partes agere cogeretur. Istiusmodi sensum Deo tribuit Isaïas, eum sic loquentem faciens in denunciatione suppliciorum à se peccantibus infligendorum cap. I. 24. *Heu consolabor super Hostibus meis ; & vindicabor de inimicis meis.* innuens non dulce, sed grave ac amarum id ipsi esse.

Et clamavit voce magnâ, quemadmodum cum leo rugit.

Ultiones insignes à Deo de Peccatoribus sumptæ voces quasi quædam latissimè

latissimè resonantes sunt. juxtà illud 1. Reg. III. 11. *Ecce ego facio verbum in Israël quod quicumque audierit tinnient ambæ aures ejus.* Intelligit autem cladem Israelitarum qua duplici prælio à Philistæis victi, millibus triginta quatuor suorum cæsis, etiam Arcam Dei amiserunt. Quantò ergo sonantior vox fuit Victoria Romanorum de Judæis, quâ deletâ Urbe, incenso Templo, Regione omni vastatâ, interfectis vicies centenis millibus, non paucioribus diræ servituti mancipatis, tota reliqua Gens æternùm extorris in dispersionem perpetuam exiliumque miserrimum disjecta per orbem est. Planè vox magna, cujus sonus exiit in omnem terram, & in memoriam omnium consequentium ætatum; salutarem apta incutere omnibus timorem Christi; qui, uti dum viveret inter homines mortalis, agni patientiam & mansuetudinem habuit; ita nunc in cœlo immortalis regnans vires & iram Leonis in Hostes suos obstinatissimos exerit, latè nobilibus in eos justæ severitatis exemplis, quæ hîc Leonis rugitui comparantur. Est enim ipse, ille *victor Leo de Tribu Juda*, memoratus suprà cap. v. 5. unus valens *aperîre librum & solvere septem signacula ejus.* Quod fuit, ut diximus, priùs manifestare prædicendo, quidquid Dei justitia decreverat circa ultionem contumaciss imæ in Christum rebellionis Judæorum. Quid articulatè vox ista rugitui similis expresserit, non declarat Propheta. Nos intelligere possumus aliquid parallelum illi sententiæ quam Virgil. Æneid. VI. tribuit nescio cui miserrimo dira in Tartaro supplicia luenti, quem fingit.

Magna testantem voce per umbras
Discite justitiam moniti; & non temnere Numen.

℣. 4. Et cum clamasset, locuta sunt septem Tonitrua voces suas.

Perpetratâ & per orbem vulgata executione justè à Deo decretæ ultionis in Judæos, prædicta sunt ingentia mala varia quæ in suo miserrimo exilio per orbem universum dispersis eventura erant usque ad sæculi finem. Ea Joanne audiente prænunciata sunt à septem Angelis voce tonitruo simili loquentibus: quali sono pronunciata fuerant eidem populo recens ab Ægyptiâ servitute liberato, & tunc primùm coalescere incipienti in corpus propriæ Reipublicæ, Populique liberi ac juris sui, decem Dei præcepta, apud montem Sina, prout refertur Exodi xx. ut innuatur, mala ea cuncta ob neglectam Dei legem eis infligi.

℣. 5. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram. & audivi vocem de cœlo dicentem mihi: signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.

Vetatur Joannes libro huic Apocalypsis vulgando in usum Ecclesiæ

Christi Catholicæ inserere quæ ad abdicatum jam à Deo, & nihil commune cum veris Abrahæ filiis habentem Populum spectarent. Ea tamen ipsi revelata, seorsim ab eo retineri memoriâ vult; sed sub secreti inviolabilis sigillo. Id enim illa sonant: *signa* (græcè σφράγισον) *quæ locuta sunt septem tonitrua*, quasi diceret: habe tibi ad privatam notitiam: Sed nemini enuncies, metaphora ductâ ab arcanis literis Principum quæ Tabellariis obsignatæ consignantur; gravi pœnâ propositâ si quis resignaverit ante constitutum à Rege locum aut tempus. Aliquid tamen de calamitatibus, gentem Judaicam opprimentibus post Urbis excidium per Titum, infrà hoc libro positum reperitur cap. XIV. v. 19. & 20. ut ibi dicemus, Deo dante; sed cum ibi agatur de cladibus ei Genti illatis à Trajano, Adriano, Severo, & Constantino Imperatoribus Romanis; quæ Clades, ut diximus, syllepsi propheticâ in significatum vaticiniorum sexti Angeli clarigatione comprehensorum involvuntur: meritò videri possunt extra numerum fuisse prædictorum per septem tonitrua malorum, quæ suspicari verisimiliter licet, esse exilia, proscriptiones, deprædationes, cædes, quas à variis mundi Gentibus Romano Imperio non subditis passuri Judæi erant usque ad mundi finem: quarum aliqua jam patrata ex Historiis novimus: ut ejectiones eorum è Gallia per Philippum II. Christianissimum Regem ann. 1198. per S. Ludovicum an. 1253. iterum an. 1306. & denique irrevocabiliter an. 1321. ex Angl. an. 1290. ex Hispaniâ an 1492. è Lusitaniâ 1496. E Statu Ecclesiastico, exceptis Româ & Anconâ, per Pium V. an. 1569. Trucidationis per dira supplicia ob scelera eorum infanda, in Anglia an. 1235. 1236. & 1255. in Germania 1282. 1285. & 1338. in Bohemiâ an. 1305. in Belgio an. 1369. Multa item similia partim aliquâ famâ audita, partim incomperta nobis funditùs, evenisse jam eventura ipsis esse apud diversas, ubi degunt, gentes in Asiâ, Africâ verisimile est, quæ Joanni quidem per voces Tonitruorum indicata fuerint: sed ea ille habere sibi arcana sit jussus, ut hîc scriptum videmus.

℣. 5. Et Angelus quem vidi stantem super mare & super terram.

Non frustrà in his secundò exprimitur positio pedum Christi supra mare & terram: per id enim videri potest, fuisse de industria subindicatam, duplicem conculcationem Hostium dejectorum à victore Christo factam una illa sententia comprehendi. Revera enim, ut ex cætero Prophetiæ hujus textu, attentè cuncta meditans & conferens, lector intelligit, cum Hierosolymorum & gentis Judaicæ Cataströphe, quæ in deflagratione Templi & urbis eversione per Titum contigit: jungitur per propheticam (quod sæpe dictum est) syllepsin, etiam ultima Generis humani totius consumptio per mortalium simul omnium mortem statuto à divina Providentia momento patranda. Nec nova est aut hujus Sacri Vaticinii peculiaris talium

eventuum duorum una mentione conjunctio ; sed sæpiùs in Canonicis scripturis non veteris solùm instrumenti, & priscorum Prophetarum ; at Evangelicis quoque novi Testamenti. Exempla libet hîc quædam apponere. Isaïas cap. XIII. prædixit expugnationem Babylonis per Cyrum & Imperii Chaldæi eversionem. Frons ipsa & titulus id docet : præscribitur enim toti capiti : *onus Babylonis*, & cætera quæ subjiciuntur tantum non evidenter monstrant : argumentum istius Propheticæ esse Cyri victoriam de Chaldæis, Urbis Babylonis occupatione reportatam. Hujus instans tempus sic Isaïas ibi denunciat v. 6. *Ululate quia prope est dies Domini* & v. 9. *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus : & iræ furorisque ad ponendam terram in solitudinem & peccatores ejus conterendos de eâ.* Hæc sine dubio de illa Babylonici Imperii excisione veriſſimè dicuntur: sed non hærere Vatem sacrum in hâc solâ : verùm simul in eam mentionem aggregare desolationem totius humanæ Reipublicæ, quæ fiet cunctis hominibus extinctis in fine sæculorum, non pauca illic posita cogunt agnoscere. nam quæ v. 5. scribuntur : *Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terrâ procul, à summitate Cœli : Dominus & vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram.* En à *summitate cœli*, Dei milites veniunt ad *disperdendam omnem terram* ; an non hæc significatu expeditionis Cyri Persæ, & Babylonicæ Dynastiæ excidii multò patêre latiùs videntur? Quid quæ subjiciuntur v. 10. *Stellæ Cœli & splendor earum non expandent lumen suum : obtenebratus est Sol in ortu suo ; & Luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super Orbis mala ; & contrà Impios iniquitatem eorum* : & paulò post, *super hoc Cœlum turbabo, & movebitur terra de loco suo.* Parumne clarè indicant sub *diei Domini* mentionem, Isaïam, præter calamitatis Babylonicæ vaticinium, etiam Mundi consummationem colligere, dum hæc hujus characterem non dubium præferentia memorat, *obtenebrationem Solis, occæcationem Lunæ, stellarum obscurationem, cœli turbationem, concussionem terræ :* denique *visitationem* hoc est infestam immissionem irreparabilis exitii, *super Orbis mala* non unius Urbis, Provinciæ, aut Regni: sed super universi *Orbis*, in Hebræo תֵּבֵל *Thebel*, in versione LXX. οἰκουμένης ὅλης, *mala*? non *mala*, regionis, Tractûs, Populi singularis, aut Reipublicæ quamlibet potentis aut numerosæ ullius : sed super תֵּבֵל *Thebel*, οἰκουμένης ὅλης *Terræ habitabilis prorsus universæ* mala se animadversurum *die* illa suâ *magnâ* Dominus denunciat. Quando autem id fiet nisi in consummatione sæculi ? Igitur & hanc colligit latior quam primo sono videatur illa ibi facta mentio *Diei Domini* duabus longè inter se diversis cataſtrophis gravida : excidiis videlicet primò Imperii Babylonici ; deinde mundi universi. Eundem in modum hic Joannes triumphalem positionem super victos Hostes pedum Christi justissimi ultoris geminam una dictione miscet.

Est alius ad idem demonstrandum insignis Joëlis locus cap. III. *In diebus illis & in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda & Hierusalem.*

Dies illi & tempus fuit, ex mente Prophetæ, prout patet ex conſpectu loci, adhibita ejus comparatione cum antecedentibus, momentum rêverſionis Judæorum è Babylonia in Patriam antiquam, ſed ſimul in *dies illos* eoſdem & *tempus* includi ultimam converſionem ad Chriſtum Judæorum, quæ multis locis prædicta eveniet paulò ante conſummationem ſæculi, poſt extinctum noviſſimum Antichriſtum, quem illi pro vero Chriſto decepti agnoverant, manifeſtè indicant ſtatim ſequentia: *congregabo omnes Gentes & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis* &c. Quæ omnes Interpretes & Patres, concorſque ſenſus Eccleſiæ, ſic intelligunt, ut per ea ſignificetur univerſale Generis totius humani judicium à Chriſto exercendum in ea valle monti Calvariæ propinqua, ubi ipſe ſufficientes ad ſalutem conſequendam univerſis Hominibus morte ſua gratias promeruerat, quibus Reprobi uti noluerunt.

En aliud illuſtrius ejuſdem rei teſtimonium ex Evangelio Matt. xxiv. Ibi legitur v. 2. Jeſum oſtendentibus ſibi *ædificationes Templi* Diſcipulis dixiſſe: *videtis hæc omnia. Amen dico vobis; non relinquetur hic lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.* Nemo poteſt dubitare quin hoc vaticinium prædixerit deſtructionem Templi per Titum, & revulſionem etiam fundamentorum ejus per Judæos factam hortatu & ſumptu Juliani Apoſtatæ, per id ſtudentis arguere falſitatis idem illud Chriſti oraculum, tam irrito conatu, ut illius potiùs plenam in eventu perpetrationẽ abſolverit; lapidibus multis qui ſub terrâ delitiſcentes moti à Tito non fuerant, per Julianum inde erutis. Quo facto, flammis ex imo erumpentibus abſumpti molitores operis Judæi, magno ſuo malo deſierunt quod ceperant proſequi. Verſu poſtea 3. additur: *Sedente eo* (Jeſu) *ſuper montem Oliveti, acceſſerunt ad eum Diſcipuli ſecretò dicentes: Dic nobis quando hæc erunt: & quod ſignum adventus tui & conſummationis ſæculi.* Ad hæc ita reſpondit Chriſtus, ut diſtinctè prædiceret omnia quæ Judæis eveniſſe certò ſcimus ex Hiſtoriâ, à tempore mortis & reſurrectionis ſuæ uſque ad expugnatam & deſtructam per Titum Hieroſolymam: quæ latè illic explicantur uſque ad verſum 28. ac tum ſubdit: *ſtatim autem poſt tribulationem dierum illorum; Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur. Et tunc apparebit ſignum Filii hominis in Cœlo: & tunc plangent omnes Tribus Terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majeſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tubâ & voce magnâ, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis Cœlorum uſque ad terminos eorum.* An non hæc manifeſtiſſimè indicant finem ſæculi, & judicium univerſale: quæ tamen ἀμέσως *ſine medio* continuantur cum deſtructione Hieroſolymæ per Titum, quam vocavit *Tribulationem dierum illorum* idcirco quod illo vocabulo ſingulari *Tribulationis* per ſyllepſin colligit clades omnes, exilia, & mala, quæ Judæi paſſuri ſunt uſque ad finalem converſionem eorum poſt mortem ultimi ſeductoris eorum Antichriſti magni, eventuram tempore citimo conflagrationi ſupremæ orbis terrarum, quæ

dicitur *ſæculi conſummatio.* Similem aio hîc ſyllepſin intelligendam in modò memoratâ poſitione pedum Chriſti ſuper mare & terram. Duplicem illam & longis utramque temporum ſpatiis ab invicem diſcretas, in unum quaſi conflans mentione ſimplici. De priori jam dixi, poſterior in ſupremam mundi clauſulam quadrat : quando abſumptis incendio extremo quotquot in quatuor Continentibus orbis terrarum, omnibuſque Oceani & Mediterraneorum marium inſulis ; Claſſibus quoque ac Navibus per Pontum, lacus & flumina natantibus, tunc vivere homines fuerint reperti : Chriſtus mundi Dominus ab habitatoribus Terræ & Aquæ diu impunè ſpretus, proſtratis illis deletiſque pedes imponet. ubi ſe offert obſervanda differentia inter ambas haſce ſimiles conculcationes : quòd prior Judaicæ nationis propria, *mari* tantum Symbolico Urbem Hieroſolymam ſignificanti, & *terræ* definitè ſumptæ pro regione in quâ Judæi extra Hieroſolymam degebant pedes imponit : Poſterior mundum amplectens univerſum : Mare verum calce premit, quatenus id habitabile hominibus eſt, in navibus, ut eſt dictum, & inſulis : Terram autem latiſſimè uſurpat quanta patet per Aſiam, Europam, Africam & Americam quatuor notiſſimas Orbis terrarum Continentes : univerſos ubique commoratos peccatores ſerâ tandem ultione debellatos, calce victrici premens. Cui triumphali ritui addit denuntiationem irreparabilitatis in exitio illato. Sequitur enim.

Juravit per viventem in ſæcula ſæculorum.

Vivens in ſæculum, ſive *in ſæcula ſæculorum* hoc eſt *in ævum interminatum* : Hebraicè ad verbum ſonat חַי עוֹלָם *hamchi olam.* Hanc fuiſſe formulam jurandi ſanctiſſimam, quâ qui Judæus uteretur, extra ſuſpicionem fallendi eſſet : non malè, ni fallor, elicit vir eruditiſſimus Ferrandus pag. 61. Tomi ſecundi Obſervationum ſuprà Religionem Chriſtianam, ex Epigr. Martialis XCV. lib. II. ubi Poëta accuſans flagitii quendam Judæorum, ſolicitè ſe purgantem ; etiam interpoſito jurejurando per *Templa Tonantis* ; negat ſe ipſi crediturum niſi juraverit per viventem in ſæcula ; hoc eſt *Amchiolam* quod in Libris hodiernis, forte non ſine errore, legitur *Anchialum.* En Martialis verba.

Ecce negas ; juraſque mihi per Templa Tonantis.
Non credo : jura Verpe, per Anchialum.

Qui creavit Cœlum & ea quæ in eo ſunt : & Terram, & ea quæ in eâ ſunt : & Mare, & ea que in eo ſunt : quia Tempus non erit ampliùs.

Hæc in perpetuum duratura, nec umquam revocanda, *deſitio temporis*, diverſo ſenſu ambabus cataſtrophis adaptanda eſt ; geminâ diſtinguendâ, & convenienter in utramque diſtribuendâ, notione vocabuli, *Tempus.* Aliquando enim id ſonat, durationē & ſtatum rei cujuſcumque ; præſertim vero

Civilium communitatum, Urbium, Rerumpublicarum, Imperiorum. Sic passim dicitur Tempus Assyriorum Chaldæorum, Persarum, Græcorum &c. spatium illud & numerus annorum quibus istæ nationes latè imperaverunt. Id spatium finitur quando illæ Gentes Imperio spoliatæ, redactæ in ordinem singularium populorum sunt. Porrò ipsi singulares Populi tempus suum servant quamdiù corpus unum Civile efficiunt, communiter suis utentes Magistratibus & Legibus, propriamque nomine ipsorum nuncupatam incolentes terram. Unde si quando exterminantur in perpetuum, & in alias æternùm ibi servituri transferuntur regiones, tunc *desinunt esse Populi*, quod Isaïas cap. VII. 8. de Israëlitis, sive Regno decem Tribuum, à Tetglathpharasare & Salmanasare Regibus assyriis in terras longè dissitas ad perpetuam ibi tolerandam servitutem translatis dixit: *Desinet Ephraim esse Populus.* Quo momento Regnum illud & Respublica tempus suum amisit. Dixi, *quando exterminantur in perpetuum.* Nam si ad tempus, cum certâ spe reditûs, transmigrent, dici debent, tempus adhuc suum utcumque tueri. Quod Judæis contigit per Nabuchodonozorem in Chaldæam deportatis. Habebant enim certissima Oracula Prophetarum; præsertim Jeremiæ cap. XXV. 12. quibus spondebat Deus annorum septuaginta præciso numero definiendam istam transmigrationem: post quos iterùm reversuri in patriam forent. in cujus spei quasi pignus, Deo id agente, civilem inter se societatem quamdam, permissu Dominorum, in illo exilio retinuerunt, utentes propriis legibus, & judices proprios habentes, prout è Danielis cap. XIII. manifestè constat. Quin & Rex eorum Joachim, sive Iechonias captivitatis illius particeps, in eâ nihilominus regium nomen, & dignitatem, recuperavit, & ad mortem usque retinuit, eductus è carcere & regiè habitus ab Evilmerodacho Nabuchodonozoris successore, ut narratur IV. Reg. cap. XXV. 28. longè diversa conditio fuit exterminii quod passi sunt Iudæi à Romanis, ejecti in perpetuum sedibus patriis. Unde illi tunc *desierunt esse populus*, sui juris, terram propriam & Rempubliam obtinens. Quare tunc *tempus* amiserunt, & hoc sensu jurat hic Christus in primâ conculcatione ipsorum humi dejectorum per Romanos, *quia tempus* (Reipublicæ nimirum judaicæ) *non erit amplius.* Cæterùm eorumdem verborum, quatenus referuntur ad secundam conculcationem pedibus impositis à Christo victore suis hostibus factam, quam simul cum priore verbis iisdem per syllepsin comprehensam ostendimus, alia est significatio. In iis enim sic consideratis, vocabulum, *Tempus*, in notione suâ propriâ usurpatur, prout definitur à Philosophis, *numerus motûs*, circulationum præsertim cœlestium, qui desinet consummato sæculo, cessaturis in perpetuum tunc deinceps solis, siderum & cœlorum conversionibus, per quas dies, menses, anni & sæcula efficiuntur. Talia quæ priùs fuere, ab eo posteà momento quo Christus terræ marique, extinctis quotquot in iis umquam vixerant, peccatoribus, pedes imposuit, numquam omninò futura, sonant hæc verba: *Tempus non erit amplius.* Atque in hanc propriè secundam horum ver-

borum notionem convenit mentio illa *viventis in sæcula sæculorum: qui creavit cœlum & ea quæ in eo sunt, & terram & ea quæ in ea sunt: & mare & ea quæ in eo sunt.* Cum enim ejusdem sit imponere finem rebus, qui eis dedit initium: & hîc agatur de mutatione statûs cœlorum, terræ ac maris; quorum illi deinceps immobiles sint futuri: hæc vacua & sterilis productionis & generationis omnis, opportunè commemoratur in tali denunciatione numen Conditoris eorum Dei, sine cujus arbitrio & jussu, sicut illa oriri non potuerunt, ita non debent desinere.

℣. 7. Sed in diebus septimi Angeli, cum ceperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.

Mysterium Dei, hoc loco vocatur, negotium divinæ providentiæ circa statum omnium Hominum quos liberos creavit, ut per illos glorificaretur, voluntariâ submissione, piis sensibus & devotis affectibus ipsorum, per quæ illi, ejus adjuti gratiâ, destinatam ipsis, & in præmium propositam æternam felicitatem consequerentur: sin obedire Deo abnuerent, & in illâ contumaciâ vitam clauderent, æterno exitio punirentur; & sic quoque vel inviti glorificarent Deum: justitiæ ipsius sempiternum in sese monumentum exhibentes. Hoc mysterium à primâ creatione Adami, usque ad mortem ultimi ex ejus stirpe per plurima sæcula, nusquam intermissâ Providentiæ divinæ actione curandum promovendumque est, variis omnis generis mediis: præsertim autem (quæ hîc peculiariter memorantur) verbis scriptisque Dei ministrôrum; qui communi Prophetarum nomine hoc loco designantur, Sacerdotes, Doctores, Apostolos, omnium ætatum & locorum à Deo missos Animarum salutis curatores simul indicante. Nam totius quæ umquam fuit aut erit ab orbis principio ad finem Religionis, & eam docentium verborum & literarum scopus, finis, & argumentum unicum est, provectio Animarum sui arbitrii compotum ad liberam Dei laudationem: quâ præparentur ad destinatam ipsis beatitudinem adipiscendam; magno intentato malo, si id agere recusaverint. Hujus longi, multiplicis, spissi negotii, meta ultima erit cantus tubæ novissimæ, per septimum hîc memoratum Angelum edendus; statim ab absumptis conflagratione Orbis terrarum finali omnibus ad unum qui tunc vivent Hominibus: post quod clarigatio illa suprema: Paulo etiam, ut suprà dixi, memorata 1. Cor. xv. 52. mortuos omnes ad vitam & ad judicium vocabit.

℣. 8. Et audivi vocem de cœlo loquentem mecum, & dicentem: Vade & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare & super terram.

Quædam etiam, similis priùs à me indicatis, in hoc libro intelligenda

syllepsis est. Non enim is solùm reprobationem Iudæorum ultimam & irrevocabilem, quâ illi Patriam, Statum in hâc vitâ, Remque publicam perdiderunt: sed etiam sententiam finalem damnationis æternæ Reproborum omnium continebat. Talem librum unus qui scripsit, obsignatum tenuit, & solutis signaculis resignavit, apertum manu tenere Christus potuit; à quo illum Ioannes hîc petere & accipere jubetur.

℣. 9. Et abii ad Angelum dicens ei, ut daret mihi librum: & dixit mihi, accipe librum & devora illum.

Etiam Ezechieli cap. III. 1. devorandus injungitur liber similis, continens ut ille ait: *lamentationes, & carmen, & væ.* hoc est lætum aliquid verbo *carmen* indicatum: sed implicatum & immistum longè majori copiæ rerum acerbarum & tristium per *lamentationes & væ* signatarum: quo puto significari, utrumque istud volumen continuisse simul cum Dei decretis de salute Electorum; etiam decreta de damnatione Reproborum: qui cum Electos numero excedant, plus erat illic mœstitiæ quam gaudii. Porrò ista *comestio* imperata Prophetis, symbolicè designat, attentam considerationem & plenam comprehensionem scriptorum in iis Libris mysteriorum, hoc est decretorum Dei quæ dixi. Neque hoc abest ab usu loquendi vulgari, quo passim dicitur *devorare librum*, qui illum attentè perlegit, planè percipiendo quidquid est in eo scriptum. Unde homines multæ lectionis & perspicacis intelligentiæ, *helluones librorum* appellantur.

Et faciet amaricari ventrem tuum: sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

℣. 10. Et accepi librum, & devoravi illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum devorassem eum amaricatus est venter meus.

Hæc libri devoratio Joanni imperata, habet hoc suprà similem Ezechiëli præscriptam, ut post eam amaricatus fuerit venter Joannis; cum de Ezechiele nihil simile legatur: sed tantum dulcedo melleæ par ab eo dum comederet probata; quam & expertus Joannes est. Ut totius hujus significatum symboli, & discriminis rationem exploremus, investigandum nobis, si possumus, est, quid in utroque libro scriptum esset. De suo volumine scribit Ezechiel cap. II. 9. *Et scriptæ erant in eo lamentationes & carmen & væ.* LXX. καὶ ἐγέγραπτο ἐν αὐτῇ θρῆνος, καὶ μέλος, καὶ οὐαί. Esse in his *carmen* μέλος, sicut paulò prius dixi, rem lætam; etsi plerique negant: tamen innuit Origenes, sic scribens in Catenâ Græca nondum edita, ad eum Ezechielis locum: μέλος μὲν τοῖς Ἁγίοις. θρῆνος δὲ τοῖς ἐκ ἀπεγνωσμένοις τῶν ἁμαρτημάτων. καὶ δὲ τοῖς κολασθησομένοις. Hoc est

Carmen

Carmen quidem, Sanctis: Lamentatio peccatoribus nondum desperatis: væ jam damnatis & mox puniendis. Ex his puto verisimiliter existimari posse, volumen ab Ezechiele comestum continuisse, consilia divinæ Providentiæ circà statum tunc præsentem Populi Judaici apud Chaldæos exulantis. Constabat is exiguo numero bonorum, aut primam innocentiam retinentium; qualis Daniel & ejus tres socii, Ezechiel ipse Propheta, aliique; ut credibile est, Tobiæ similes; qui quam inculpatæ vitæ puritatem domo extulerat cum abductus est in Assyrios à Salmanasare, in eâ captivus quoque & extorris perseveravit: aut flagello captivitatis emendatorum; majori præterea multitudine Impiorum; sed qui adhuc curarentur, non sine spe aliquâ successûs: postremò maximâ obstinatissimorum in malo, quorum vix erat locus resipiscentiæ sperandæ. Circa tres illas classes varia erant Dei judicia eo volumine perscripta. Primæ enim decernebantur amplissima præmia, tum prosperitatis in hoc sæculo, tum felicitatis in futuro. Ob hæc Ezechiel gaudebat, idque significatur illâ experientiâ dulcedinis melleæ, quam sensit in voluminis comestione. Placebat quoque illi spes emendationis nondum sanatorum, cui procurandæ operam ipse pro virili dabat: quin etiam zelo mero divinæ gloriæ instinctus supplicia desperatis constituta probabat, *manus suas lavans in sanguine peccatorum*, ut est in Ps. LVII. 11. *Lætabitur justus cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatorum.* En ratio dulcedinis ab Ezechiele gustatæ in esu voluminis.

Videamus jam quid comprehenderit liber geminus, sed unâ mentione conjunctus, de quo Joannes hoc loco. Prior continebat decreta Dei circà Judæos, quibus Christus & Apostoli Evangelium prædicarant. In iis quotquot ex eâ prædicatione profecerant, sanctificati per Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam aliosque ritus sacros, peculiari Dei protectione in hâc vitâ dignandi, æterna felicitate post mortem beandi decernebantur in hoc libro. Dignoscere id licet ex eo quod suprà vidimus scriptum cap. VII. de sigillo indice salutis & præservationis à malis belli & cladis Judæis cæteris destinatæ, impresso per Angelos, Dei jussu, frontibus centum quadraginta quatuor millium, qui soli ex totâ Judæorum natione se veros Abrahæ filios ostenderunt, Evangelio suscipiendo, & ex ejus præscriptis vivendo. In hoc numero vel in primis Joannes ipse erat, omnesque Apostoli & Discipuli, Columina Ecclesiæ primitivæ. Meritò ergo devorans librum talem Joannes, hoc est, altè penetrans & intimè perspiciens in eo scripta, tantâ suâ & Fratrum ipsi carissimorum felicitate lætatus, mellis suavitatem ejus masticatione gustavit: sensu affectuque hactenùs illi cum Ezechiele communi. Sed ejus quæ Ioannis propria ponitur hîc *amaricationis ventris* πικρασμὸν τῆς κοιλίας exquirenda modò causa est. Ut eam intelligamus, observandum est, in ore Animalium à naturâ fuisse collocatam gustandi facultatem; quâ illa experiantur boni sibi ac salutaris suavitatem alimenti. Hæc propterea in homine aptum est symbolum significandi

gaudii mentis è fruitione, aut cogniti præsentis, aut certò sperati, mox vel olim adventuri spiritualis boni, stomachus & venter eo sensu caret; tamen propter originem maternæ in filios caritatis, inde titulum & principium habentis, quod ii natalem in utero sedem habentes, ibi primum coaluerint; & aliquot mensium spatio adoleverint, usque ad maturitatem partûs: vulgatissimo loquendi usu viscera censentur sedes esse propria Misericordiæ, græcum inde nomen ἐυσπλαγχνίας nactæ, quam vocem interpretari ad verbum possis, *bonitatem viscerum*. Ex hâc Ioannes, postquam sibi & sui similibus in beatâ sorte filiorum Dei gratulatus, in sinu gaudens, fuerat felicitatem tantam, reputans inde quanto se bono privassent, & quot quamque acerbis implicuissent malis rebelles Evangelio Iudæi; evangelicæ & verè christianæ miserationis affectu condolebat eorum errori & miseriæ; sensum caritatis eundem concipiens quem luculenter expressit S. Paulus ad Rom. IX. 2. sic scribens: *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.... Pro Fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio; & obsequium & promissa, quorum Patres & ex quibus est Christus secundùm carnem, &c.* Hæc movebant Apostolos Christi benigno spiritu instinctos ad commiserandam intimo viscerum animæ sensu cæcitatem Iudæorum, & ex eâ secutam abdicationem illius Populi tam olim Deo cari. Et talem affectum exprimit hîc unus ipsorum Ioannes. Plenæ sunt Scripturæ expressionibus misericordiæ compatientis infelicium malis. Luc. I. *per viscera misericordiæ Dei nostri.* Philipp. II. 1. *Si qua viscera miserationis.* Coloss. III. 12. *Induite vos sicut electi Dei sancti viscera misericordiæ.* Proprius est is affectus legis novæ: veteri quodammodò ignotus: unde Cantic. VIII. 8. ubi Synagoga Ecclesiæ comparata repræsentatur instar puellæ hujus germanæ, legimus: *Soror nostra parva & ubera non habet.* Beneficentiæ erga proximos per *ubera* signatæ; uti & compassionis & misericordiæ erga peccatores rara exempla in lege veteri cernuntur. Quare, ut suprà diximus, ad capitis IX. vers. 3. Iris fœderis novi, mero viridi colore, symbolo benignitatis, constat: cum similis Iris fœdus antiquum exprimens apud Ezechielem cap. I. 27. 28. tota ignea sit. En cur liber voratus Ezechieli, tantummodò in ejus ore dulcis fuerit; viscera ejus amaritie non imbuerit. Secùs quàm contigerit Ioanni: qui simili ex causâ, etiam in devoratione secundi libelli, per syllepsin cum primo conjuncti, continentis *consummationem mysterii Dei*: hoc est, finalem executionem decretorum Dei circa beatificationem Electorum, & damnationem Reproborum, expertus paria est. Hinc quidem gaudens felicitate suæ sortis omniumque Sanctorum: inde verò condolens infortunio innumerabilium Animarum incendio æterno addictarum.

Et dixit mihi:

℣. 11. Oportet te iterùm prophetare Gentibus & Populis, & Linguis, & Regibus multis.

Oſtendant, qui unicam Prophetiam uno ſimul tempore viſam & ſcriptam, libro Apocalypſis contineri aiunt, quando & ubi, poſt deportationem Ioannis in Patmon, ultimis Domitiani temporibus factam, aliam ab Apocalypſi Prophetiam ad *Gentes*, *Populos*, *Linguas & Reges multos* directam viderit aut ſcripſerit Ioannes: quod eum facturum hîc dicit Chriſtus ipſe. Nobis quidem qui putamus: varias Prophetias, diverſis temporibus de diſſimilibus argumentis, longo vitæ diuturnæ ſpatio à Ioanne viſas, & arcanò ſcriptas, unum ab eo fuiſſe in volumen ad Eccleſias Aſiæ miſſum, & palàm editum, congeſtas, apud Patmum, cum ibi exularet, expeditiſſima res eſt. Dicimus enim Prophetiam rerum Iudaicarum à cap. IV. hùc uſque ſeptem capitibus extendi: cui tanquam appendix capite ſequenti attexitur prædicatio Enochi & Eliæ, ſub finem mundi futura: deinceps verò à cap. XII. ad XX. (nam duo ultima quaſi peroratio ſunt Operis, paræneſin potius, quam Prophetiam habentia) latè recitari Prophetias, quarum hoc loco fit mentio, editarum *ad Gentes*, *Populos*, *Linguas & Reges multos*; ad totam videlicet Eccleſiam è cunctis mundi Gentibus vocatam; ſimul etiam ad Imperatores Romanos, alioſque aliarum Nationum Principes, vel Perſecutores, vel Fautores Chriſtianæ Religionis: prout ibi, Deo juvante, demonſtrabimus, ſingulis accuratè declarandis.

AD CAPUT XI.

℣. 1. Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ.

QUI *calamus ſimilis virgæ* hîc dicitur, Ezechielis XL. 3. vocatur *calamus menſuræ*. Ibi autem Angelus Ezechieli apparens poſt deſtructum à Nabuchodonoſore Templum Hieroſolymitanum, dicitur habuiſſe in manu, non tantùm *calamum menſuræ*: ſed etiam *funiculum lineum*. Ioanni verò ſolus *calamus* datur. Cujus diſcriminis myſterium inveſtigandum hîc eſt. *Calamus* inſtrumentum eſt comparatum dimetiendis Agris quos in novos Colonos dividere opus eſt. Latini veteres *perticam* & decempedàm vocabant. Eo modo metiri Victores conſueverant ſolum quod armis acquiſierant: in quod, veteribus ejectis, novos Inquilinos pro arbitrio parabant inducere. Unde Cicero in quadam Philippica queritur: Saxam neſcio quem

Marci Antonii familiarem, peritum metatorem & callidum, decempedâ suâ jam urbem Romam fuisse dimensum. Ista ergo tam apud Ezechielem, quàm apud Joannem hoc loco *calami* mentio, Hostium dominatum in terram Iudæam, & solum ac superficiem Hierosolymæ Templique destructi designat. Quia verò captivitas Babylonica certo annorum spatio definita fuerat, post quod restituendi Iudæi erant in possessionem Urbis & Regionis totius unde pulsi fuerant, in ejus rei augurium Angelus Ezechieli apparens qui perticam, sive *calamum* ferebat; *funiculum* quoque *lineum* in manibus habuit. *Funiculo* siquidem uti Hebræi solebant in partiendâ inter Fratres communi hereditate: quemadmodum intelligitur è Deuteron. xxxii. 9. Psal. xv. 6. & multis aliis Scripturæ locis. Quia ergo in æternum exilium, nunquam in integrum restituendi Iudæi per Titum exterminati sunt; nulla hic fuit facienda *funiculi* mentio: sed decempedæ, seu *calami*, solius.

Et dictum est mihi: Surge, & metire Templum Dei & altare, & adorantes in eo,

Salomonicum *Templum* unius istius vocabuli compendio multa comprehendebat: quorum hæc sunt præcipua primùm *Ædes sacra* הֵיכָל *Hecal* dicta: sancta & Sanctum Sanctorum continens. Deinde Altare Holocaustorum sub dio, & illud quadratâ formâ undique amplectens Atrium Sacerdotum & Levitarum. Tertio aliud Atrium Israëlitarum Laïcorum. Quartò Atrium Gentium. De tribus prioribus hic sermo est: jubetur enim Ioannes, superficiem soli in quâ sacra Ædes, Altare holocaustorum cum atrio Levitarum, prætereáque atrium Israëlitarum fuerat, perticâ metiri, quippe jam captivam, & in Victoris Romani jus atque arbitrium transcriptam. Igitur per *Templum Dei* propriè hîc intelligitur *Ædes sacra* uti & Luc. i. 9. illis verbis de Zachariâ: *Sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in Templum Domini.* Ara quippe incensi, quam Paulus ad Hebr. cap. ix. 4. *thuribulum* vocat, erat intrà הֵיכָל *Hecal* sacram Ædem, proximè admota velo tegenti Sanctum Sanctorum, ubi erat Arca. Nomine *Altaris* intelligitur, Altare holocaustorum cum ambiente ipsum Atrio. Nomine verò *Adorantium*, per synecdochen contenti pro continente Israëlitarum Atrium designatur.

℣. 2. Atrium autem quod est foris Templum, ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est Gentibus.

Per *Atrium quod est foris Templum*, intelligit Atrium *Gentium* dictum, quòd in extimâ Salomonicæ areæ parte, primum obvium Templum petentibus se dabat. Istud *Atrium Gentium* jam olim dicebatur, quod in id ingredi Gentilibus liceret, item ut Iudæis immunditiâ aliquâ legali prohi-

bitis ab ulteriori penetratione versùs ædem sacram. Dicebatur ergo *atrium Gentium* ab initio, non quod sub dominio Gentium esset : sed quod usui earum, voluntate Principum & Sacerdotum Judæorum, esset expositum. Deinde tamen ejecto Archelao, & Judææ Procuratori Romano Hierosolymis degenti commissâ, Præsidioque Romano Arcem Antoniam Templo vicinam, Templumque adeò ipsum, quoad fas erat Ethnicis progredi, tenente, Atrium istud, non modò usu precario, verùm etiam dominio ac supremo jure Gentium erat, nimirùm Romanorum. Quia ergo, ut superiùs dictum est, dimensio soli per Decempedam, Agri captivi victoriâ parti indicium est, & quia in similibus distributionibus soli bello acquisiti, si qua pars veteri Domino relinquebatur, ea subtrahebatur dimensioni, utpote quæ in priori conditione relinqueretur, ideò Atrium Gentium, Calamo, sive decempedæ, non subjicitur : quippe quod mutaturum Dominum non esset. Quod ergo hîc dictum est, *ejice foras*, idem est cum eo quod scriptores Latini finium regundorum vocat *extracludere*. Vide Frontinum unum ex illis, & Glossas Agrimensorias Rigaltii.

Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.

Solemni Prophetarum more Ioannes à rebus quodammodò similibus, ad similes, licet longis temporum spatiis disjunctas, momento transvolat. Cum enim desolatio Hierosolymorum & excisio Populi Iudaici per Imperatores Romanos, aliquid consummationi ultimæ rerum parallelum præferat ; eo præsertim quod sicut tunc multi Iudæorum Apostolis suadentibus Evangelio crediderant, ita illo extremo tempore apparentibus & prædicantibus Enocho & Eliâ, Iudæi qui tunc vivent convertendi ad Christum sunt ; noster hîc ad supremam Antichristi persecutionem improvisò transilit. Cujus rei augurium capi potest, vel ex illâ honorificâ nomenclatione *Civitatis sanctæ* : quâ non est credibile prophanam illam, nefariam, & Deo invisam Hierosolymam, de quâ Ioannes egit hactenus, ab eo designari : sed aliam in eodem circiter solo fundandam, indéque nomen prioris longo sæculorum tractu gesturam. Circa quod observandum est : annis omninò sexaginta quinque, post deletam à Tito Hierosolymam, ab Hadriano Imperatore Romano Anno ejus Imperii XVIII. Christi CXXXVII. ædificatam ejus jussu fuisse Urbem in solo ex parte Hierosolymæ antiquæ, licet non ejusdem magnitudinis aut formæ ; nec in iisdem planè vestigiis, quam *Æliam* ex suo ipsius prænomine appellavit ; interdicto Iudæis, sub gravissimis pœnis, non modò eam incolere, sed ne ingredi quidem ; quin nec accedere usque ad locum unde illam procul intueri possent. In eamque Romanorum Civium Coloniam deduxit, impositò ejus portæ quâ in Bethleem ibatur, sue marmoreo, cunctisque, quos à Christianis sibi exosissimis in eâ coli audierat, locis Christi rerum aliquâ memoriâ insignibus, studiosè prophanatis, per collocatas illic Iovis, Veneris, aut aliorum Deorum statuas. Hæc

prophanatio per novos Colonos Ælienſes, peculari Chriſtianæ Religionis odio, jubente Hadriano, facta, non videtur viguiſſe ultra ſpatium vitæ Hadriani ipſius, qui tertio evoluto inde anno, Chriſti quadrageſimo ſupra centeſimum, obiit; ſuccedente ipſi in Imperio Antonino Pio; à quo, cætera clemente & placabili, cum nullam legem in Chriſtianos latam, diſertè Tertullianus in Apolog. cap. v. ſcripſerit: pronum eſt cogitatu, ſub eo Chriſtianos Æliam urbem liberiùs frequentaſſe, & loca in eâ ſancta, etſi nondum penitùs amotis ex iis omnibus Idolis, quâ poterant privatâ religione veneratos. Cujus rei licet indicium capere ex eo quod, antiquiſſimus Origenes contra Celſum, longè ante purgata per Conſtantinum loca ſancta Palæſtinæ, ſcribens, ſignificat Adonidis Idolum, quod in Bethleem, ad abolendam memoriam natalis Chriſti, ab Hadriano fuiſſe poſitum Hieronymus Ep. XIII. ad Paulinum, & ipſe Paulinus Ep. II. ad Severum ſcribunt, ſuo ibi tempore non fuiſſe. Sed è contrario locum illum famâ celebrem ob Nativitatem Chriſti, ipſis etiam fuiſſe Gentilibus. Credibile igitur eſt tum Chriſtianos qui inter novos colonos Romanos Æliæ reperirentur, alioſque qui religionis cauſa eò aliunde peregrinarentur, ab anno Chriſti CXL. Antonini primo, cepiſſe liberiùs exercere religionem in ea civitate, quam & ipſi privatim, nova Æliæ appellatione neglecta, Ieruſalem nuncuparent. Prout ſuſpicari licet ex eo quod legimus apud Euſebium Eccl. Hiſt. lib. VIII. cap. XXI. vel, ut immutatum eſt in nova & optima Editione Valeſii, cap. XI. libri de Martyribus, ad calcem libri VIII. Hiſt. adjuncti. Refert enim illic Euſebius, Firmilianum ſub Diocletiano, Syriæ Præſidem, interrogato cujas eſſet? Chriſtiano quodam, ex eo audientem, civem eſſe ſe urbis Hieruſalem, *quænam illa urbs, & ubi Gentium eſſet, ſolicitè inquiſiviſſe: tormenta dehinc adhibuiſſe, ut veritatem liceret.* Quæ ſi recipiuntur, aliquatenùs licebit reperire, jam tum repræſentatum ſpatium menſium quadraginta duorum, quod hîc exprimitur: anno videlicet Chriſti CXXXVII. ad ſex menſes CXLI. quo Imperare Antoninus cepit, & ſanctæ Civitatis conculcatio quadamtenùs deſiit. Pro certo tamen habendum: haudquaquam in eo exhauriri ſignificatum hujus vaticinii. Quod ſine dubio præcipuè refertur ad illam ultimam prophanationem locorum ſacrorum Urbis ſanctæ, quæ regnante in eâ noviſſimo & omnium peſſimo Antichriſto fiet: cui à divinâ Providentiâ opponentur duo mox memorandi teſtes. Id quod ipſum nomen hoc loco poſitum adſtruit *Civitatis ſanctæ*, quod ægrè convenire Æliæ poteſt. At id ei jure aſſertum tunc videri meritò potuit, quando eam Conſtantinus Imperator novam à Fundamentis mirâ magnificentiâ erexit, & prorsùs abrogato Æliæ nomine, veterem ei Urbis ſanctæ Hieruſalem appellationem reddidit perpetuò duraturam. de quo juvat audire Euſebium, lib. III. de vitâ Conſtantini, cap. XXXIII. *In ipſo Servatoris noſtri Martyrio* (hoc eſt loco ſepulchri Chriſti) *nova fabricata eſt* (juſſu Conſtantini) *Hieruſalem, ex adverſo veteris illius celeberrimæ quæ poſt nefariam Domini cædem, ultimam vaſtitatem experta, pro Incolarum impietate pœnas perſolverat. Contrà hanc igitur Imperator*

tropæum victoria, quam Servator noster de morte retulerat, ambitioso cultu erexit. Atque hæc forsitan fuerit recens illa ac nova Hierusalem, Prophetarum vaticiniis prædicata, de quâ in sacris Voluminibus, tot præconia ab ipso divino spiritu pronunciata leguntur. Hinc singulas illius speciosissimæ ac sumptuosissimæ ædificationis partes sex capitibus, usque ad XL. Eusebius describit. Hæc nova Constantini Hierusalem, veteri Eliæ, post abrogatum hoc nomen, conjuncta, ea ipsa est quæ *sancta Civitas* hoc loco à Joanne dicitur; quæ peculiari utique Dei providentia, liberum semper Christianæ Religionis exercitium sub infidelibus etiam Principibus, in hodiernum usque diem tenuit: Barbaris licet, & nomini alioqui Christiano infensissimis Gentibus, ejus plerumque soli Dominis, id permittentibus, neque ullum ferè inde tempus fuit, quo non Urbs eadem, omnium undique in cunctis terris Christianorum religionis peregrinationibus frequentarentur. Qui usus etiam ante Constantinum inchoatus, maximè invaluit, ex quo data per istum Imperatorem Ecclesiæ pace, munificentiâ, ut dixi, ejusdem Augusti, & Matris ejus Helenæ, loca illa in quibus aliquid memorabile Christus olim gesserat, aut passus erat, exornata sunt Templis magnificentissimè structis & & instructis. Nec verò destructores Romani Orientalis Imperii Saraceni ac Turci, quamquam hostes immanissimi Religionis nostræ, captâ sæpiùs, & possessâ jam longo ex tempore eadem Urbe, cogitaverunt, aut conati umquam sunt Christianos ritus in ea prohibere: quin eos potiùs, quæstûs cujusdam proprii causa, studiosè retineri ac celebrati cupiunt ac curant; non dubio, ut dixi, Dei ductu ita flectentis immanes animos, ad Filii sui gloriam, & Ecclesiæ solatium non parvum. Durabitque, ut hoc loco, & aliis quibusdam indicatur, hæc sanctitas Urbis Hierosolymæ usque ad Imperium cujusdam potentissimi & impiissimi Principis, latissimè sub Mundi finem regnaturi, qui, ut fidem faciat Judæis, se verum esse Messiam in lege ipsorum promissum, quem miseri etiam tunc expectabunt, Hierosolymam se conferet, ex eâque Christi omnem memoriam, quoad poterit, eradet. Erit iste Gentilis moribus; & fortasse genere. Quamvis enim multi Patres à Malvenda recitati, lib. III. de Antichristo cap. VI. affirment hunc ex Tribu Dan nasciturum: tamen, ut idem quoque Autor capite sequenti refert, plurimi scriptores Catholici, valde alioqui graves & prudentes; nimirum D. Thomas in cap. XLIX. Gen. Tostatus, Cajetanus, Mercerus, Oleaster, Bellarminus, Suarez, Pererius, Ribera, Serarius, & alii, id pertinere ad fidem negant: imo quidam ex ipsis, non multùm verisimile putant. Quod igitur hîc *calcanda sancta Civitas à Gentibus* dicitur, intelligi debet, ab Antichristo, vel ipso Gentili, vel ab ejus exercitu ac comitatu magnam partem è Gentilibus conflato, prophananda; exterminatis ex ea Christianis ritibus, & Templis atque aris eversis. Cujus quidem Persecutionis spatium hîc definitur mensibus quadraginta duobus, qui exactè tres annos cum dimidio efficiunt. nempe *tempus & tempora & dimidium temporis*, ut Daniel habet cap. VII. 25.

agens de desolatione urbi Hierosolymæ per Antiochum Epiphanen illata: quæ figura fuit alterius hujus multò atrocioris per Antichristum inferendæ.

℣. 3. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt.

Hoc est, dabo ut prophetent, hebraicâ phrasi. Sed hîc præcipua quæstio est quinam sint hi *duo testes* non nominati? Non puto sine quadam temeritate negari posse, quin hoc loco designentur Enoch & Elias; ita namque miro consensu docent, Hippolytus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, Ephræm Syrus, Cæsarius Gregorii Nazianzeni frater, Prosper, Gregorius Magnus, Primasius, Isidorus, Beda, Andreas Cæsariensis, Ioannes Damascenus, Aretas, & alii plerique omnes Veteres ætatum omnium; assentientibus penè cunctis Catholicis Scriptoribus hujus & superioris sæculi, qui de his egerunt. Vide Malvendam lib. x. de Antichr. cap. xiv. Sanè non est de nihilo factum, quod hi soli (quantum ex Scripturis constet canonicis) transferrentur ante mortem in locum secretum: non utique exempti à lege omnibus Adami posteris latâ moriendi, cujus nec Christo, nec Deiparæ gratia facta est: sed obitu horum in tempus aliud dilato, nempe istud ultimum longè omnium acerbissimum, quo *inducendi in errorem viderentur, si fieri potest, etiam electi*, ut Christus loquitur Matt. xxiv. 24. nisi malo inusitato mirum remedium præstò afforet, Prædicatio, videlicet, Miracula, exempla constantiæ & patientiæ *in nece crudeli* perferenda; postremo manifesta & cunctis conspicua post triduum resurrectio, Enochi & Eliæ. de quorum priori hæc leguntur Gen. v. 2. *Et facti sunt: omnes dies Enoch anni trecenti sexaginta quinque, ambulavitque cum Deo, & non apparuit. quia tulit eum Dominus.* Addit de eodem Autor Ecclesiastici Cap. xliv. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det Gentibus pœnitentiam.* De Elia, Lib. iv. Reg. Cap. II. 11. habetur: *Ascendit Elias per turbinem in cœlum*, curru igneo & equis igneis elatus, unde Ecclesiasticus Cap. xlviii. 9, *qui* (Eliam alloquitur) *receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum, qui inscriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad Filium, & restituere Tribus Jacob.* Malach. iv. 5. sic Deus loquitur: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. & convertet cor patrum ad filios. & cor filiorum ad Patres eorum: ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Denique Christus Mat. xvii. 11. *Elias venturus est & restituet omnia.*

Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

Est hoc spatium Prophetiæ, sive prædicationis Enochi, & Eliæ, septemdecim

decim diebus breviùs eo cujus paulò ante mentio facta est, quo per Antichristum exercenda *sanctæ Civitatis conculcatio* finienda est; *mensium* nempe *quadraginta duorum*. hoc est, trium annorum cum dimidio, ex quo intelligitur: apparituros Hierosolymis sanctos hos duos ipso initio Persecutionis Christianorum in eâ urbe exercendæ per ibi dominantem ingenti potentiâ novissimum Antichristum: ac per tres quidem annos & menses quinque cum diebus aliquot sexti, divinâ vi protegendos à furore Persecutorum: tandem tamen, Deo id ad suam & ipsorum gloriam permittente, consummandos nobilissimo martyrio. Tres anni cum dimidio faciunt dies mille ducentos septuaginta septem, prætereáque dimidium diei unius. Ex ea summâ si tollantur dies mille ducenti sexaginta, supererunt omnino dies septemdecim integri cum dimidio decimi octavi: tertio decimo igitur vel quarto decimo die mensis sexti currentis in inchoato anno quarto conculcationis sanctæ Civitatis per Antichristum, occidentur ab eo Enochus & Elias: sed post triduum resurgent, & post tredecim inde dies ipse interficietur Antichristus & Urbis sanctæ conculcatio cessabit.

℣. 4. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.

Sumptum ex Zachariæ IV. 3. nisi quod, unum ibi candelabrum: hîc duo; agebatur enim illic de Synagogæ solius restitutione in integrum. Candelabrum, ut capite hujus libri primo vidimus, Ecclesiam significat. Ecclesia porrò universa ab sui principio bifariàm divisa est, in Circumcisionem & Præputium; hoc est, eos qui ex Iudæis, quique ex Gentibus crediderant. Duo igitur candelabra duplicem hîc Ecclesiam signant, salvâ unitate capitis & corporis, in membra duo primaria dispertitam: distinctione illis ultimis mundi temporibus vel maximè insigni ac conspicua futurâ. Nam Elias, ut de eo prædictum est Malach. IV. 5. *Convertet cor Patrum in filios, & cor Filiorum ad Patres.* & Eccli. XLVIII. 10. *Conciliabit cor Patris in filium & restituet tribus Jacob.* Ad quod alludit idem comprobans Luc. I. 17. Angelus dum Zachariæ prænunciat, nasciturum ex ipso Ioannem Baptistam qui præcessurus sit ante Christum in spiritu & virtute Eliæ, *ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam Iustorum.* Apostoli, Israëlitæ omnes, filii fuerunt Iudæorum; de iis enim scriptum omnes intelligunt illud Psalmi XLIV. 17. ad Synagogam *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram.* Patres à filiis dissidentes fuerunt Judæi rebelles luci Evangelicæ, & Apostolis Christi credere recusantes. Istos Patres ad filios convertere, & hos vicissim filios conciliare Patribus, & sic restituere Tribus Iacob in unam verorum Israëlitarum Gentem, uniendo universos in unam Christi veri Messiæ agnitionem & fidem, propria erit Provincia prædicantis in fine sæculorum Eliæ. Enochus autem simili officio fungetur ergà Incircumcisos,

ad hoc idoneus, quia incircumcisus ipse; juxta paulò ante recitatum testimonium Iesu Sirach in lib. Eccl. XLIV. 16. *Translatus est ut det Gentibus pœnitentiam* : idque faciet magno successu, plurimis Gentilibus & Idololatris convertendis ad Christum & Ecclesiæ aggregandis : ita ut horum duorum operâ duæ tunc sint futuræ Hierosolymis Ecclesiæ pro tempore florentes : quarum Antistites & Magistri duo hi erunt, ut olim Petrus & Paulus Præputium & Circumcisionem inter se partiti erant. ad Galat. II. 7. quos prætereà *olivarum duarum* nomine apud Zachariam designari Hesychius Græcus Pater, suis ad eum locum scholiis, quæ habeo adhuc inedita, affirmat. Enoch ergo & Elias, quia, sicut Petrus & Paulus, in illo ultimo durissimo tempore duas partes primarias unius universalis Ecclesiæ singillatim excolendo, insigniter propagabunt, & promovebunt Christi regnum, hîc vocantur *duo candelabra & duæ olivæ*. Oleo lucent lampades in Lychnuchis, quæ hîc *candelabra* vocantur, ardentes. Interest autem utrùm lychnis, sive lucernis, instilletur oleum flammæ alimentum ex vase mortuo, an ex vivâ olivâ. Ambo isti Sancti fontem vivum divini habitantis in ipsis Spiritûs intrà se habentes, inde proment, ut vivæ olivæ, liquorem sacrum quem effundent prædicando, adhortando, signa faciendo; & sic lucem latè conspicuam spargendo, in profectum magnum duarum Ecclesiarum, ex Iudæis & ex Gentibus conversis conflatarum. Ideo *duæ olivæ*, & *duo* simul iidem *candelabra* hîc dicuntur. Synagoga unum initio candelabrum uni Populo Israëlitico lucens, aliis occultans lucem suam; unum conventum legitimum, unum Tabernaculum, & posteà Templum, unum Sacrificiorum altare habuit. Contrà Ecclesia duo habet candelabra; quia Christus lapis angularis ex duobus Populis fecit unum. In hujus rei figuram cum Moyses unicum in Tabernaculo candelabrum aureum feciſſet, Salomon, Christi typus, decem similiter aurea in Templo suo fecit. Vide Exod. XXV. 31. & II. Paralip. IV. 7.

℣. 5. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum : & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.

Quæ deinceps sequuntur usque ad vers. 15. interpretatione non egent : cum ad litteram prout sonant sint intelligenda, ita ut sit hæc Prophetia clarissima, & historicè sine ullis ambagibus exposita. Nimirum aliæ Prophetiæ florente mundo & Ecclesiâ implendæ, umbris ænigmaticis involvendæ fuere, ut fidei suum constaret meritum; at hoc in istâ conveniens haud fuit. Quoniam ejus eventus in tempora illa incidet, quo dissipatis sacris cœtibus, jugi sacrificio cessante, successione Pastorum interrupta, libris Canonicis abolitis, satis aliunde tenebrarum in doctrinam Christianam incumbet; & oppressi vehementissimo malo Fideles isto tam disertæ Prophetiæ ex tanto tempore perscriptæ, ac videlicet tunc quoque peculiari

providentiâ clàm ſervandæ, & multis oſtendendæ, ſolatio multùm indigebunt.

℣. 6. Hi habent poteſtatem claudendi cœlum ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ, quotieſcumque voluerint.

Propter eandem cauſam confirmandi Fideles in conſtantiâ ſub ictu tam horrendæ tentationis, dono ampliſſimo mirabilium & terribilium patrandorum ad compeſcendos impios perſecutores, inſtructi tunc erunt Enoch & Elias; quanto & Elias cum primò vixit, & ante illum Moyſes in Ægypto, & deſerto, prædíti fuere. Non enim minùs crudeles, iniqui, ac malo digni erunt Antichriſtus, & qui ei adhærebunt, Principes ac Populi, quàm fuerint olim vel Pharao cum Ægyptiis ac Magis, vel Achab & Jeſabel cum ſacrificulis Baal.

℣. 7. Et cum finierint Teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet adversùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

Antichriſtus, homo dæmone inſtinctus, conſilioque & auxilio diabolorum omnium cuncta cogitans, loquens, & faciens, hîc vocatur *beſtia quæ aſcendit de abyſſo*, ſicut ſuprà cap. IX. 3. *de puteo abyſſi*, hoc eſt, ut ibi expoſuimus, profundiſſimo Tartaro, unde Zelotæ ac Sicarii ſimiléſque peſtes nihilò Antichriſto minùs tetræ, formâ *locuſtarum* dicuntur *exiſſe*.

℣. 8. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.

Satis patet his verbis deſignari Hieroſolymam; quam urbem Antichriſtus ad fucum mundo faciendum, & Prophetarum antiqua oracula ſibi plauſibilius adaptanda, magnificè reædificatam, in ſedem Imperii ſui deliget. Ea comparatur hîc Ægypto & Sodomæ: non modò ratione improbitatis ſuorum, qui tunc erunt, civium: verum etiam augurio quodam impendentis ei ſupplicii: incendii videlicet ultimi, quo illa urbs & totus ſimul orbis conflagrabit, ut Ægyptus mari rubro eſt obruta: & Sodoma imbre ſulphureo ac flammeo conſumpta.

℣. 9. Et videbunt, de Tribubus, & Populis, & linguis & Gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium; & corpora eorum non ſinent poni in monumentis.

℣. 10. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos & jucundabuntur : & munera mittent invicem : quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos qui habitabant super terram.

℣. 11. Et post dies tres & dimidium spiritus vitæ à Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos : & timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos.

℣. 12. Et audierunt vocem magnam de Cœlo dicentem eis : Ascendite hùc, & ascenderunt in Cœlum in nube : & viderunt illos inimici eorum.

Injuriam scriptori & lectori horum faceret, qui ea tam clara interpretari conaretur.

℣. 13. Et in illâ horâ factus est terræ motus magnus, & decima pars civitatis cecidit, & occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia, & reliqui in timorem sunt missi; & dederunt gloriam Deo cœli.

Terræ motus iste quo postratâ parte decimâ Ædificiorum urbis Hierosolymæ, homines septies mille (nam *nomina hominum* nihil hîc aliud quam *homines* sunt. Vide dicta ad v. 4. capitis III.) reliqui omnes *timore* perculsi salutari, *dederunt gloriam Deo*, hoc est, conversi ad Christum sunt: videtur mihi esse momentum illud tam sæpe in scripturis & propheticis & Apostolicis prædictum, quo universa Judæorum natio tandem Jesum pro vero Messia & Christo promisso agnoscens, in fine sæculorum Christiana facta salva fiet. Atque adeò arbitror: hanc ipsam decimæ Hiesolymorum partis ruinam ab Isaïâ indicatam verbis illis cap. VI. 13. *Et adhuc in ea decimatio, & convertetur.* Agere quidem ibi Prophetam de finali conversione Judæorum in consummatione sæculi: clarè docet S. Cyrillus Catenâ Græcâ ad eum locum sic scribens: διερωτῶντος γὰρ προφήτου καὶ ἀναμαθεῖν ἐθέλοντος εἰς πόσα καὶ πόσον ἐκταθήσεται καιρὸν ἡ πάρωσις; ἀποκρίνεται ὁ θεὸς ἕως ἂν ἐρημωθῶσι, πόλεις καὶ τὰ ἐξῆς ἵνα διὰ τούτων γνῶμεν τὸν τῆς συντελείας καιρόν. δεῖ γὰρ πρότερον ὑμᾶς πολέμους ἀκοῦσαι καὶ ἀκοὰς πολέμων, ἐρημωθῆναι δὲ πόλεις καὶ οἴκους, εἰθ' οὕτω τὸ τέλος. μόνοι μακρύνονται λοιπὸν οἱ ἄνθρωποι μετὰ τὸν τῆς ἀνασάσεως δηλονότι καιρὸν, τὸν εὐαγῆ καὶ μακρὸν διαζῶντες βίον, ἀνηρημένης εἰς ἅπαν τῆς φθορᾶς, καὶ καταργημένου τοῦ θανάτου, καὶ πάσης ἁμαρτίας ἐξηρημένης. Hoc est: *Interrogante enim Prophetâ, & discere volente: in quod & quantum hæc extendenda essent tempus? Respondet Deus*: donec deso-

lentur civitates &c, *ut per hæc cognoscamus tempus indicari consummationis sæculi, ante quod nimirum* Christus discipulis ait: audituri estis prælia & opiniones prœliorum. *Per quæ desolabuntur urbes & domus. Post quæ* prolongantur deinde homines *sanctam & longam simul agentes vitam, sublatâ in perpetuum corruptione, destructâ morte & omni peccato abolito.* Hæc illic Cyrillus qui paulò ante ibidem dixerat in istud ipsum consummati sæculi proximum momentum conditam universalem conversionem Judæorum omnium ad Christum; diversam ab eâ quæ contigit prædicato post Christi resurrectionem in Judæâ per Apostolos Evangelio. Nam hæc paucorum tantummodò fuit, cum illa generalis universorum sit futura. οἱ δὲ δὴ καταλειφθέντες (verba sunt Cyrilli) τοῦτοίν εἰσι περισωσμένοι καὶ πιστευκότες εἰς χριστὸν, οἱ καὶ εἰσι τὸ κατάλειμμα τῶ Ἰσραὴλ, ἐν πολλῇ φησὶν ἔσονται πληθύι. *Delecti: hoc est, salvi facti eo quod crediderunt in Christum; qui sunt*, reliquiæ Israël, *in magnâ, inquit, erunt multitudine.* Nimirum omnes plane qui ruinis terræ motûs decimam urbis Hierosolymæ partem eversuri, superfuerint. De his enim cunctis hîc Joannes dicit, eos salutari terrore perculsos *daturos gloriam Deo*, perfectâ scilicet sui conversione ad Christum. Quare arbitror ambos Prophetas Isaïam & Ioannem in eundem simul scopum intendisse, dum hic eversionem decimæ partis Hierosolymæ hoc loco enunciat: ille futuram in eâ, hoc est Gente Iudaicâ, congregatâ tunc Hierosolymis, decimationem, tantò ante prænunciat. Nec vacat, quod numerum eorum qui impœnitentes sub ruinis terræmotus perierunt definit *septem millibus.* Videri enim potest per id antithesis quæsita illius ultimi eventus, cum statu Israëlitarum per Iesabelem idololatriâ Baalis infectorum, quando vivebat in terris Elias. Tunc enim in generali depravatione illius populi, ait Deus III. Reg. XIX. 18. *Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum osculans.* Ut par omnino fuerit numerus perseverantium in verâ fide Israëlitarum tempore primæ prædicationis Eliæ, & finaliter obstinatorum in perfidiâ, tempore secundæ.

℣. 14. Væ secundum abiit, & ecce væ tertium veniet citò.

Ex tribus væ per Aquilam denunciatis supra cap. VIII. 13. primum significabat calamitates bello Romano Judæis importatas extrà Hierusalem. Secundum Clades urbis Hierosolymæ, & nationis Judæorum universæ, quas passura ubique Gentium omnibus deinceps sæculis erat, usque ad universalem ejus conversionem ad Christum, quæ post terræ motum, decimam Hierosolymæ partem eversurum, continget. De quâ cum jam actum, sit rectè hîc dicitur: *væ secundum abiit.* Tertium porro væ, quod solum supereſt, spectat conflagrationem mundi & statim post eam secuturum judicium universale, quo damnati in animâ simul & corpore æternùm cruciandi in Tartarum trudentur.

℣. 15. Et septimus Angelus tubâ cecinit: & factæ sunt voces magnæ in Cœlo dicentes: Factum est Regnum hujus mundi, Domini nostri & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum. Amen.

Pro illis verbis: *Factum est regnum hujus mundi*, &c. in Græcis originibus legitur ἐγένοντο βασιλεῖαι τοῦ κόσμου hoc est: *Facta sunt regna mundi*, &c. diversitate non, opinor, negligendâ. ostendit enim vocem *Regnum* quæ hîc in vulgatâ legitur; sumi collectivè pro complexu Regnorum omnium quæ in terris fuere, tunc omnibus hominibus extinctis, redactorum in unum Dei unius Imperium & filii ejus, ac heredis universalis Christi. Qui cum semper de jure fuerit Rex Regum, Dominus Dominantium, & Princeps Principum universorum, de facto tamen quamdiù vixerunt in terrâ homines, volens toleravit rebellionem multorum ex iis non obedientium nutibus ejus, quin & leges & præcepta ipsius protervè violantium. Perseverabit hæc licentia usque ad tubicinium septimi Angeli: quo momento consumptis jam finali incendio cunctis viventibus, indicetur omnibus qui umquam fuerunt resurrectio generalis, salvo bonorum reorumque ingenti discrimine. Incipiet autem Christus exercere istud jam plenum & absolutum regnum, sententiâ damnationis in reprobos, remunerationis in electos, post causas singulorum exactissimè cognitas, pronunciandâ, & statim executioni mandandâ. post quod tranquillè jam & sine interpellatione ullâ in omnem æternitatem regnare perget, ut hic dicitur.

℣. 16. Et viginti quatuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes.

℣. 17. Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens qui es, & qui eras & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam & regnasti.

Hæc tam clara interpretari velle, esset, quod ajunt, incrustare vas sincerum, & soli meridiano facem accendere. Nemo non videt quàm opportuna occurrat hùc Procerum Aulæ cœlestis, quorum motum nutumque Beati reliqui continuò sequuntur omnes, Gratulatio ad Christum, in istis auspiciis triumphalis gaudii, cujus semper vigens numquam interrumpenda delectatio inoffensè processura in æternitatem sæculorum sit. Non omittenda hic comparatio hujus loci ubi fit diserta mentio nominis Dei tetragrammati cum alio in fronte hujus libri posito cap. 1. 4. Joannes dicit: *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt: & à Jesu Christo qui*

est testis fidelis, &c. Nomen illud יהוה הוה sive יהוה הוה *Iihieh, Hoiieh, ve, Hajah erit est & fuit* significat, *ens à se* ut Scholæ loquuntur, principio carens, indeque necessariò semper futurum qui proprius est character divinitatis, intrinseca ejus distinctivaque à quovis non Deo, notio. ab eo unico bonorum omnium fonte optat Joannes gratiam & pacem iis ad quos scribit. Addit: *Et à septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.* Hos septem spiritus non esse posse quidquam creatum ex eo intelligitur quod dignatione adæquantur & prius nominato *qui est erit & fuit*, & mox memorando Jesu Christo, Deo & ipsi. Unde illic dixi: per hos indicari Spiritum Sanctum, & accommodari ei solitos, etsi communes trium Personarum revera sint, septem Actus, sive partes Providentiæ mundum gubernantis. Denique adjungitur: *& à Jesu Christo*: quasi is distingueretur ab *eo qui est*, & *à septem spiritibus*, uti diximus intellectis; cum quibus tamen, nempe cum Patre & Spiritu Sancto, verissimè conveniebat identitate naturæ divinæ, salvâ distinctione personæ, prætereáque ab iis discernebatur, Assumptione naturæ humanitatis sibi agglutinatæ per ἕνωσιν ὑποστατικὴν, *unitionem*, seu, ut Scholæ vulgo loquuntur, *unionem personalem.* Sed hæc identitas in naturâ, Christi Incarnati Verbi cum Patre & Spiritu Sancto, tunc de industriâ dissimulabatur, propter occultam emphasim statûs rerum ac temporis consummationem sæculi & judicium finale præcessuri, quo toto spatio, Christus, licet verè Deus, non erat tamen ab omnibus pro tali agnoscendus: semper futuris in mundo, quamdiù mortales in eo homines vivent, nonnullis qui Christo divinitatis controversiam movebunt. Et est quidem ille jam tum *dignus accipere divinitatem* ut ei acclamatur cap. v. 12. libri hujus. Perfectè tamen illam, in plenâ creatarum omnium mentium persuasione, non accipiet ante judicium finale. Igitur Ioannes uti, etsi visus fuerat cap. 1. 4. distinguere septem spiritus à Christo: postea tamen cap. v. 6. eos illi tribuit: dum scribit se vidisse *Agnum stantem tamquam occisum habentem cornua septem & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram.* Sic & hoc demum loco tetragrammaton nomen Dei essentiam signans manifestè Christo attribuit, dum viginti quatuor seniores his eum verbis compellantes inducit; *Domine Deus omnipotens qui es & qui eras & qui venturus es*, quia eo primum quo exercuit Christus judicium universale (de quo hic agitur) certissimè ac palàm ab omnibus omninò creatis mentibus Angelorum & Hominum, bonorum æquè ac malorum agnitus est pro vero, qualis erat, naturali & consubstantiali Dei filio.

℣. 18. Et iratæ sunt Gentes, & advenit ira tua.

Hæc videntur exprimere antithesim inter grassationes injustas & violentas Persecutorum qui Christum & sanctos variis locis & temporibus toto durationis Mundi spatio, iræ impiæ indulgentes, pessimè tractarunt: & severita-

tem Christi supremi Judicis æquissimam quæ nunc vice suâ justas eis rependit pœnas. Quamquam & hæc *iræ Gentium* hoc loco facta mentio, cum conjunctione mox sequentium verborum non inverisimiliter referri potest ad expressionem furoris, rabiei, intemperiarum stygiarum cum quibus Reprobi vitæ restituti sine immutatione in meliùs; imo cum auctario ignominiæ ac dolorum, audient fulminatam è Christi ore sententiam horribilem: *Ite maledicti in ignem æternum*, & ejus mox secuturam executionem in tartarum detrusi patientur: tales enim desperatorum questus, cum blasphemis in Deum exosissimum ipsis, quamvis justissimum, ultorem maledictis, non minus aptè *iræ* vocabulo signata, hoc loco videri possunt, quam in illo Virgilii Æneid. VII. similes eruptiones furentium belluarum quas Circe mutatas ex hominibus diro carcere premebat:

Hinc exaudiri gemitus, iræque ferarum
Vincla recusantum, & serâ sub nocte rudentum:
Quos hominum ex facie Dea sæva, &c.

Et tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem servis tuis Prophetis & sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis & magnis: & exterminandi eos qui corruperunt terram.

Manifestam hic vides descriptionem judicii finalis, in quâ observo; in antithesi duarum Classium adæquate tunc divisurarum omne genus humanum, alteram sequiorem quæ Reproborum, est vocabulo *Mortuorum* designari; quod & alibi notavimus à Joanne factum: unde indicium capere possumus ad opinandum illa & Pauli Apostoli de Christo verba: *Qui judicaturus est vivos & mortuos* II. Tim. IV. 1. quæ etiam in Symbolo Apostolico leguntur, per *mortuos* designare solos damnatos; atque adeò *mortem* de quâ hic agitur esse *mortem secundam*, infra cap. XX. 14. memoratam. Per *vivos* autem justos omnes.

℣. 19. Et apertum est Templum Dei in Cœlo: visa est Arca Testamenti ejus in Templo ejus.

Agitur hîc sine dubio de Cœlo Empyreo, Paradiso, loco ac sede Felicitatis æternæ, quam S. Joannes infra cap. XXI. à v. 10. copiosè describens vocat *Civitatem sanctam Hierusalem*. S. vero Paulus ad Hebr. XII. 22. *civitatem Dei viventis Hierusalem cœlestem*. de hac Joannes modò laudato loco ait v. 22. *Templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens Templum illius est, & Agnus.* Quorsum igitur hîc scribit: *apertum fuisse Templum Dei in cœlo?* nempe, *Templum Dei*, sic accipiendum comparatio duorum locorum innuit, quasi diceret *Templum Deum*, aut *Templum*

quod

quod Deus ipse est, quæ significant : aperiendam tunc intuitivæ visioni omnium beatarum mentium lumine gloriæ corroboratarum ad aspectum invisibilis aliter objecti, naturam divinam cum Personis tribus, & attributis ejus omnibus. Hæc erit animarum felicitas. quia vero tunc primùm electi omnes vitæ redditi cum suis corporibus aderunt : quorum oculis etiam carneis spectaculum præberi beatificum oportet ; erit id Christi humanitas glorioſa, quod exprimens Joannes illo cap. XXI. 22. Templum civitatis sanctæ ait esse *Agnum*, hoc est, Christum. hoc vero quem tractamus loco eumdem indicat Symbolo *Arcæ testamenti* quæ fuit excellens & omnium luculentissima figura humanæ Christi naturæ ac sensibilis corporis, in quo, ut Paulus loquitur ad Colosſ. II. 9. *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* : quo in loco adverbium σωματικῶς *corporaliter*, videtur sumi pro *sensibiliter*. Nam divinitas in Christo à primo conceptionis momento semper fuit ; sed non apparuit manifestè semper omnibus : quibusdam tantùm signis peculiaribus declarata, Joanni Baptistæ in baptismo per Columbæ apparitionem & vocem de Cœlo ; Tribus Apostolis in monte Thabor per transfigurationem ; omnibus Apostolis & Discipulis per apparitiones post resurrectionem ; & ascensum in Cœlum. Verum cunctis planè hominibus bonis & malis non manifestabitur nisi in judicio universali : & post illud luculentiùs electis æternâ felicitate, non in animâ solum, sed & in copore, fruentibus in cœlo, de quo momento hîc agit Joannes, dicens videndam *Arcam Testamenti*, in *Templo Dei* hoc est in Deo ipso, qui Templum sanctæ civitatis est, ut ex ipso alibi Joanne vidimus. quare hoc loco *Arca Testamenti* vocatur humanitas verbo personaliter unita, prædita exteriori gloria, quæ idipsum manifestissimè demonstraret. Neque singularis hic Joannis loquendi modus est. Nam ex aliis quoque scripturarum Canonicarum locis ipsa ista Arcæ testamenti, acceptio pro Christi corpore veritatem unitæ sibi divinitatis sensibiliter monstrante comprobatur. Cantici canticorum cap. III. v. 7. & 8. legitur : *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, tenentes gladios & ad bella doctissimi. uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Salomon ibi sine dubio Christus est. Et illa *lecluli* & *terrorum nocturnorum* mentio, vitam ejus mortalem indicat, in quo Christus statu aptissimè illic comparatur Tabernaculo jussu Dei per Moysen in deserto erecto, quod circumferebatur ex loco in locum ab Israëlitis lento annorum quadraginta itinere in terram promissam tendentibus. Circa illud ubi sedem ad stationem, columnæ viæ ducis indicio, ceperat, castra metabantur sexcenta Israëlitarum armis ferendis aptorum millia ; (tot enim ex Ægypto prodierunt Exod. XII. 37.) divisa in Myriades, hoc est, legiones decem millibus constantes, ut docent Josephus Originum lib. III. cap. III. his legionibus singuli duces præerant : qui consequenter universi sexaginta censebantur. Nam totidem myriades explent summam sexcentorum millium. Hi Tribuni sexaginta legionum in eo Canticorum loco fortes è fortissimis Israël vocantur, ut di-

ſertè duo ejus libri commentatores Hebræi docent, Rabbi Salomon Iarchi, & Abenezra ſic ſcribentes : *Sexaginta fortes ſunt in circuitu ejus* (Tabernaculi) *ſexaginta myriades circa ipſum.* Ex quibus intelligitur, illo Cantici Canticorum loco, agi de Chriſto mortalem in terris degente vitam, ſed deſignato per Symbolum *Tabernaculi fœderis.* Verſu porrò ejuſdem capitis nono ubi ſcribitur : *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon ex lignis libani :* & 10. ſequente : *Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media caritate conſtravit &c.* Deſcribi *Arcam fœderis*, eruditiſſimè demonſtrat Magiſter meus Beſſonus, ſuis ad eum locum lucubrationibus : ex profeſſo & luculenter oſtendens : *ut Tabernaculum, Chriſti viatoris : ſic Arcam, Chriſti comprehenſoris, typum fuiſſe.*

Confirmatur idem ex comparatione duorum Jeremiæ Prophetæ dictorum, quorum aliud in ejus Prophetiâ legitur ; alterum ei tribuitur in libro II. Maccab. & ſunt ejuſmodi ut ſe mutuò collidere videantur, neç poſſint in concordiam redigi, niſi in altero intelligatur nomine *Arcæ Teſtamenti*, Chriſti humanitas glorificata. Scriptor ſine dubio ſacer & Canonicus lib. II. Maccabæorum, poſtquam cap. II. retulit, ex *deſcriptionibus Jeremiæ Prophetæ* (qui liber tunc extabat, nunc periit) Sanctum illum Prophetam *divino reſponſo ad ſe facto*, quando, captâ Hieroſolymâ à Chaldæis, Templum deſtructum eſt, *Tabernaculum & Arcam* deportaſſe in *montem in quo Moyſes aſcendit & vidit Dei hereditatem* (qui mons Deut. XXXIV. vocatur Mons Nebo, & ejus vertex Phaſga, oppoſitus urbi Jericho, de campeſtribus Moab) ibique invento ſpeluncæ loco utrumque recondidiſſe, oſtio diligenter obſtructo. Addit eumdem, cum cognoviſſet quoſdam è ſuis comitibus, clàm ipſo, re jam factâ acceſſiſſe, *ut notarent ſibi locum oſtii* cavernæ, quem reperire nequiverunt, culpando illos dixiſſe : *Quod ignotus erit locus donec congreget Deus congregationem Populi ; & propitius fiat : & tunc Dominus oſtendet hæc* (nempe Tabernaculum & Arcam) *& apparebit majeſtas Domini.* Hæc ibi. Ex his quis non expectaret, producenda iterùm ex illis latebris, & Tabernaculum & Arcam, quæ in illâ cavernâ Montis Nebo, Dei juſſu, ſub tali promiſſione, abſcondita fuerant ? Ac maturitatem divini ejuſmodi promiſſi implendi, nondum adveniſſe cum hæc à ſcriptore libri II. Maccab. referebantur, ipſe ſatis innuit, dum relatâ capite priori, extractione ignis ſacri in aquam craſſam converſi, ex puteo ubi eum Sacerdotes abſconderant, cum in *Perſidem* (hoc eſt Babyloniam tunc Nabuchodonoſori Chaldæo Imperatori regnatam, deinde à Cyro captam Perſarum Rege, atque in Metropolin Regni Perſici mutatam) ducerentur Judæi ; à Nehemiâ factâ, quando is ab Artaxerxe longimano : ſexto poſt Cyrum Perſidis Rege, remiſſus in Judæam eſt ; nihil tale de Tabernaculi & Arcæ eductione è ſpeluncâ Montis Nebo uſquam memorat : quod ſine dubio feciſſet ſi ea contigiſſet ante id de quo ſcribebat, tempus. Ejus autem Hiſtoria incipit (ut Petavius demonſtrat lib. X. cap. XLIII. de Doctr. Temp.) ab anno Periodi Julianæ 4408. ante

Christum 312. cum reditus Judæorum è Babylonicâ in Patriam beneficio Cyri, contigisset anno periodi Julianæ 4136. ante Christum 538. intervallum utriusque Epochæ annorum est 226. quo toto spatio eductio Tabernaculi & Arcæ ex autro Montis Nebo à Jeremiâ prædicta nondum evenerat. Quænam ergo illa est *Congregatio Populi à Deo propitio congreganda*, cujus ibi Propheta meminit ? Non alia profectò quàm Ecclesiæ Christianæ institutio, quam Christus inchoavit in suâ Conceptione, promovit, Nativitate, Circumcisione, ac reliquis mysteriis vitæ suæ; præsertim vero baptismo : & hunc secutâ prædicatione trienni, passione & morte : usque ad quam Corpus Christi mortale, quod per Tabernaculum figurabatur, in terris visum est, sed videri tum desiit. Nam Corpus Christi glorioſum, quale post resurrectionem fuit, non jam per *Tabernaculum*; sed per *Arcam Testamenti* figurabatur : unde in momento mortis Christi *velum Templi scissum* fuisse *in duas partes à summo usque deorsum*, Matth. cap. xxvii. 51. & Marcus c. xv. 38. prodidere. Erat id velum oppansum Sancto Sanctorum intra הֵיכָל *hecal*, sive Ædem sacram : qui fuerat locus Arcæ in priori Salomonis Templo : pro quâ in secundo, Arcâ verâ carente, simulacrum quoddam ejus fuerat positum, eâdem, quâ olim Arca vera, ceremoniâ servatum. Scindi hoc velum in fine Christi vitæ mortalis, & in auspiciis glorioſæ ac impassibilis, significabat : veram deinceps Arcam fœderis in Glorioſo Christi corpore ostendendam; primùm quidem paucis Apostolis & Discipulis, quibus Christus per dies quadraginta, quot ab ejus resurrectione ad ascensum in Cœlum fluxerunt, se videndum præbuit: deinde vero in die judicii cunctis æquè hominibus electis simul & reprobis, & postea in æternùm solis in Cœlo Beatis ostendetur, prout hîc Joannes dicit, Corpus Christi glorificatum *Arcam Testamenti* appellans. In quo illi Jeremiam loco modò allato ex ejus descriptionibus præiviſſe, nunc demonstrandum est, collatione loci alterius ex ejus Prophetiâ, quæ extat, descripti. Capite ibi iii. 16. sic loquitur : *Cumque multiplicati fueritis & creveritis in terrâ in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultrà : Arca Testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur nec fiet ultrà. In tempore illo vocabunt Hierusalem solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem*, &c. En ipse Jeremias explicat, quamnam aliàs dixisset *congregationem Populi à Deo propitio congregandam*. Hanc nimirum modò memoratam, quâ in *Jerusalem jam solium Domini vocatam congregabuntur omnes Gentes in nomine Domini*. Quod quis potest dubitare quin faciendum primùm sit, quando potest Judicium universale omnes electi è cunctis congregati Gentibus in Cœli regiam, Jerusalem, civitatem sanctam, verissimè dicendam solium Domini, inducentur voce illâ Christi judicis vocati : *Venite benedicti possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi*. Mat. xxv. 34. Igitur ne pugnantia putetur loqui, aiens simul & negans eamdem rem Jeremias, dum in *descriptionibus* quidem affirmat : Arcam iterùm *ostenden-*

dam cum *congregaverit Dominus congregationem populi*:& in Prophetiâ negat eodem tempore *videndam*, *requirendam* aut curandam Arcam : neceſſe eſt intelligere : ipſum dum in priori loco ait ; *oſtendendam Arcam* tempore quod indicat ; Arcæ nomine ibi ſignificare Humanitatem Chriſti glorificatam, quæ per *Arcam* ſignabatur : cum vero in poſteriori negat : ullam ultrà tum curam aut recordationem *Arcæ* futuram, per *Arcam* deſignare materialem illam capſam per Moſem Dei juſſu fabricatam, in Templo deinde Salomonis, uſque ad ejus per Nabuchodonozorem everſionem, ſervatam ; à ſe in cavernâ Montis Nebo abſconditam & quaſi ſepultam, ſine ſpe umquam eâdem formâ prodeundi ex illis Latebris : ſed vice ipſius oſtendendâ Chriſti Humanitate glorificatâ, quæ rectè & verè nominetur, *Arca Teſtamenti* : quoniam illa prior materialis Arca, inſtitutione Dei peculiari comparata fuerat ad hanc præfigurandam & deſignandam. Ex his patet hæc verba : *Et apertum eſt Templum Dei in Cœlo* : *& viſa eſt Arca Teſtamenti ejus in Templo ejus*, *ſignificare* : Beatificandas tunc Animas Sanctorum per intellectualem naturæ Divinæ viſionem : corpora verò eorum ac ſenſus beatificum ſimul objectum reperturos in Chriſti corpore iis divinæ gloriæ ſplendoribus ornato qui unigenitum Dei Filium per unionem cum Verbo hypoſtaticam indiſſolubilem in æternum conſtitutum deceant.

Et facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus & grando magna.

Hæc verba in antiquiori partitione Capitulorum hujus libri, prout ex Arethâ patet, faciunt initium capitis XII. ſequentis. Non ſine causâ idoneâ : revera enim pertinent ad Prophetiam in eo & ſequentibus referendam : cujus eventuum, plerorumque tumultuoſorum & triſtium, memorata in his *fulgura* & voces *ex Hebraico* קלדת *Koloth*, quod ſonat *bombos*, *ſtrepitus*, *fragores* ; nimirum *tonitrua*, quod expoſitivè in Græco additur, καὶ βρονταί, prætereaque *terræ motus* : *& grando magna*, Joanni poſt ſuperiorem viſionem oſtenſa, præſagia fuerunt, Symbolis aptè ad qualitates indicatarum rerum quadrantibus, prout ex enarratione ſequentium, ad quam, divini auxilii fiduciâ, nos hinc accingimus, fiet perſpicuum.



AD CAPUT XII.

℣. 1. Et ſignum magnum apparuit in Cœlo, Mulier, &c.

SYMBOLO hujus mulieris, ut mox addetur, parturientis, Joanni oſtenſa eſt, in unam collecta perſonam multitudo Diſcipulorum Chriſti Evangelicæ prædicationi vacantium, quo tempore, deſperatâ jam converſione Judæorum, animum adjicere, Deo autore, ceperunt ad Gentes Evangelio informandas. Omnes autem tum Gentes uno confœderatæ Imperio, Romanæ potentiæ parebant. Romanum porrò Imperium Chriſto ſubjungere parantes, oportebat initium ab ipſa Urbe Romanâ, utique Imperii Arce, ducere. Ergo eò curas conatuſque intenderunt Principes Apoſtoli Petrus & Paulus, dum alii vel Apoſtoli, vel Diſcipuli in Provinciis laborabant. Ingenti autem & admirabili ſpecie, ſtrepituque ad ſe vertente Univerſi Orbis oculos, iſta geſta ſunt: nec minus publica aut notabilia fuerunt, quam ſi meridie in Cœlo medio ſimulacrum formæ peregrinæ atque inopinatiſſimæ conſpicuum exſtaret. Fuit autem *ſignum cui contradiceretur*, ut prædixerat Simeon Luc. II. 34. nec falsò Iudæi Romæ degentes Paulo Apoſtolo dixerunt: *de ſecta hâc* (Chriſtianiſmo) *notum eſt nobis, quia ei ubique contradicitur.* Act. XXVIII. 22.

Mulier amicta Sole.

Sol ſpiritualis, illuminans omnem hominem Ioan. I. 9. lux vera & lux mundi Io. VIII. 12. ſine dubio Chriſtus eſt. Hunc *induunt* omnes quidem qui *in Chriſto baptizantur*, Ad Gal. III. 27. cœterùm ii præcipuè qui ſecuti Evangelica conſilia, Chriſti ſe peculiariter Familiæ Militiæque addixere, quales ſunt Clerici, Diaconi, Sacerdotes, omneſque Evangelii Præcones; omnes, ut diximus, in hanc unam myſticam perſonam Mulieris Proſopopœia propheticâ conflati. Hi præferre potiſſimum debent inſignia conſpicua modeſtiæ, patientiæ, manſuetudinis, univerſarumque virtutum Chriſti quem prædicant; & pro quo legatione funguntur, II. Cor. V. 20. quos propterea, ſe illis adjungens, *induere arma Lucis* Paulus hortatur Rom. XIII. 12. hoc eſt eam ſui præbere ſpeciem omni actu, ſermone, inceſſu, geſtu, quæ imitatores ipſos probet, exemplorum in omni genere laudis ubique ac ſemper à Chriſto dum in terris viveret, editorum. hoc indicatur his verbis Mulier amicta Sole.

Et Luna ſub pedibus ejus.

Ut Solis lumen, Chriſti legem: ita Lunæ luminare minus legem vete-

rem Moſaicam deſignat. Legi autem & ſcripturis Teſtamenti veteris, velut fundamento innititur Doctrina & Prædicatio Evangelica. Quia ergo Prædicatores Evangelici, ut fidem facerent myſteriorum quæ docebant, figuras eorum & Prophetias, è ſcriptis authenticis ab ipſis Judæis hoſtibus exhibitis erutas monſtrabant, exemplo Evangeliſtarum & Apoſtolorum magnoperè id agentes, ut baſi velut cuidam Legis antiquæ dogma evangelicum ſuperſtruerent, propterea Mulier Miniſtros Evangelii deſignans, *Lunæ inſiſtere*, hoc eſt initialibus lineamentis & quaſi deſignationibus Priſcorum rituum, figurarum & Oraculorum, vivos jam colores adumbratorum per illas dogmatum & eventuum ſuperinducere ac velut appingere ad veram effigiem abſolvendam, hac ſymbolicâ ſpecie veſtigia in *Lunâ* figentis oſtenditur.

Et in capite ejus corona Stellarum duodecim.

Stellæ in ſacris ſymbolis (quod ſæpe ſuperiùs dixi) Doctores deſignant, juxta illud Danielis XII. 3. *Qui docti fuerint fulgebunt tanquam Stellæ.* Apoſtoli ergo miſſi à Deo ad docendum Mundum univerſum Stellæ fuerunt lumen à Chriſto Sole mutuantes. Iidem autem principem tenebant locum in multitudine Prædicantium Evangelium: quæ multitudo, ut diximus, typo hujus Mulieris deſignatur, more Scripturarum uſitato, ubi tam ſæpè *filia Sion* & *filia Jeruſalem* pro univerſo Iſraëlitico Populo, ſive Synagoga ſedem ſacrorum Hieroſolymis habente ponitur: uti & *filiæ Tyri*, pro coloniis Tyriorum. Pſ. XLIV. 10. *Filia Babylonis* pro tota Chaldæâ. Pſ. CXXXVI. 8. Item Iſaiæ XLVII. 1. 5. ut ſexcenta ſimilia omittam. Exteri quoque Poëtæ paſſim Urbes, Provincias, Nationes, Regna, προσωποποιοῦσιν effingunt in formas Mulierum. Vide inter alios Claudianum de Bello Gildonico, tali ſpecie Romam luculenter depingentem. Ideo in hujus Prædicatores Evangelicos repræſentantis capite coronæ inſtar regiæ dicuntur eſſe Apoſtoli; aliam etiam ob cauſam, quod nihil minores Eccleſiæ miniſtri doceant niſi quod traditum ab Apoſtolis, quibus Chriſtus in ſolidum commiſit diſpenſandum inde omnibus Populis & ſæculis univerſum doctrinæ Catholicæ theſaurum: quæ ratio Eccleſiæ fuit adſciſcendi ſibi titulum *Apoſtolicæ*: eundemque ſemper ſolicitè tuendi.

℣. 2. Et in utero habens, clamabat parturiens & cruciabatur ut pareret.

Cum finis prædicationis Evangelicæ ſit conjunctio Animæ cum Deo per gratiam, in quâ ſpiritualis vita conſiſtit: rectè generationis allegoriâ prædicatio ipſa deſignatur in Scripturis paſſim Evangelicis & Apoſtolicis, Eccleſiaſticiſque ac Sanctorum Patrum Libris: ut enim generationis naturalis terminus vita corporum eſt; ita prædicatio pro ſcopo ſpectat vitam,

ut dixi, ſpiritualem Animarum. Porrò quia hæc vita cœleſtis & myſtica, ejus participes filios Dei conſtituit adoptivos: illata ea eſt humano Generi labe originalis culpæ ex Adamo in omnes homines transfuſæ, mortuo, per Chriſtum naturalem Dei filium, qui ad hoc in Mundum venit, ut ſui cum ſingulis volentibus, & ſatis ad id diſpoſitis, conjunctione, vitam iis ſupernaturalem, & ſtatum libertatis filiorum Dei communicet: nullo alio adipiſcibilem modo. Non *enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum Hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, niſi Jeſus Chriſtus, ait Petrus Apoſtolus, Act. IV. 12. Via verò unica ſalutis iſtius aſſequendæ ſita eſt, in acceptatione liberâ, per Gratiæ auxilium, ab unoquoque audientium prædicationem facta, conditionis cunctis oblatæ, illius quam Joannes Evangeliſta cap. I. 12. prodit his verbis de Chriſto agens ad homines ſalvandos incarnato: *Quotquot autem receperunt eum*, (admittendâ Prædicationis auditione) *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Hinc Chriſtus ipſe, Ioan. VIII. 34. ait: *Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati. Servus autem non manet in domo in æternum: ſi ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Ex quibus patet vitam ſpiritualem, Dei filiationem adoptivam, nemini poſſe aliter contingere quàm per ſui conjunctionem cum Chriſto naturali Dei filio, ratione quadam mirabili ſeſe intimè applicante credentibus in ipſum, & *habitante per fidem* ut Paulus loquitur Eph. III. 17. *in cordibus eorum*, ſicque illos ſuæ communicatione filiationis, Dei filios conſtituente. Hæc cauſa eſt cur per Prædicationem Evangelicam, credentium Prædicatores Patres fiant: unde Paulus Corinthiis ſcribit I. IV. 15. *Si decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto; ſed non multos Patres. Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* Cæterum obſervandum eſt, in hac mirâ & modum longè naturalem excedente Generationis Chriſtum per fidem animabus inſerentis ſpecie, unam eandemque eſſe Patris & Matris perſonam; ratione quâdam Incarnati Verbi propria, cui una Virgo Maria utriuſque Parentis vice fuit. Eo quaſi exemplo idem Paulus qui ſe Corinthiorum Patrem vocaverat, quòd eorum ſuâ Prædicatione converſionem ad Chriſtum procuraſſet; Matris Galatarum, dum in iis perfectè Chriſto adaptandis elaborat, ſibi partes attribuit, ſic iis ſcribens cap. IV. 19. *Filioli mei quos iterùm parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* Ex quo apparet, Miniſtros Evangelicos quamdiù prædicant, & necdum ad Baptiſmum Auditores, jam tamen inſtitui ſe ſinentes, perduxerunt, eos veluti utero geſtare. Quò ſpectat illud Gregorii magni Homil. III. in Evang. *Qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuerit, quærendum eſt, quomodo etiam & Mater eſſe poſſit. Sed ſciendum nobis eſt, quia qui Chriſti ſoror & frater eſt credendo; Mater efficitur prædicando. Quaſi enim parit Dominum quem cordi audientis infuderit, & Mater ejus prædicando efficitur, ſi per ejus vocem amor Domini in Proximi mente generatur.* Hactenùs S. Pontifex, cui dudùm præiverat pari de his ſenſu Auguſtinus lib. II. & III. de ſymbolo

ad Catechumenos, ubi ait eos qui ſe Miniſtris Evangelicis inſtituendos ad Chriſtianam fidem præbent, ab Eccleſiâ quaſi concipi & in utero geſtari, quoad ipſos per collatum iis maturo tempore Baptiſmum, (qui propterea regeneratio vocatur) veluti pariat. Quin etiam lib. III. cap. I. hunc ipſum quem tractamus ex Apocalypſi allegans locum, memoratam hîc Mulierem, etſi deſignare Mariam Chriſti Matrem Virginem putat: tamen addit, ſimul etiam, *Figuram in ſe ſanctæ Eccleſiæ demonſtrare, ut quomodo illa pariens filium Virgo permanſit: ita & hæc omni tempore membra ejus pariat, & virginitatem non amittat.* Sic ille ibi: quorum ſimilia & apud Ambroſium leguntur locis pluribus, unum tantùm deſcribam ex lib. I. de Virginibus: *Sancta Eccleſia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole: parturit itaque nos Virgo, non viro plena, ſed ſpiritu.* Vide cætera: nam hæc nobis ſufficiunt ad ſatis veriſimiliter ſuadendum hoc Apocalypſis loco *Eccleſiam docentem*, hoc eſt Prædicatores Evangelicos proponentes Gentibus dogmata Religionis Chriſtianæ, repræſentari ſymbolo Mulieris parturientis: quæ *cruciari* dicitur, *ut pariat*, per id exprimendo curas, contentiones, vigilias, ſudores, pericula, tormenta, quæ ſpiſſo iſto & ærumnoſo ritè miniſterio fungentibus exhauriendа ſunt: qualia ultra id quod res ipſa & experientia demonſtrat, in Actis & Epiſtolis Apoſtolicis ſæpè ac copioſè memorata videre eſt.

℣. 3. Et ecce Draco magnus.

Explicato quid indicet in hâc viſione Mulier parturiens, non minore diligentiâ inveſtigandum hîc eſt, cujus rei ſymbolum ſit *Draco* iſte *Magnus* inſidians Prægnanti, ut prolem ejus ſimul erit edita, perdat. Omnibus attentè accuratéque circumſpectis mihi non videtur dubium, quin hic Draco ex mente hæc dictantis Spiritûs divini, ſignificet Principem rebellium Angelorum Idololatriæ per Orbem totum autorem & promotorem, eo verò tempore quod hæc Prophetia reſpicit, ceptæ Romæ prædicari Chriſtianæ Religionis à Petro Apoſtolo, eò profectò anno Claudii ſecundo, Æræ Chriſtianæ quadrageſimo ſecundo, ſolicitè conante imperium quod ex illa Romanæ potentiæ Arce in omnes gentes exercebat defendere, adverſus formidatam ipſi oppugnationem novi hoſtis Chriſti, per ſuos tunc milites Romæ rem gerere aggredientis: cujus rei figura verbis illis ejuſdem Chriſti Domini informata dudum fuerat, Luc. XI. 21. *Dum fortis armatus cuſtodit Atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſi autem fortior illo ſuperveniens vicerit eum, &c.* Sed cur inquirimus quod ultrò ipſe Joannes paulò poſt prodit hujus ipſius capitis v. 9. *Draco* (inquiens) *ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum Orbem.* Hic ſibi ab initio Romæ conditæ illam Rempublicam tam validis ſuperſtitionum nexibus devinxerat, ut planè concreta in unum civilis ejus potentia cum Satanicâ Idolomaniæ tyrannide videretur: unde ille totas

Imperii

Imperii tunc Romani opes arbitrio suo torquens, iis omnibus enixè contendens nitebatur nascentis Christi Religionis primordiis obstare: & si qui forent qui eam capessere cogitarent, statim opprimere, quod foret, ut est ostensum, fœtum mulieris recens natum elidere vel absorbere.

Quàm aptè autem ad malum Dæmonem talia Romæ molienrem designandum *Draconis magni* symbolum adhibeatur, declarat 1. quod Plinius lib. VIII. cap. XIV. commemorata ex multis Autoribus incredibili magnitudine quarumdam serpentium, addit: *Faciunt his fidem in Italiâ appellatæ Boæ, in tantâm amplitudinem exeuntes, ut Divo Claudio Principe, occisæ in Vaticano, solidus in alvo spectatus sit infans.* Ita ille, ut videri possit ostentum id tali loco & tempore non sine divinâ providentiâ monstratum, Draconis infantem in Vaticano devorantis, ubi solium æternum Regno Christi parabatur, ad significandum Draconis inferni votum & conatum Christianæ Religionis in primis cunabulis opprimendæ. Deinde quod non dissimulanter Draconis figurâ & corpore Præses Idololatriæ malus Dæmon se Romæ dudùm ostentabat. Notum est quod passim Historici Romanarum rerum etiam glorianter jactant, de Angue istùc ex Epidauro delato. Recitare id tanti est ex uno ipsorum Floro Epitomatore Livii lib. XI. *Cum Civitas* (inquit) *pestilentiâ laboraret*, (contigit id anno Urbis conditæ 463. Luc. Posthumio Megello & C. Junio Bubulco Coss. ante Chr. 291.) *missis legatis* (quorum Princeps, ait Author de Viris Illustribus, fuit quintus Ogulnius,) *ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent, Anguem qui se in eorum navem contulerat, in quo ipsum Numen esse constabat, deportavere. Eoque in Tiberis Insulam egresso, eodem loco sedes Æsculapii constituta est.* Recitat idem & verbis ornat illustribus Valerius Maximus lib. I. cap. VIII. Ovidius verò lib. Metamorphoseon XV. pompâ & triumpho quodam poëtico celebrat. quem meritò irridens S. Augustinus lib. III. cap. XVII. sic scribit: *Vel quando itidem aliâ intolerabili pestilentiâ, Æsculapium ab Epidauro, quasi Medicum Deum, Roma advocare atque adhibere compulsa est: quoniam Regem omnium Jovem, qui jamdiù in Capitolio sedebat, multa stupra quibus adolescens vacaverat, non permiserant fortasse discere Medicinam.* Sic Augustinus. Hæc abundè, ni fallor, sunt ad persuadendum, hoc loco per *Draconem magnum* signari malos Dæmonas Idololatriæ Romanæ Autores & Præsides, quam totâ vi addictissimâ ipsis & ad nutum paratâ imperantis Orbi ejus Urbis potentia propugnabat: ji vel conflantur omnes in unam feri Draconis speciem, ut infrà de multis Ecclesiæ Persecutoribus videbimus; & suprà de Prædicatoribus diximus, in unum illis Bestiæ; his Mulieris symbolicâ syllepsi collectis corpus: vel à Rege ipsorum Lucifero: cujus omnes illi milites & satellites sunt, singulariter nominantur. Sequitur explicandum cur hic Draco magnus dicatur:

Rufus.

Hebræi Romanum Imperium אדם *Edom* vocabant, quæ vox ipsis sonat *rubrum* & *rufum*. Verùm quia hîc de superstitione Romanâ magis quàm de civili aut bellicâ potentiâ sermo est: opportunius, in præsens negotium, est quod Plutarchus docet in quæstionibus Romanis; solitos Romanos esse omnia Deorum suorum simulacra rubro colore inficere, quo Græci, ut autor est Pausanias in Achaicis Bacchum potissimum fucacabant τȣ̃ Διομνύσȣ, inquit, ὑπὸ κιννα βάρεως ἄγαλμά ἐστιν ἐπηνθιένον Id Romani videri possunt didicisse ab Evandro, qui cum diù antè Romam conditam sedem sibi & regnum in Palatino monte statuisset, Panis Idoli cultum ex Arcadiâ, unde veniebat, eò detulit; cujus formam fuisse rubore flammeo conspicuam docent illa Virgilii Eclog. x.

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem,

De Marte præcipuo, & quasi peculiari, Romanorum Deo, palàm est, sanguineum eum ardentemque figuratum. Sed in Jove Capitolino, Patre ac Rege Deorum, ut ipsi dicebant, studiosiùs id curatum apparet. Nam ejus simulacrum numquam non impensè rubricatum cernebatur. Unde Cicero jocans in cœnam plebeiam Pæti, , lib. IX. Epist. ad Fam. Ep. XVI. *Polypum* ibi comparentem (Gammarum videlicet aut Cancrum; quales rubere cocti solent: de quo est illud Martialis lib. 2. ep. 43. *Concolor in nostrâ Gammare lance rubes.*) *Iovis miniati* similem dicit. sanè ex Plinio habemus, lib. XXXIII. cap. VII. *Iovis simulacri faciem diebus festis minio illini solitam.* Iterabatur scilicet crebrò rubricatio, ut numquam non vivus & recens in eo rubor emineret: in quo erat diligentia Censorum, quorum inter officia sæpè legitur, locatio Jovis miniandi. Rubeus ergo Draconis color characterem habet Romanæ superstitionis: unde is hoc loco *ruffus* Grecè πυῤῥὸς hoc est *igneus* dicitur. Pergit Joannes:

Habens capita septem.

Infrà cap. XVII. 9. Angelus Joanni ait: *Septem capita septem montes sunt, super quos Mulier sedet.* Nempe ibi figurata specie Mulieris Roma: *septem Urbs alta jugis* ex Propertio: & ex Virgilio: *Quæ septem unà sibi muro circumdedit Arces.* Nec vacat superstitionis indicatione mentio septem collium, qui suos quippe sibi proprios habebant Deos: Capitolinus Jovem, Palatinus Apollinem, Quirinalis Martem & Romulum, Aventinus Dianam & Herculem, Exquilinus Junonem, Viminalis Jovem Vimineum, cujus Aræ in Viminea Sylva priùs ibi positæ nomen colli dederunt, cum is sub Rege Servio cepit habitari, ex Varrone. Denique Cœlius Saturnum, cujus Patris id erat nomen. Præ-

terquam multa Deorum aliorum Templa vel Sacella in singulis horum septem montium structa visebantur, & vanâ superstitione celebrabantur.

Et cornua decem.

Hæc cornua decem significant Reges totidem qui tunc Romano Imperio serviebant. Tales sub Claudio numerabantur I. Rex Arabiæ. II. Rex Itureæ. III. Rex Comagenorum. IV. Rex Ponti. V. Rex Armeniæ. VI. Rex Thraciæ. VII. Rex Galatiæ. VIII. Rex Adiabenæ. IX. Rex Suevorum. X. Rex Alpium. Hi omnes à Romanis Reges appellati, precariò sub eorum auspiciis regnabant; omnes, excepto Agrippâ Judæo Itureæ Rege, Idololatræ; ac consequenter Christianis infensi, à quibus & ipse Agrippa non minùs abhorrebat, instinctu Iudaicæ contumaciæ. Plures antea hi fuerant, sed prout eorum aliqui gratiâ Imperatorum excidebant; aut ipsi Populi rebellabant, ditiones eorum in Provinciæ formam redigebantur, ut Iudææ contigit: quam Herodes Magnus, & ejus filius Archelaüs diu Regum titulo sub Romano Imperio rexerant. Sed ea postea, hoc ultimo ejecto, Syriæ contributa, & à Romano Procuratore Hierosolymis residente gubernata est. Et hos hîc indicari attinuit, & Draconi Idololatriæ Præsidi assignari, cujus potentiæ pars non exigua iis continebatur.

Et in capitibus ejus diademata septem.

Diadematum septem nomine totidem Imperatores designantur qui Romanæ Reip. præfuerunt ab eo tempore, quo cepit Romæ prædicari Christiana Religio usque ad Domitianum exclusivè. Ii sunt, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus. Quod hi omnes diademata vocentur, causa est, quod imperarunt, & supremæ potestatis vulgare signum diadema est. Quod hæc diademata similiter atque capita, hoc est, septem colles Idolis sacrati, Draconi Idololatriæ Præsidi attribuantur, significat eos omnes Idololatras fuisse; tametsi non omnes Christianorum Persecutores: cæterùm animo & institutione paratos ad superstitiones avitas & cultum falsorum Deorum totis Imperii viribus tuendas.

℣. 4. Et cauda ejus trahebat tertiam partem Stellarum Cœli, & misit eas in terram.

Præterquàm malus Dæmon Idololatriæ autor, promotor & defensor, palàm & quasi erectâ fronte obstabat progressibus Christianæ Religionis, armans contra eam Imperatores & Reges, etiam insidiosis artibus clam laborabat in subvertendis ipsis Christi Discipulis & legis Christianæ Doctoribus, Stellarum hîc vocabulo indicatis, quo, ut sæpe superiùs diximus, Doctores in Scripturis Propheticis consueverunt designari. Horum pluri-

mos per illa ipsa Apostolica tempora quæ à Claudio ad Domitianum protenduntur, quibus hujus capitis Prophetia se continet, malus dæmon in varias, numerosas, & valde pernicioſas seduxit hæreſes, Nicolaïtarum, Simonianorum, Cherinthianorum, Ebionitarum, & universi generis Gnosticorum; quorum Catalogos ediderunt S. Epiphanius & post eum ex ipso multi. Hos hîc S. Joannes mali dæmonis occultis fraudibus perversos indicans, ait, Draconis caudâ de cœlo, hoc de Ecclesiâ, Regno Cœlorum à Christo dici solitâ, detractos in terram fuisse; alludens morem Ecclesiæ antiquum abdicandi, & à se per excommunicationem abscindendi pertinaces hæresum magistros & sectatores. Nisi potius de cœlo in terram hîc dici dejectos accipimus, eos qui de vitæ Cœlestis ac sanctæ instituto, & professione, deturbati, in terram, hoc est in mundanæ vitæ corruptelam, desperationemque salutis æternæ prolabebantur. quò facit, quod libidinosos atque impudicitiâ infames κατωφερεῖς Græci vocant, quasi diceres *deorsum inclinatos* & *humi depressos*. Omnium autem istorum primi illius temporis Hæresiarcharum infandæ spurcitiæ flagitiorum obscœnitatumque memorantur, quod non abludit à quadam occultâ notione vocabuli *cauda*, quam plerique veterum Interpretum libri Job agnoscunt in illis ejus verbis cap. XL. 12. *stringit* (Behemoth, quod est aliquid Symbolicè simile Draconi huic nostro) *caudam suam quasi cedrum: nervi testiculorum ejus perplexi.* Tertiam autem partem Discipulorum, hoc est, non solum Christi fidem amplexorum istis primis Ecclesiæ temporibus, sed etiam destinatorum ad Hierarchicas docendi functiones, quales hic stellarum Symbolo signantur, fuisse fraudibus Diaboli in hæreses perversam, prout hoc oraculum innuit, incredibile non videbitur reputanti quæ Irenæus, Epiphanius, Eusebius, aliique veteres de ingenti multitudine tunc & seducentium & seductorum per falsas istas & diabolicas doctrinas, memoriæ prodiderunt. Pravos autem istos errorum Magistros (quos eleganter hanc ipsam innuens numerositatem, & ejus procaciam acriter objurgans Judas Apostolus suæ Catholicæ v. 13. votat *sidera errantia*) ex intimâ prodiisse Ministrorum Evangelii cohorte, docent disertè duo Apostoli Ioannes Ep. 1. c. 11. 18. & 19. *Nunc Antichristi* (inquiens) *facti sunt multi... Ex nobis prodierunt* &c. Et Paulus Act. xx. 29. ad majores natu Ecclesiæ convocatos hæc loquens: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes Gregi: & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant Discipulos post se.* Igitur memorata hoc loco dejectio de cœlo tertiæ partis stellarum per Draconis caudam, non immeritò à nobis creditur designare multitudinem Christianorum & Evangelii Ministrorum, ab initio Ecclesiæ ad annum Christi octogesimum primum, quo Domitianus imperare cepit, per varias hæreses Diaboli fraudibus depravatorum.

Et draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperiſſet, filium ejus devoraret.

Cognito Petri adventu Romam & animadverſis initiis Evangelicæ ibi prædicationis malus dæmon Idololatriæ præſes, Romana potentiâ, quam flectebat ad nutum, ſubnixus; eò malignæ attentionem mentis & vires omnes conatuſque vertit, ut ſi qui ſe credulos præberent iis quæ à Petro & cæteris Chriſti Miniſtris tradebantur, eos ſtatim miris machinis aggrederetur; & admotis hinc terroribus, inde blanditiis, omni ope ſatageret ipſos vel ad Idololatriam reducere, vel in Judaiſmum revolvere, vel in aliquam hæreſim, aut peccatum aliud ingens pertrahendo, ab initâ ſalutis viâ deducere. denique ſi alia non ſuccederent, nece perimere. Talia hîc ſignificantur metaphorâ *devorandi*, quod ut faceret, ſtabat videlicet inhians mox naſcituræ mulieris proli, paratos ad ſuum in id obſequium habens primùm Judæos contumaces, quales magno numero degebant Romæ; nec dubium eſt quin ibi Petro prædicare illic incipienti ſub Claudio, pari protervià reſtiterint ac poſteà Paulo eódem appulſo ſub Nerone: quod teſtatur teſtis oculatus Lucas cap. ult. libri Actorum: deinde Romanos Idololatras; quibus ut ſibi obnoxiis ſuggerens quæ volebat, univerſaliter inſpiravit odium contemptumque magnum Chriſtiani nominis, cujus veſtigia videmus in Claris ſcriptoribus illorum Temporum, Tacito & Suetonio, qui numquam Chriſtianorum meminerunt ſine ſtomachosâ ſignificatione execrationis. Ergo Judæi Catechumenos ſuæ nationis vehementer deterrebant à Chriſti religione capeſſendâ: credentes autem ex Gentibus, atrociter increpabant: ambo ſic Draconi ad talia eos impellenti obſequentes: qui & tertium habebat ſibi ad idipſum inſervientium genus; Hæreticos ſuprà memoratos, quorum item pars virilis erat in tentandâ quantum poſſent ſubverſione Converſorum. Denique Magiſtratus quoque ac Judices; etſi adhuc nulla nominatim in Chriſtianos latâ lege; generalibus edictis & uſu ac jure veteri tuendæ Religionis avitæ, ſatis autoratos ſe putabant ad Chriſtianos qui cultum Deorum oppugnarent, minis pœniſque coërcendos; præſertim cum facilitate ac ſupinâ oſcitantiâ tunc imperantis Claudii, qui gratiæ locum aliquem apud illum obtinebant, quæcumque libêret ejus nomine atque autoritate agerent. Quomodo contigerit quod Tacitus xv. Annal. affirmat; *repreſſam* publicè, etiam ante Neronem, Chriſtianam religionem, tunc rursùs erupiſſe. Aurelius quoque victor ajens *compreſſas à Claudio per Galliam famoſas Druydarum ſuperſtitiones*, indicat leges ab eo latas contra peregrinas Religiones: quæ facilè odio ac malitia jus dicentium armare illos poſſent ad Chriſtianos malè mulctandos. Maximè cum, ut fit, quæſtus ad hoc ipſos proprius & & ſpes prædæ ac ſpoliorum invitaret. Certè idem Victor diſtinctè memorat Meſſalinam *Claudii conjugem permiſſa vel arrogatâ immensâ quadam licentiâ adulteriis, cædibus, nuptarum Virginumque proſtitutionibus graſſa*

tam. Libertos vero ejusdem Claudii, *potestatem nactos summam stupris exilio, cæde, proscriptionibus omnia fœdasse:* quorum unius Narcissi Juvenalis Sat. XIV. forte commemoratis immanibus divitiis, quas Persarum Regum opibus comparat, eas unde congesserit innuens statim subdit.

Indulsit Cæsar cui Claudius omnia: cujus
Paruit Imperiis uxorem occidere jussus.

Adde quod illa ipsa cunctis notissima ejectio Judæorum è Româ per Claudium, videri potest in Christianos potissimum intenta, considerantibus verba quibus eam Suetonius cap. XXV. vitæ Claudii sic exprimit: *Judæos impulsore Chresto assiduè tumultuantes Româ expulit.* Ubi nemo dubitat quin *Chresto* pro *Christo* sit positum. Unde est multùm verisimile Judæos Christi Discipulos Evangelium Romæ prædicantes præcipuè illo edicto mulctatos, cæteros autem Judæos etiam qui non credidissent & Christianis repugnarent, quasi per occasionem comprehensos. Unde forte martyrium illustre quod iis Romæ contigisse temporibus fertur, Sanctæ Priscæ Virginis, ortum habuerit: judicibus interpretatis proscriptam illo edicto Christianam Romæ Religionem. ac in exteros quidem qui eam profiterentur satis visum exilio animadvertisse: Romanos vero qui ei adhæsissent utique vi cogendos ad eam deserendam, quare talis rei exemplum in puella consularis familiæ constituere voluisse. Scio, quæ extant ejus S. Virginis Martyris Acta non satis distinctam præferre indicationem temporum Claudianorum prioris Claudii cui Nero successit; & facilius accommodari alteri Claudio Christianorum persecutori qui occisi à se Gallieni locum in Romano Imperio tenuit anno Æræ Christ. 269. sed cum ex vetustissimis Monumentis antiquissimæ Romæ Ecclesiæ S. Priscæ in Monte Aventino, cujus anniversarius natalis ibi celebratur XV. Kal. Februarias, certissimò constare videatur eam S. Virginem à S. Petro Apostolo baptizatam, sub Claudio priore Romæ fuisse coronatam, crederem potius aliam fuisse paris nominis & generis Priscam passam sub posteriore Claudio, cujus Acta, ut similium multorum ambiguitate communis utrique nominis, conflata in unum fuerint cum deperditis, aut minùs diligenter illa primordiorum Christianismi Romani ruditate notatis prioris Actis: quàm induci possim ut dubitem, quin verè consularis Virgo appellata Prisca, ex iis qui prædicanti Romæ Petro Apostolo crediderunt, illic jam tum nobile Martyrium fecerit, proles hîc memoratæ à Joanne mulieris à dracone devorata, suâ potius gloria, quam Draconis ipsius vero fructu. Qui & alias deinde similiter prædas absorbuit, suo quidem damno: verè victus & triumphatus ab illis plurimis quos gladius postea Neronis persecutione primâ quæ ad tempus hâc prophetiæ parte prædictum pertinet, & infra v. 15. hujus capitis distinctius prænuntiatur, ut ibi dicemus.

℣. 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virgâ ferreâ.

Prædicationis Evangelicorum Ministrorum is successus Romæ fuit, ut ibi fundaretur Ecclesia Romana, Princeps futura Ecclesiarum Orbis omnium, & eas per suos summos Antistites rectura. *Filius* ergo est multitudo conversorum. Adjunctum *Masculi* fervorem & constantiam primorum Romæ Christianorum innuit. Virga ferrea gladius est, insigne potestatis quasi regiæ: indicans allegoricè Verbum Dei. juxtà illud Pauli: *Et gladium spiritus, quod est Verbum Dei.* Ephes. VI. 17. vel etiam potestatem excommunicandi & abscindendi à corpore Ecclesiæ merentes, quæ in Romano Pontifice etiam respectu Patriarcharum residet.

Et raptus est filius ejus ad Deum & ad thronum ejus.

Raptum hunc aliquando interpretabar efficacem Dei vocationem, sine quâ non fit ulla conversio, juxta illud Christi: *nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum*, Ioan. VI. 44. Sed huic expositioni obstat, quod post partum raptus est filius, uti & mater translata, at conversio partus est. Melius igitur hoc sic intelligemus, ut iste raptus ad Deum significet vitam interiorem mentis Deo affixæ, quam Christiani statim à conversione potenti ad id tracti gratiâ exercere instituerunt: Deum per fidem in cordis intimo præsentem intuentes & adorantes, eique se ut Regi ad omnem nutum perpetuâ obedientiâ subjicientes. Id indicat illa throni mentio. Hoc enim est *Regnum Dei*, quod *advenire in nos poscimus*, Mat. VI. 10. quod *primum quærendum* Christus docet, Mat. V. 33. quod idem *esse intra nos* pronunciat Luc. XVII. 21. denique hæc est *vita* Christianorum *abscondita cum Christo in Deo* ad Coloss. III. 3. eadem *conversatio nostra in cœlis* ad Philipp. III. 20.

℣. 6. Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo.

Scribit Lucas Act. VIII. 1. *Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesiâ: & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apostolos.* Significat in illa factâ tunc Hierosolymis persecutione cæteros quidem Discipulos ex Urbe discessisse: & eâ occasione per Iudæam & Samariam Christi fidem disseminasse, unde apparuit, divinâ præordinatum providentiâ istud eorum effugium, ex quo insignis Regni Christi sequeretur dilatatio: neque interim jam parta relinquerentur, conservandis enim iis qui jam in Urbe crediderant, vacabant interim Apostoli, tutis illic absconditi latebris, unde ad necessaria subinde officia prodibant. Similia hîc Ioannes Romæ quoque

in primordiis Ecclesiæ illic nascentis eventura prænunciat. Simul enim aliquo apparere numero Christiani cepere, instincti à malo dæmone Gentiles in eos insurrexerunt, edicto à Claudio promulgato quo Iudæi omnes pellebantur Româ, cujus fit mentio Act. XVIII. 2. contigisse id anno Claudii Imp. nono ferè Chronographi consentiunt; quo cum Petrus interfuerit Hierosolymis Concilio ibi celebrato, ut Lucas docet Act. XV. 7. intelligimus eum paruisse edicto Claudii, ductũ autem secum Marcum Evangelistam dicitur obiter Alexandriæ collocasse, qui celebrem illic postea instituit Ecclesiam, fructum exilii maximum, ut id à providenti â præparatum liceat agnoscere. Reliquit verò aliquot Romæ Discipulos occultos, qui Christianorum curam gererent. Hæc significant verba quæ nunc tractamus. in quibus *solitudo* vocatur quidquid urbanæ frequentiæ opponitur, ut ea vox & peregrinationi, & quæsitis intra urbem latebris, communem ferre significatum possit. mulier ergo partu soluta, significans, ut dictum est, omnem numerum prædicantium Romæ Christum Evangelii Ministrorum, edicto Claudii vulgato, partim aliò se contulit; partim in urbe captatis latibulis abscondita perstitit, inde clanculum Sacramenta & Doctrinam sacram ministrans. Utrobique locum à Deo paratum *habens*: quia tam peregrinatio quàm latebræ ad profectum magnum Ecclesiæ succesſere; dilatato per ambas Christi regno: ac peculiariter per latibula Sacerdotum intra vel circa Urbem procurata, effecto, ut quantalibet sævitiâ Tyrannorum inde pelli semel ingressa Religio nequiverit. Sic Iob *solitudines* appellat sepulcreta c. III. 14. ut hoc nomen præcipuè quadret in catacumbas Romanas quæ eædem & diversoria vivorum & sepulcra mortuorũ erant. peculiariter quoque his convenit memorata *Dei præparatio*, quia humanam superare facultatem videtur mirabilis excavatio tot tamque vastarum subterranearum specuum quæ religionem Romæ Christianam exercentibus latebras olim præbuerunt. Hæ sane hodieque ingentem cernentibus admirationem movent, ad decem & duodecim milliaria patentes labyrintheâ flexione mæandrorum. Sed & aliud non tacendum innuit hic usurpata *solitudinis* vox. Videlicet quosdam Fideles Urbibus exclusos persecutione Gentilium, vitam seorsum anachoreticam in sylvis, speluncis, aviis montibus, agere instituisse. Nam quod de sancto Paulo Eremitâ Hieronymus refert, ab aliis quoque factitatum, & per se credibile, & variis aliorum testimoniis indicatum est. Iis autem in locis procul ab omni usu & subsidio humano vitam ettiam dulcem & cœlestibus deliciis suavem à nudis, egenis, victu & tecto carentibus diù degi nequivisse absque peculiari *Dei præparatione*, hoc est benevola & mirifica in eis tuendis, alendis, consolandis providentiâ, satis manifestum cuivis reputanti est.

Ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

Hic numerus dierum tempus efficit annorum trium cum dimidio, quod magnarum immissarum Ecclesiæ afflictionum legitimum veluti spatium est.

Sterilitas

Sterilitas agrorum ex ſiccitate temporibus Eliæ tribus annis cum dimidio duravit, III. Reg. XVII. Antiochi perſecutio non ultra proceſſit, ut Daniel prædixerat cap. VII. 25. & Maccabæorum Hiſtoria demonſtrat. Vidimus ſuperius ultimam Antichriſti Perſecutionem pari dierum numero finiendam cap. XI. 2. & 3. Prima Perſecutio Neronis quæ ad tempus propriè hoc capite prædictum pertinet, cum ceperit ejus Imperatoris anno 10. poſt Urbis incendium per calumniam cepta, ut infra dicetur, & ejuſdem tertio decimo, in Apoſtolorum Petri & Pauli martyrio finita, ſimilibus terminis clauſa eſt. Prior quoque Claudii in Chriſtianos ſub Judæorum nomine ſævitia, cum iſtius Cæſaris anno nono ceperit, & ejuſdem initio quartidecimi per ejus obitum deſierit, longior non fuit. Nec Domitiani perſecutio videtur diuturnior fuiſſe. Etſi enim anno decimo illius Principis cepit, eam tamen uſque ad quintum decimum, qui ei ultimus fuit, non uno tenore continuatam, docet Hegeſippus apud Euſebium, & Tertullianus in Apologetico. Severi Perſecutio inſtigatore cepta Plautiano anno Severi decimo, & Plautiani ejuſdem nece in annum Severi duodecimum incidente conſeneſcens, ac ſenſim deſita, prolixior eſſe vix potuit. Maximini Thracis perſecutio æqualis ejus Imperio, tribus item annis cum dimidio duravit. Etſi autem aliæ perſecutiones, Trajani, Adriani, Marci Aurelii, Decii, Diocletiani, Licinii, Juliani, & ſi quæ præter has numerantur, partim paulò longiores, partim breviores fuerint: id non impedit quominus iſto ſpatio trium annorum cum dimidio illud omne tempus deſignetur quo Romana Eccleſia perſecutorum Sævitiam vicibus variis paſſa eſt. Conſuetudo quippe ſcripturarum eſt, præſertim Propheticarum, aut ſtylo figurato conceptatum, ad certum ſemel enunciatum reducere numerum res ejuſdem generis poſt a memoratas. Sic ſupra cap. VII. Electi omnes è duodecim Tribubus: & infra cap. XIV. Cœlibes omnes in Chriſtianam militiam adſcripti, pari ſumma centum quadraginta quatuor millium, Abraami græco vocabulo ſignatâ, comprehenduntur. Sic, ex Auguſtino ad illud Chriſti, Matth. XIX. 28. *Sedebitis ſuper ſedes, judicantes* XII. *Tribus Iſraël*: Duodecim judices omnem multitudinem judicantium; & duodecim Tribus Iſraël omnem judicandorum numerum indicant. Sic denique ad quatuor animalia Ezechiel. I. & hujus libri IV. memorata omnis Doctorum Scriptorumque ſacrorum numeroſitas; ad viginti quatuor ſeniores ibidem expreſſos, omnium qui umquam aut uſpiam fuerunt vel erunt, Eccleſiaſticorum Præſulum multiplicitas, redigitur. Ait igitur Joannes, flagrante perſecutionum flammâ, pleroſque ſacrorum Miniſtrorum, partim poſt fugam alibi degentes, partim ipſo in loco deliteſcentes tutis latebris, neutrobi corporali & ſpirituali alimoniâ, Deo abunde ſuppeditante, eguiſſe: paſtos cum aliis ad utramque tuendam vitam naturalem & cœleſtem cibis idoneis, tum præſertim Euchariſtico pane, perſecutionum potiſſimùm tempore frequenter miniſtrari periclitantibus ſolito, ex illo ſenſu moderantium tunc Eccleſias, quem unus ex ipſis Cyprianus quadam Epiſtolâ ſic expreſſit:

Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesiâ non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.

℣. 7. Et factum est prælium magnum in cœlo. Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat & Angeli ejus.

Digressio hinc quædam sacri Vatis incipit, aptè accommodata ad explicandam causam ob quam tam solicitè malus dæmon contenderit, ne vera Religio Romanis probaretur. Urebat enim eum dolor recens amissæ irrecupabiliter Iudææ. Cœlum hoc loco Israëliticam Gentem Symbolicè designat, cum allusione ad promissionem Abrahæ factam Gen. xxii. 17. *multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* De illâ ergo Gente filiorum Abrahæ, ex quo cepit è servitute Ægyptiacâ in Reipublicæ unius conflari corpus, certamen fuit ingens inter bonos & malos Angelos: Malis duce Lucifero enixè satagentibus, hunc quoque Populum, uti & cæteros omnes, in Idololatriam pertrahere: Bonis è contrario, duce Michaële, cœlestis Militiæ Principe, & peculiari custode Israëlitici Populi, summâ vi contendentibus ad impediendum, ne Israëlitæ in Idololatriam laberentur; & procurandum ut qui lapsi erant, ad veram Religionem revocarentur. Bellum hoc ab exitu de Ægypto usque ad reditum è captivitate Babylonicâ variis successibus gestum est, ut videre licet in scripturis Historicis & Propheticis illorum temporum. Novissimo quoque mali Draconis conatu, Religione Christi jam in Iudæa & vicinis ubi Iudæi degebant regionibus invalescente, suscitatus fuerat Simon Magus se pro Deo ferens: & sic Idololatriam illic instaurans: de eo enim sic Lucas scribit Act. viii. 9. *Vir autem erat quidam Simon, qui ante fuerat in civitate Magus seducens Gentem Samariæ: dicens* se esse aliquem magnum (Græca sic habent: λέγων τινα ἑαυτὸν μέγαν. Heroëm videlicet ac quiddam humano fastigio celsius) *cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes: hæc est virtus Dei quæ vocatur magna. attendebant autem eum propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.* Sed & hoc primùm per ejus ad fidem Christi conversionem instrumento ac ministro fraudum Diabolus amisso; & postquam ipsum per apostasiam recuperavit, consistere ibi non valente, ac coacto Romam fugere: plena jam constare Partibus Michaëlis victoria pergebat, unde sequitur.

℣. 8. Et non valuerunt: neque locus inventus est eorum amplius in Cœlo.

Cepit hæc victoria Michaëlis & Angelorum ejus Idololatriam à Iudaico Populo removentium à tempore captivitatem Babylonicam secuto. Hinc enim usque ad Christum, imo usque ad excidium Hierosolymorum, pu-

blicè ferè ac privatim valde abhorruerunt ab Idololatriâ Iudæi ; eo nomine multis vicinis Gentibus idola venerantibus odio ac contemptui habiti.

℣. 9. Et projectus est Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas', qui seducit universum orbem.

Describit his verbis Principem Dæmonum Luciferum, quem *serpentem antiquum* vocat, quia ipse in serpente loquens seduxit Evam. Gen. III. 5. in mundi primordiis. *Diaboli* nomen græcum est, delatorem & calumniatorem sonans. *Satanas* autem hebraicum à verbo שָׂטַן *Satan* quinquies in Psalmis usurpato, semper in notione *adversandi*. Nempe Ps. XXXVIII. 21. LXXI. 13. CVIII. 4. 20. & 29. ut nomen usurpatur alibi sæpius, ac quidem signatè & antonomastice pro diabolo Job. I. 6. Ps. CVIII. 6. & Zachariæ III. 1. ubi Prophetæ ostenditur הַשָּׂטָן *Hasatan* ὁ Σατανᾶς *stans à dexteris Jesu Sacerdotis magni ut adversaretur ei*. Hæc vocabula præcipuè conveniunt omnium maximo & pessimo Dæmoni Lucifero, qui autor primus fuit Idololatriæ, quæ tunc ubique extra Judæam invaluerat; & præsertim Romæ regnabat. hoc innuunt illa verba : *qui seducit universum orbem.*

Et projectus est in terram : & Angeli ejus cum eo missi sunt.

Excluſi à Judæa instigatores ad Idololatriam Dæmones cum suo Principe Lucifero, permissi sunt suas exercere tentationes in alias mundi Gentes terrena duntaxat sapientes, & terrenis inhiantes commodis, *terram* hîc vocatas.

℣. 10. Et audivi vocem magnam de Cœlo dicentem : Nunc facta est salus & virtus & Regnum Dei nostri.

Hæc est gratulatio Angelorum Cœlitum ob extirpatam è Judaica Gente Idololatriam : quâ re parabatur haud dubiè via Evangelio per Christum deinde prædicando ; nisi livor & superba contumacia ; cupiditasque temporalium bonorum, quæ res Judæos instigarunt ad Christum repellendum & occidendum, locum Idololatriæ subiissent. Quæ causa fortasse fuit Paulo Apostolo avaritiam Idololatriæ æquiparandi, quâ nempe metu amittendi statum, & fortunas Judæi ad Christum necandum adducti sint, ut constat ex illa eorum deliberatione Joan. XI. 48. relata : *Quid facimus quia hic homo* (Jesus) *multa signa facit. Si dimittimus eum sic omnes credent in eum : & venient Romani & tollent nostrum locum & Gentem.* Ut ergo I. Reg. capite XV. 23. Saüli dicitur : *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare ; & quasi scelus Idololatriæ nolle acquiescere* ; quibus verbis declaratur, Saülem, etsi non erat Idololatra, mulctandum tamen regno esse, quæ fuisset pœna Idololatriæ debita, eò quod inobediens Deo fuisset, ita dum ait Apostolus ad Colos. III. 5. *Mortificate membra vestra quæ sunt super*

terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est Idolorum servitus; propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis, &c. Videtur enumerare quæ Judæis, licet Idololatriâ purgatis, impedimento fuerunt ne Christum agnoscerent & admitterent. Inter quæ majorem vim ad istum effectum contulit metus amittendi statûs & fortunæ temporalis, qui eos impulit ad rejiciendum Christum & agnoscendum pro supremo Domino Cæsarem, ne si Christum Regem proprium velle habere viderentur, *venirent Romani & locum ac Gentem tollerent.* Est ergo sensus illorum verborum: *avaritiam quæ est Idolorum servitus.* Avaritiam in Judæis, quos designat nomine, *filiorum incredulitatis*, ἰσοδυναμῶσαν *æquivalentem* Idololatriæ fuisse obstando ne Christum reciperent; sicut obstitura fuerat Idololatria si eâ præoccupati fuissent priùs quam ille apparuit & apud ipsos prædicavit.

Et potestas Christi ejus.

Hæc innuunt, non planè ab omnibus Israëlitis fuisse rejectum Christum; sed tantùm à pluribus ipsorum: cum tamen aliqui, minore licet, tamen haud usquequaque contemptibili ob sui exiguitatem numero; quippe qui ex dictis suprà cap. VII. ad summam centum quadraginta quatuor millium ascenderit, Christi agniti sese potestati subjecerint.

Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei.

Accusator respondet voci *Diabolus* quæ, ut diximus, delatorem & calumniatorem sonat, conveniens malo Dæmoni, qui cum inducat ad peccandum homines cupiditate procurandi eis quam maximum potest malum, ultrò defert Deo scelera ab ipsis impulsu suo facta, instat vehementer pro impetrandâ eorum ultione, offerens etiam se ad eam per sese exequendam: prout intelligere à simili licet ex iis quæ narrantur libri Job. cap. I. Hic ergo, postquam ipso instigante Israëlitæ in Idololatriam prolapsi erant, quod sæpe contigit ante captivitatem Babylonicam & reditum ex eâ, instare solitus erat apud divinam justitiam ut graves de iis pœnæ sumerentur, quarum ipse volens libensque minister erat, & ut esset in parte gratiæ poscebat; id quod non dubium est fecisse ipsum etiam in aliis criminibus Libidinis, Avaritiæ, Crudelitatis, & in omnium maximo deicidio suasu ipsius in Christum exercito. Iure igitur Angeli & Animæ beatæ gratulantur ejectum illum, & sic facultate ad malum Iustos incitandi, si non omnino, saltem magnâ ex parte privatum, per institutionem Ecclesiæ Christianæ, tot Sacramentis, ritibus, documentis munitæ adversus tentationes & insidias malorum dæmonum, & magnâ eorum per exorcismos pellendorum instructæ potestate. Quod qui hæc loquuntur viventes

Christianos fratres suos vocant, per id significatur, ista dici ab Animabus fidelium legis veteris, beatitudinem & cœli ingressum adeptarum Resurrectione & Ascensione Christi : præterea que illarum quæ post Christi religionem susceptam in gratiâ jam decesserant cum hæc Ioanni ostendebantur : dicitur enim *audita vox in cœlo*, ubi Animæ sanctæ, non minùs quàm Angeli tunc erant.

℣. 11. Et ipsi vicerunt eos.

Eos, dicit ; etiam si antea in singulari sit locutus de Dracone accusatore fratrum, vel quia per syllepticam prosopopœiam in uno *draconis* nomine colliguntur omnes mali Dæmones : vel quia cum Rex numquam intelligatur sine suo comitatu, ii quos suprà vers. 7. vocavit *Angelos Draconis* sub eo & pro eo *pugnantes*, in singulari licet ejus mentione putavit intelligi. Victum autem *Draconem & Angelos* fuisse hîc dicit, non ab iis solum qui pro Christi fide martyrium à Iudæis passi erant, ut Stephanus, Iacobus uterque Apostoli, & alii : sed etiam à reliquis Christianis qui morte defuncti naturali cœlo animas transmiserant : qui omnes & mundum & Diabolum verè dicuntur vicisse per fidem ac constantiam in eâ usque ad finem perseverantem. *Hæc est enim victoria quæ vincit mundum fides nostra.* Ioann. Ep. 1. cap. v. 4.

℣. 12. Propterea lætamini cœli & qui habitatis in eis.

Cum anteà singulari Cœli nomine, ut dixi ad vers. 1. Ecclesiam ex Circumcisione signasset, nunc videtur adjunctâ illi quæ jam coalescere incipiebat, Ecclesiâ ex gentibus, cœlos dicere : utriusque Ecclesiæ Fideles invitans ad communiter lætandum de coërcitione communis hostis : quæ illi spem auferat amplius quidquam proficiendi, instigandis ad Idololatriam Judæis : & quamvis inde concitetur ad vehementiùs obstandum conversioni Gentium, ut mox dicetur : tamen id illum quoque frustra tentaturum ex fiduciâ paris auxilii Ecclesiam ex Gentibus protecturi, & ex conjectura futurorum eventuum è præteritis ductâ, certum augurium capi.

Væ terræ & mari : quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam : sciens quia modicum tempus habet.

Ut in Prophetia de Rebus Judaicis à Cap. IV. ad XI. expositâ, *Mare* Urbem Hierosolymorum ; *Terra* Regionem universam Judaicæ ditionis, ut ibi diximus, significat ; ita in hâc, de Ecclesiâ ex Gentibus conversâ, *Mare* Urbem Romam : *Terra* ditionem Romanam universam, hoc est Gentes omnes Romano Imperatori subjectas. Exclusus autem Judæâ Lucifer Idololatriæ autor ; & olim per abjectionem Idolorum à tempore re-

ditus è Chaldæa: & recentiùs per Converſionem ad Chriſtum Judæorum plurimorum, & excidium ultimum planè decretum; & quando hæc Joanni revelabantur, jam executioni mandari ceptum, reliquorum Chriſto rebellium, conſilia & conatus, prout hîc dicitur, majori rabie vertit ad impediendam converſionem Romanorum & ſubjectarum his Gentium; conſolandumque continuandis eorum ſceleribus, dolorem quo urebatur ob ſalutem à Chriſto Iudæis credentibus allatam. Stimulabatur ad id citius ac vehementius conandum præſenſione quàm ex Prophetiis ipſi notis, & aliis conjecturis, qualium perſpicaciſſimus æſtimator eſt, ſatis certam habebat; fore ut brevi poſſeſſione Romani Imperii dejiceretur; & Roma ſe Chriſto ſubjiceret, hoc innuunt illa: *Sciens quia modicum tempus habet.*

℣. 13. Et poſtquam vidit Draco quod projectus eſſet in terram: perſecutus eſt Mulierem quæ peperit Maſculum.

Videns, excluſus Dæmon Iudææ poſſeſſione, nihil ſibi reſtare niſi Gentes, quæ tunc ferè omnes Romano Imperio parebant, cujus ipſe Principes *obnoxios ſibi* & ad nutum quocumque impelleret mobiles habebat, decrevit totis utiRomanæ potentiæ viribus ad extirminandos & perdendos, ſi poſſet, Prædicatores legis Chriſti. Id primò tentavit per Claudium: urſit poſteà efficaciùs per Neronem.

℣. 14. Et datæ ſunt Mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum.

Perſequentibus Chriſtianos Prædicatores Principibus Ethnicis duplex illis effugium patuit. Nam pars illorum ſtudio inſiſtendi ceptis, & conſtantiâ non deſerendi loci in acie tam juſta, excavarunt ſibi latebras ſubterraneas in ipſa Urbe Roma; inde occultè prodeuntes ad procurandam miniſteriis ſacris ſalutem animarum; Pars in ſolitudines avias, putà Thebaidis aut Nitriæ, ſe abdidere, contemplationi rerum cœleſtium ibi ſine Arbitris & interpellatione vacaturi. Utrumque hoc latebrarum genus *proprius* Apoſtolicorum hominum *locus* fuit: quippe aptus exercitiis vitæ hîc contemplativæ, ille activæ; quæ ambæ junctæ viri uſquequaque ſancti, & veri Evangelici Miniſtri officium abſolvunt. *Alæ* porrò *duæ* duos amores, quorum uno in Deum, altero in homines, ferebantur, indicant. Nam caritate in Deum trahebantur ad otium ſolitudinis, ubi liberiorem facultatem ejus contemplandi & puriùs in ſpiritu venerandi ſibi videbantur habituri. Caritate verò Proximi detinebantur in Urbibus ad juvandos homines. Diviſim igitur iſta ſumenda ſunt: meminiſſe enim decet, iſtam Mulierem non eſſe perſonam unam ſingularem, ſed cœtum multiplicem, cujus variam in communi omnium fugâ, fortunam *Ala duplex* ſymbolicè deſignat. Nec vacat, quod non *Columbæ alas*, quales olim David optaverat Pſal.

XIV. 7. Sed *Aquilæ* & quidem *magnæ* Ecclesia accepit : sic enim innuitur, Apostolicos viros, non ullo ignavo metu ; sed generoso majoris Dei gloriæ studio fugisse, cum alioqui mortem à Persecutoribus intentatam subire maluissent. Præterea convenit *Aquilæ* symbolum occupationi duplici latentium vel in Cryptis urbanis, vel in cavernis Eremi, & solitudinum Monasteriis Apostolicorum Hominum. Siquidem Aquila omnium avium altissimè volans, & solem inconniventibus figere oculis affectans, Contemplationem qua mens humana celsissimè in Deum attollitur, & ejus radiorum micantissimè lucentium flagrantem vim illæsa sustinet acie, adumbrat. Quoniam autem eadem Aquila è cœli vicinia, Solisque proximo intuitu, memor esurientium, quos in nido reliquit, Pullorum, ad terram revolat atque ad prædam : qua strenuè copioséque congesta prolem infirmam studiosè curat ac largè pascit : ad hoc exemplum Apostolici homines, spirituales venatores ex Orationis prodeuntes secessu, bonis dolis, & vi salutari animas capiebant, Infideles ad fidem perducendo : partos verò Christo jam filios sedulò alebant documentis & Sacramentis.

Ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis.

In his verbis vox *tempora* dualis est : significatur enim hîc idem spatium quod suprà vers. 6. memoratum dierum mille ducentorum sexaginta, efficiens annos tres cum dimidio. Inculcat ergo iterùm hoc loco Sacer Vates triennii & sex mensium decursu finiendas insectationes Christianisini per duos Cæsares ad prophetatum hoc capite intervallum palàm attentatas ; Claudium videlicet & Neronem. Ejectio Judæorum Româ per Claudium diabolico instinctu jussa, dici potest rudimentum Draconis Christianos persequi discentis. Ea cum ceperit anno ejus Imperatoris nono aliquot jam mensibus inchoato, & defierit ejusdem quarto decimo in ipsius morte, quæ contigit octavo mense post finem ejusdem tertii decimi, exactè finita est spatio trium cum dimidio annorum. Id apparuit in verâ jam & ab omnibus primâ numerata Christianismi persecutione per Neronem, & hanc potissimum hoc loco respectam suadet quod sequitur.

V. 15. Et misit Serpens post mulierem aquam tanquam flumen : ut eam faceret trahi à flumine.

Draco velut in Hydrum mutatus fluvium evomit in Mulierem : aptissimè hoc symbolo signatur Ecclesiæ prima extra Judæam persecutio, quia indicta est à Nerone ad restinguendum incendium invidiæ popularis in eum flagrantis ex opinione non contemnendis nixâ indiciis, qua vulgo putabatur idem Nero, incendium luctuosissimum quo è quatuordecim Urbis Romæ Regionibus decem ipsæ absumptæ fuerant, cum innumerabilium omnis Ordinis, ætatis, sexûs interitu hominum, ultrò procuravisse, in-

cendiariis immissis; & sparsis per vicos militibus qui restinguere parantium conatus aut prohiberent aut irritos redderent, ne interim immanis saevissimo Tyranno voluptas periret, ex altæ turris specula crudeles oculos pascenti jucunda imagine incendii Trojani, quod eodem ipse tempore scenâ repræsentatum domestica cantabat. Fecit ille quidem & molitus est multa ad istam sibi periculosam infamiam diluendam: *Sed* (ait Tacitus Annal. xv.) *non ope humanâ, non largitionibus Principis, aut Deûm placamentis, decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos* (cave credas maledico sancta opera flagitia vocanti) *vulgus Christianos appellabat. Autor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitialis superstitio rursùs erumpebat, non modò per Judæam, originem ejus mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis convicti sunt. Ea pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut Crucibus affixi, aut flammandi: atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo insistens: unde, quamquam adversus sontes, & novissima exempla meritos, miseratio oriebatur; tanquam non utilitate publicâ, sed in sævitiam unius absumerentur.* Hactenùs tanti fuit Tacitum audire: quem, uti judicem causæ Christianorum, in quos ferale odium ubique spirat, meritò recuso: ita libens oculatum testem immanitatis à Nerone ac Romanis exercitæ accipio; gratulans Prophetiæ hoc vers. 15. scriptæ veracitatem, rei quam illa prædicit eventu patratæ, narratione evidentiæ meridianæ & conscientiæ publicæ suffragio certissimâ, per eum clarissimè demonstrari. Est ergo flumen istud à Dracone in Mulierem immissum, prima Ecclesiæ persecutio Romæ per Neronem indicta: mira symboli elegantia ingeniosè designantis peculiarem ejus modum, quo velut charactere proprio à cæteris post secutis discernitur, in eo situm, quòd ea velut aqua, scelerati Principis artificio affusa est extinguendæ populari in eum invidiæ è famâ procurati per ipsum Urbis incendii exortæ. Et erat sine dubio illa vis tanta, quæ judicio res humanitùs æstimantium ineluctabiliter debuisset Ecclesiam Romanam in illa teneritudine initiorum exscindere funditùs; atque illam (ut in Græcis legitur Originibus) ποταμοφόρητον ποιεῖν: hoc est, ut acervum stipulæ torrente raptum in pelagus æternæ oblivionis exportare, nisi illa fuisset domus in Petrâ fundata cujus Christus meminit Luc. vi. 48. ejus enim *fundamento suprà Petram posito, inundatione factâ illisum est flumen domui illi, & non potuit eam movere. Fundata enim erat suprà Petram.* Ita ibi, satis accomodatè ad rem nostram præsentem, quod ut distinctiùs declarem volo hîc exponere quamdam speculationem

ſpeculationem meam, quæ utcumque primo aſpectu cuipiam inopinata videri poterit; confido tamen quemvis cordatum ubi cuncta perpenderit, haud prorsùs vanam eam & reſpui dignam judicaturum. Exiſtimo hanc ipſam in quâ conſiderandâ verſamur Eccleſiæ Romanæ, capitis Eccleſiarum, primâ Neronis perſecutione, ritu æſtuantis fluminis in eam fruſtrà illiſi, minimè concuſſæ, ſoliditatem, menti Chriſti quæ retulimus loquentis peculiariter obverſatam; & de induſtriâ Symbolo domûs, non in arenâ; ſed in vivo Saxo fundatæ fuiſſe deſignatam. Hoc mihi perſuadet illa ejuſdem promiſſio Petro facta Mat. xvi. 18. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quando autem in rem deductum id promiſſum eſt? Niſi quo tempore Petrus, Romæ præſens, & ore proprio prædicans, Eccleſiam Romanam, centrum unitatis Catholicæ Univerſo in perpetuum futuram Orbi; & per ſe condidit, inchoatam ſub Claudio prædicationem ſub Nerone proſequens; & hujus ſævitiâ crucifixus in Vaticano, ibidemque à Chriſtianis ſuperſtitibus ſepultus, & affluentibus eò è cunctis deinde per omnes ætates oris & Gentibus, Peregrinis in Chriſtum credentibus, cultus; Petram fundamentalem inconcuſſam ſpiritualis in terris Chriſti Imperii deficit *Saxo* immobiliorem *Capitolino*; in quo Ethnici pignus falsò ſperatæ temporalis Romanorum Imperii æternitatis reſidere ſomniabant, juxta illud Vatis ipſorum: *Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum Accolet, Imperiumque Pater Romanus habebit.* Sed ex digreſſiunculâ in viam redeamus.

Et adjuvit Terra Mulierem: & aperuit Terra os ſuum, & abſorbuit flumen, quod miſit Draco de ore ſuo.

Et hîc ingenium eſt in electione Symboli rem Prophetatam indicantis: antitheſim enim habet ſpecioſam auxilium Mulieri ab *aquâ* periclitanti, per *terram* allatum. Eventus autem ipſe ab eadem Hiſtoriâ Taciti tunc viventis & autoptæ declaratur, ut mox videbimus, ubi ſtatuerimus quid per *terram* indicetur. Ex materiâ ſubjecta quiſque prudenter reputans intelliget: Imperium ipſum ac ditionem Romanam, Urbem præſertim ipſam & Italiam *terræ* verbo deſignari. Ea enim quaſi ſuccidaneam ſe pro Eccleſia ad interitum ſubſtituit, & perniciem Chriſtianiſmo imminentem in ſui damnum ipſius avertens, effecit, ut exitium Eccleſiæ, Neronis edicto intentatum, ipsâ ſalvâ Eccleſiâ, in Urbis & Reipublicæ Romanæ graviſſimam Cladem & ruinam irreparabilem verteretur. Videamus jam quid narret conſequenter Tacitus. Ait I. Neronem uſum opportunitate incendii ſpatiique per id latè vacuati, impoſuiſſe cervicibus Romæ prodigioſæ amplitudinis & invidioſiſſimæ ſumptuoſitatis domum. verba hæc ejus ſunt: *Cæterùm Nero uſus eſt Patriæ ruinis: extruxitque domum in quâ haud perinde gemmæ & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem & luxu vulgata: quam arva & ſta-*

gna: & in modum solitudinem hinc Sylvæ, inde aperta spatia & prospectus. De hac domo Suetonius cap. xxxi. vitæ Neronis : *Domum à Palatio ad exquilias usque fecit, quam primò transitoriam, mox incendio absumptam restitutamque; auream nominavit* (significat idem posteà cap. xxxviii. ad laxanda spatia domui huic extendendæ procuratum ab eo urbis incendium) pergit de domo hæc dicere : *De cujus spatio atque cultu sufficerit hoc retulisse. Vestibulum ejus fuit in quo Colossus* cxx. *pedum staret ipsius effige, tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet. Item stagnum maris instar, circum septum ædificiis ad urbium speciem. Rura insuper vinetis ac pascuis sylvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores ex fistulis & unguenta desuper spargerentur. Præcipua Cœnatio rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumageretur* &c.

II. Addit Tacitus. *Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, Provinciæ eversæ, sociique populi; & quæ civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam Dii cessere, spoliatis in Urbe Templis, egestoque auro quod triumphis, quod votis omnis populi Romani ætas prosperè aut in metu sacraverat. Enimvero per Asiam atque Achaïam non dona tantum sed simulacra Numinum abripiebantur*, &c. Ad hoc idem tempus pertinet quæ de immanibus ejus rapinis, extorsionibus, sacrilegiis plura & horrenda Suetonius memorat proprio de his capite xxxii. ubi vocem ejus sæpe iterari solitam hanc recitat : *Hoc agamus ne quis quidquam habeat.*

III. Detectâ per id tempus conjuratione in Neronem (unam Tacitus, duplicem Suetonius numerat) ingens ab eo primariorum hominum cædes facta est, non compertorum modò sceleris illius, sed innocentium quoque opinione virtutis, nobilitate, dignitate, opibus illustrissimorum, in quibus Seneca Philosophus fuit. Vide horum Catalogos fusè descriptos à Tacito & Suetonio : quorum hic ubi multorum nomina conjurationis Pisonianæ vel Vicinianæ crimine aut suspicione peremptorum retulit, addit initio cap. xxxviii. *Nullus posthac adhibitus delectus aut modus interimendi quoscumque libuisset quacumque de causâ.* Hoc equidem potissimùm modo aversam à Christianis Neronis crudelitatem arbitror, novâ ei ex ipsis Ethnicis materiâ objectâ : & idipsum maximè indicari mentione istâ Terræ adjuvantis Mulierem, immisso in eam fluvio in sua ipsius viscera recipiendo : in quo imago & corpus allegoriæ ingeniosè sumitur à fluviis quibusdam, ubi aliquo spatio in suis conspicuè Alveis fluxerunt; inde in cæcos hiatus intra terram se demittentibus; inter quos præter alios in Europâ non paucos satis notos, est Flumen à Sancto Francisco nominatum in Brasiliâ, de quo egi cap. i. num. vii. libri ii. Historiæ Azevedianæ. Absorbuit ergo *Terra*, hoc est, Urbs ipsa & Respublica Romana immissum *ore Draconis*, hoc est, edicto Neronis instincti furiis mali dæmonis, in Ecclesiam fluvium, dum Neronis ejusdem crudelitatem in viscera propria conversam ferre coacta

est. Cujus etiam Symboli significatus jure potest ulteriùs extendi, in bella Civilia statim secuta, quæ initio ducto à Rebellione Caii Vindicis in Galliâ, hinc usque ad initium Imperii Vespasiani per tres ferè *annos* Romam, Italiam, & Gallias multo Romano sanguine fœdarunt, cum cæde quatuor Augustorum, Neronis, Galbæ, Othonis, & Vitellii, per quæ minæ in Rem Christianam intentatæ, magnam in Rei Romanæ pestem redundarunt. Ubi & illud obiter notari convenit : exactissimè quadrare in persecutionem Neronis memoratum antea spatium trium annorum cum dimidio : quippe ab anno ejus Imperatoris undecimo per mensem *inchoato* ducens initium, in ejusdem, semetipsum in summâ desperatione occidentis, tragicâ morte terminatur : quæ contigit anno ejus Imperii decimoquarto ; septem tantùm inchoato mensibus & aliquot præterea diebus.

℣. 17. Et iratus est Draco in Mulierem : & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei & habent testimonium Jesu Christi.

Hæc mentio *seminis*, hoc est stirpis, Sobolis, Posteritatis, indicat agi hoc loco de successoribus Apostolorum Petri & Pauli, qui Romæ gladio Neronis occubuerant : & deinceps dicenda pertinere ad posteriora Tito tempora. Titus enim ultimus est septem Cæsarum sub quibus quæ gerenda Romæ in Christianos erant describuntur hoc capite XII.

℣. 18. Et steti supra arenam.

Intellige ut sonat : Joannem sub Claudio apud Patmon exulantem, ut superiùs ex Epiphanio ad v. 9. capitis I. dixi : cum esset in maris littore, visionem vidisse quam sequens caput reddet. Sic Ezechiel cap. I. locum oblatæ sibi visionis designat : *cum essem* (inquiens) *in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei.* Et Daniel cap. v. 1. 2. *Ego Daniel . . . vidi in visione meâ cum essem in Susan Castro, quod est in Ælam regione.*



AD CAPUT XIII.

℣. 1. Et vidi de mari Bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem: & super cornua ejus, decem Diademata.

HOC capite prædicit Joannes quæ post Titi excessum successoribus Apostolorum Petri & Pauli, Neronis persecutione peremptorum, Christi fidem Romæ, per Italiam & Provincias Imperii prædicantibus illata mala sunt à decem Cæsaribus, persecutionibus in eos diverso tempore moventibus. Et sicut capite præcedenti per prosopopœjam propheticam conflavit in unam Mulieris personam multos & varios, partim Apostolos, partim Discipulos, qui fidem Christi Romæ prædicaverunt ab initio Claudii, usque ad finem Titi: ita nunc decem Augustos Christianismi persecutores, qui ab initio Domitiani usque ad Constantinum diversis temporibus, variis modis atque artibus Ecclesiam oppugnarunt, in unum unius Bestiæ compingit corpus: in quo tamen trium primorum ex ipsis peculiarem habet rationem, propriis eos characteribus insigniens: vel quod ii pernicioſiùs nocuerunt: vel quod exemplum dederunt cæteris; & sic juris & probi moris autoritatem infandæ iniquitati adjunxerunt. Hos designat mentione *Diadematum decem* sicut capite superiori vidimus *septem Diadematibus* septem Augustos illic à nobis enumeratos signari. Hæc *Diademata* dicuntur esse supra *decem cornua*. Rectè & verè. *Decem* enim *cornibus*, uti diximus, designantur Reges qui Romano Imperatori suberant. Nam & hic, uti olim Assyriorum Rex, Isai. x. 8. dicebat glorians: *Numquid non Principes mei simul Reges sunt?* Hæc est, *latio quæ servit Purpura ferro*, ut Lucanus loquitur. Ut igitur, qui Reges exteri, à tempore Claudii usque ad Domitianum, decem numero superiùs à me nominati Romanorum Cæsarum nutu regnarunt, *decem cornibus* figurati sunt capite præcedenti: sic in hoc quotquot simili conditione à fine Titi, usque ad pacem Ecclesiæ per Constantinum datam, Regna Gentium quarumdam Romano Imperio subjectarum tenuerunt, decem & ipsi numero, licet à prioribus ex parte diversi, à me postea distinctè nominandi, per *decem* hîc *cornua*, decem *Diadematibus*, hoc est totidem Cæsaribus supposita & subjecta designantur. Superest ut nominemus decem istos Cæsares qui generalem, legibus latis in Christianos omnes per totum Romanum orbem persecutionem indixerunt post mortem Titi, in quâ prior visio desinit. En eos. Hi sunt: Domitianus, Trajanus, Hadrianus, Severus, Decius, Gallus, Valerianus, Claudius, Aurelianus, Diocletianus. Non numero in his Antoninum Pium: quoniam ab eo

nullum promulgatum edictum in Christianos est, ut docet Tertullianus Apolog. cap. v. etsi sub eo quædam martyria fuere; Præsidibus operantibus vi promulgatarum à decessore Hadriano, & hujus Patre adoptivo Trajano, legum. multò minùs Marcum Aurelium: quia is lege lata persecutionem inhibuit, quam primis annis Imperii cursum suum tenere passus erat, à Trajano & Hadriano motam, Pii decessoris exemplo: non item Maximinum Thracem, duobus de causis, primò quia hic non generaliter Christianos omnes, sed solos ex iis Clericos insectatus est: Deinde quia cum peregrè sine consensu Romæ Urbis Imperium arripuerit & gesserit, Senatu Romano eum hostem judicante, & alios in Imperium tamquam vacuum deligente, non potest dici pertinere ad Bestiam è *Mari ascendentem*, de quâ hoc capite agitur. Mare quippe in hâc Prophetiâ Urbem Romam signat, in quâ Maximinus Thrax numquam Imperator fuit, nec ejus consensu talis agnitus; aut ab eâ in solium provectus, quod hîc vocatur, *ascendere de mari*; quod decem illis aliis à me recensitis verè convenit. Denique Volusianus à Patre in Imperii consortium allectus unum cum illo facit. Uti & Maximianus Herculius cum Diocletiano, à quo acceptum Imperium ita cum eo concorditer gessit, ut simul pariter illo abdicante deponeret. Idem dicendum de Galerio Maximiano, & per hunc ad Cæsaris dignitatem evecto Maximino, qui prius Deja vocabatur; tum de Maxentio Herculii filio, pariterque de Licinio, quem ultimum persecutorum Constantinus qui evexerat, evertit. Hi enim etsi persecutores Christianorum sæviissimi fuere, appendix tamen tantum, & ut Tertullianus aliâ occasione loquitur, *Portio* Diocletiani haberi debent, à quo ut communi fonte derivatam potestatem, itemque crudelitatis exemplum habuerunt. Quamquam horum quoque distinctionem & numerum occultè innuit sacer vates, ut mox videbimus, dum Diocletianum ultimum Diadematum decem, *pedum Bestiæ* peculiari Symbolo designat, quadrupes enim bestia, qualis pardus est, quatuor utique insistit pedibus: qui & ipse numerus hîc dicis causa & rotundè pro aliquanto majori ponitur. nam hi revera paulò plures quatuor fuere.

Et super capita ejus nomina blasphemiæ.

Capita, ex dictis, septem Urbis Colles, diis quique propriis dicati, Templa horum aræque cum inscriptionibus divinitatis & immortalitatis indicibus: statuas quoque Imperatorum cum Divi & Dei appellationibus ostentantes, verè hîc dicuntur, præferre *nomina blasphemiæ*.

℣. 2. Et Bestia quam vidi similis erat Pardo, & pedes ejus sicut pedes Ursi: & os ejus sicut os Leonis.

Quemadmodum in somniata Nabuchodonozori statuâ Dan. II. 31. uno mystico corpore quatuor mundi Imperia figurabantur: ita tamen ut pro-

prietates singulorum & ordinem inter se successionis, particularium membrorum vel materia, vel situs, vel forma distingueret, ut ibi Propheta Daniel subtiliter exponit: ita in hâc bestiâ uno pariter symbolico simulacro decem post Neronem Christianismi persecutores Romanos Augustos colligente, quædam inest nonnullorum ex iis peculiaris indicatio; primi nempe & postremi singulariter; mediorum octo, communiter. Primus ordine cum sit Domitianus jure illi proprium tribuitur caput bestiæ, os nempe Leoninum, moribus ejus immaniter truculenti; apprimè quadrans. Sævitiam & crudelitatem ejus infandam horribilibus exemplis demonstrat Suetonius in ipsius vitâ totis cap. x. & xi. uti & rapinas extorsionesque ejus recenset. cap. xii. Elationem & superbiam (quæ pariter à Leonis symbolo rapacis & arrogantis feræ non abhorrent) cap. xiii. quarum qualitatum & signum & effectum exhibet cap. xiv. his ipsis verbis: *Per hæc terribilis cunctis & invisus, tandem oppressus est, Amicorum libertorumque intimorum conspiratione, simul & uxoris.* Quæ magnam habent emphasim immanitatis intolerandæ. uti & quod idem cap. xxiii. addit: *occisum eum Senatus adeò lætatus est, ut repletâ certatim Curiâ non temperaret; quin mortuum contumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum genere laceraret. Scalas etiam inferri, Clypeosque & imagines ejus coràm detrahi, & ibidem solo affligi juberet. Novissimè eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.* Hæc ille Historicus idololatra Christo infensissimus: atque adeò propter Christianorum odium quod & alibi, & cap. xvi. ostendit, vocando Flavium Clementem consularem Domitiani patruëlem, ab illo Tyranno, quòd esset Christianus (ut aliunde scimus) interemptum, *virum contemptissimæ inertiæ*, deprehensus omisisse inter ambitiosè recensita longis capitibus duobus Domitiani crudelitatis exempla stragem Christianorum ab ipso factam: quam syncerius scribens non dissimulavit Dion Cassius, dum ait de Nervâ Coccejo Domitiani successore: *Omnes qui impietatis in Deos rei fuerant, absolvi voluit; & exules in patriam reduxit, vetuitque edicto ne liceret, aut impietatis aut Judaicæ Sectæ* (sub qua Pagani Christianos comprehendebant,) *quempiam dehinc insimulari.* Quæ manifestè indicant inhibitam à Nervâ Christianorum persecutionem, ab ejus decessore sævè indictam & exercitam. Ex his simul omnibus perspicitur, quàm rectè, os & caput leoninum Bestiæ decem Cæsares Christianismi Persecutores uno symbolico corpore signantis, dicatur hîc primus eorum ordine temporis, Domitianus.

Corpus deinde Bestiæ distinctum à pedibus, qui, ut paulò post dicemus, Diocletianum indicant, octo medios Persecutores comprehendit, Trajanum, Adrianum, Severum, Decium, Gallum, Valerianum, Claudium, Aurelianum. Hos omnes unâ communiter insignit *similitudine Pardi*, imitatus Danielem; aut potius eodem quo Daniel inspirabatur instinctus spiritu. Is enim cap. vii. quatuor Imperia totidem Bestiis repræsentans, tertium, quod est Græcorum, vers. 6. sic figurat: *Post hæc aspi-*

ciebam: *& ecce alia* (beſtia) *quaſi Pardus*. Comprehendit hæc Alexandrum & Succeſſores ejus in Regno Syriæ, Phrygiæ, Macedoniæ, & Ægypti, amplectens omnes generali ſymbolo varietatis in pelle ac pilis propriiſſimæ Pardorum, maculis verſicoloribus guttatorum: quo alludit illud Jeremiæ cap. XIII. 23. *Si mutare poteſt... Pardus varietates ſuas, &c.* Aptè iſta puncta nigra, candida, flava, cærulea, omnis denique coloris inſperſa pelli ac villis Pardi, diverſitatem adumbrant Succeſſorum Alexandri ab ipſo & inter ſe invicem? Quàm enim ortu, fortunâ, ſtudiis, moribus, ingenio, diſſimiles fuere quatuor primi qui regnum Alexandri partiti ſunt, Seleucus, Lyſimachus, Caſſander, Ptolemæus? Quàm ab his & ſeipſis varii qui cujuſque iſtorum Regna longâ ſerie ſucceſſionis exceperunt? In eandem ſignificandæ diverſitatis per Pardum partem trahi poteſt nomen *Panther* unde eſt Panthera quæ fœmina Pardi eſt, ut ex collatis Ciceronis epiſtolarum locis, cum loco Plutarchi in vitâ M. Tullii manifeſtè cernitur. Etſi uſu invaluerit, ut ſola fœmina Pantheræ nomine ſignetur, Mas latinè Pardus, græcè πάρδαλις audiat: tamen, ut notat Iſidorus, priſcum maſculi Pantheræ vocabulum fuit *Panther*, græcè πανθὴρ, quæ vox *omnem feram* ſonat. Quaſi variis illis ſphærulis omnium colores proprios ferarum referentibus, quæ pellem hujus animalis ſcutulatim pingunt, indicet omnium in ſe uno reſidere ferarum feritatem. Obſervare tamen convenit, ex mente docentis Danielem ſancti Spiritûs, hoc ſymbolum primariò & præcipuè quadrare in Alexandrum Magnum Græcorum Imperii fundatorem primum, in cujus naturâ, ſorte, vitâ & actis inſignes reperiuntur cum Pardo ſimilitudines; ob quas non minùs aptè cum hoc comparetur Alexander, quàm Nabuchodonoſor cum leæna, & Cyrus cum urſo: quæ ſunt illic prima & ſecunda beſtia: quarum illa Chaldæorum Imperium à Nabuchodonozore fundatum: hæc Perſarum Monarchiam armis & victoriis Cyri partam adumbrat. Primùm Pardus animal eſt Leone minus mole corporis: ſed animoſitate ac viribus non impar; adeò ut, (quod Dabir Arabs ſcribit) *cum naturali feratur in Leonem odio* ut pugnæ inter eos ad omnes occurſus; *ita victoriæ alternæ ſint*. Pardus prætereà curſu velociſſimus, ſaltu incitatiſſimus promptiſſimuſque eſt. unde Habacuc I. 8. de ſtrenuiſſimo Equitatu Chaldaici exercitûs: *leviores* (inquit) *Pardis equi ejus*. Et de agilitate ſaltuum S. Cyrillus in eum Habacuc locum: πιδητικὴ ὁ λίαν ἡ πάρδαλις, καὶ πολυ λίαν ἐυπετὴς εἰς τὸ καταθράσκειν δύναδ τῶν διωκομένων *Pardus ad ſaltum eſt valde agilis & promptus ad inſiliendum in eos quos inſequitur*. Vera dos Alexandri, qui & ſtaturâ multis inferior, & opibus modicus; quippe regni Macedonici non magni hereditarius Princeps, auſus exiguo exercitu Regem magnum Perſarum, centenas & millenas myriades ſub ſignis habentem, aggredi, vicit & regno ſpoliavit: *terrarumque orbem* (ut ait S. Hieronymus) *victoriis potiùs quàm præliis, totum* velociſſimè *percurrit*. quare meritò Theodoretus ad Dan. VII. ſcribit eum juſtè Pardo conferri διὰ τὸ ταχὺ καὶ ὀξὺ, *propter*

velocitatem & expeditum ad insultus impetum. Sed addit mox idem καὶ τὸ ποικίλον : *præterea propter pellis variegatæ discolores maculas* : quæ videlicet inconstantiam morum, & vitiorum cum virtutibus mixturam in Alexandro animadversam exprimunt. Nam is aliàs castus, aliàs libidinosus : sæpe sobrius, aliquando ebriosus ; in hoc quoque à Pardi similitudine non recedens, qui, ut ex Arabe Algiahid refert Damir : *potu vini delectatur, & cum alicubi illi apponitur, eò se avidè ingurgitat usque ad ebrietatem.* Denique alia quoque fuit Alexandro similitudo cum Pardo, quod uterque bene oluisse naturaliter dicitur. de Pardo Aristoteles Problematum Sect. XIII. §. 4. διάτι (quærit) τῶν μὲν ζώων οὐθὲν ἐνωδές ἐστιν, ἔξω τῆς παρδάλεως ; *Cur animalium nullum suaviter olet, præter Pardum?* Unde idem in Hist. Animal. lib. IX. cap. VI. sic scribit : λέγουσι, ὃ κατανενοηκῆαν τὴν πάρδαλιν, ὅτι τῇ ὀσμῇ αὐτῆς χαίρουσι τὰ θηρία, ἀποκρυπτουσαν ἑαυτὴν θηρεύειν. *Aiunt Pardum scientem suavi ex se exhalante odore gaudere & allici feras cæteras, sese abdere, ut eas se admoventes, inopinatò insiliens venetur.* Eadem mira dos Alexandro convênit autore Aristoxeno, ex cujus Commentariis hæc Plutarchus describit : ὅτι τοῦ χρωτὸς ἥδιστον ἀπέπνει καὶ τὸ στόμα κατεῖχεν εὐωδία, καὶ τὴν σάρκα πᾶσαν, ὥστε πληροῦσθαι τοὺς χιτωνίσκους : *Odorem ex cute ejus gratissimum exhalasse : os quoque & carnem totam tantùm spirasse suavis fragrantiæ, ut eâ interiores tunicæ penitùs imbuerentur.* Hæc etsi loco è Daniële recitato propria videntur, hîc non frustra descripsimus, quòd ad illius exemplum putamus hanc quoque Joanni nunc oblatæ visionis partem conformatam : atque adeò, sicut ibi tota collectio Principum qui Græcorum Imperium administrarunt, ab Alexandro Magno ejus conditore, usque ad Antiochum item cognomento Magnum, in quo à Scipione Asiatico acie victo, & cedere cunctis cis Taurum montem regionibus coacto, id videtur defecisse ; occupante jam ejus locum Romano Imperio : ita generatim figuratur maculis versicoloribus Pardi, varietates & dissimilitudines multiplices inter sese Regum istorum indicantibus : ut tamen in Autore ac conditore primo Græcorum Imperii peculiariter immoretur, & firmiùs hæreat comparatio cum Pardo, multis iisque luculentis, prout ostendimus, paritatibus : simili modo in hâc etiam, octo Cæsares Persecutores Christianismi uno corporis Pardi, caput inter ac pedes seorsim memoratos extensi symbolo significante Prophetiâ ; primum universaliter debet intelligi, diversitates notabiles horum inter se invicem Principum, colli, tergi, ac ventris Pardi maculis variè coloratis, quibus tota Pardi pellis guttatim inspergitur, exprimi ; sic tamen, ut in primo eorum Ulpio Trajano, tanquam in *præcipuo analogato* (si liceat hanc è Dialecticorum scholis vocem mutuare) peculiariter resideat collatio, lucidiúsque signetur : quare utrumque demonstrare singillatim operæ pretium hîc fuerit. Aio ergo primò istos octo Cæsares rectè Pardo communiter figurari, quia utcumque conveniant in atroci Christianorum odio, in cæteris tamen ferè cunctis insigniter

ſigniter differunt. Incipiamus à patriâ : ex his Trajanus & Hadrianus ambo Hiſpani fuere, cives Urbis Italicæ vocatæ in Turdetaniâ Hiſpaniæ Provinciâ. Severus Afer natione fuit, ex urbe Lepi. Decius Bubaliæ ſive Budaliæ, quæ Urbs eſt inferioris Pannoniæ, natus; Flavius Claudius, à Trebellio ortus è Dalmatiâ dicitur, è Majoribus tamen Italis, nam Gentis Flaviæ Romanæ indicium prænomine ferebat. Aurelianum obſcuris parentibus natum dicunt, quidam in Daciâ, nonnulli in Mœſiâ, alii Sirmii in Pannoniâ. Sortis, adeptionis, principatûs, morum naturalium civiliumque qualitatum ac dotium: ſtudiorumque ac voluntatum non minor inter hos diſcrepantia, facilè obſervabilis eorum Hiſtorias legenti. Una hîc notari digna, quod omnes à nullâ admodum è plurimis quæ per Orbem tunc vigebant ſuperſtitionibus vaniſſimis, & non rarò turpiſſimis, abhorrentes, in ſolam Religionem Chriſtianam unam ex omnibus veram ferali odio ferebantur; quod eam Stygiæ originis & Magiæ vi pollere, temerè crederent. Similes & in hoc, Pardo de quo Iſidorus lib. XII. cap. II. *Omnium animalium amicus eſt, excepto Dracone.* Ex his apparet quàm propriè octo Cæſaribus adaptetur Pardi ſimilitudo. Nunc demonſtrandum, ſingulari eam ratione primo eorum Trajano quadrare. Non ſine cauſa turbæ is eximitur à Prophetâ noſtro, dum ejus unius ſub finem hujus capitis nomen numeris deſignat, ut ibi videbimus. Nero & Domitianus qui Eccleſiam antè Trajanum oppugnarunt, minùs nocuerunt, quod per immania ſcelera infames inviſique, opinionem illi potiùs conciliarunt probitatis & innocentiæ: nam ut de Nerone Tertullianus ſcribit Apol. cap. VI. *Qui ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Tum adjuncto ei Domitiano, de utroque ſimul addit, *Tales ſemper nobis Perſecutores, injuſti, impii, turpes; quos & ipſi damnare conſueſtis, à quibus damnatos reſtituere ſoliti eſtis.* Trajanus primus ad peſſumdandam Religionem Chriſtianam virtutis opinione ſubnixus acceſſit: unde ejus odium præjudicii vim habuit apud Poſteros. Huic ergo peculiariter pùtamus ex ſacri Vatis mente Pardi varietates convenire: homini hinc juſto & prudenti, forti & felici, illinc ebrioſo & obſceno; nam vinolentiæ adeò compertus fuit, ut Ælius Spartianus, dixiſſe Hadrianum referat: *Se cum Trajanum ad Bellum Dacicum familiariùs proſequeretur, vino indulſiſſe Trajani moribus obſequentem.* Ejuſdem intemperantiæ notam Trajano quoque Dion Caſſius inurit: ut ſit ei & Alexandro magno iſta quoque cum Pardo vini avido ſimilitudo communis. At Trajani propria alia eſt macula fœdior, nefarii flagitii lege quoque Romana Scantiniâ damnati, nempe παιδεραστείας, quâ ſe ille adeò ultra omnem omnium Imperatorum licentiam, notabilem præbuit, ut ſummus ejus alioqui admirator Julianus, in ludo quem *Cæſares* inſcripſit, ſic ejus ad Jovis convivalem aulam ingreſſum expreſſerit: ὁ τραϊανὸς εἰσήρχετο φέρων ἐπὶ τῶν ὤμων τὰ τρόπαια, τότε γετικὸν, καὶ τὸ παρθικὸν, ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὁ Σειληνὸς ἔφη. λανθάνειν τε ἅμα καὶ ἀκουεσθ βουλόμενος. Ὥρα νῦν τῷ δεσπότῃ Διὶ σκοπεῖν, ὅπως ὁ Γανυμήδης αὐτῷ

φρουρήσεται. *Trajanus ingressus est humeris trophæa gestans Geticum & Particum, quo Silenus viso, voce submissâ, ut tamen exaudiretur, dixit: tempus nunc est Domino Jovi etiam atque etiam providendi, quo satis valido præsidio sibi custodire Ganymedem queat.* Enormis sanè tam spurcæ nequitiæ excessus in Trajano ab Ælio Spartiano proditus est, dum significat, eum istâ sua explenda libidine ne Hadriano quidem, consobrini sui filio, quem posteà adoptavit, pepercisse. Fragrantiam quoque suprà memoratam Pardi eatenus in Trajano agnosco, quatenùs ea symbolum vulgare bonæ famæ est; quàm ei conciliarunt civiles, popularesque virtutes, privata occultantes vitia: & favor felicitatis inoffensæ, successuumque nusquam interrupta splendissimorum series, fidem passim faciens suffragantis ipsi Divinitatis; magnis præsertim ingeniis eloquentiæ vi totâ in hæc ornanda celebrandaque contendentibus. Hæc fuit εὐωδία *suavis odor* Pantheræ istius, magnum ei usum præbens efficacissimè nocendi Christianis; quos non more leonis, ultrò adiens & streperè insectans, venabatur: sed astu Pardi subsidens, & sub moderationis ac clementiæ obtentu insidioso latens, expectato incautorum prætereuntium accessu, in eos jam saltui contiguos ex occulto erumpens irruebat discerpens & vorans. An non enim ea est sententia famosi ejus ad C. Plinium Bithyniæ Proconsulem de Christianis rescripti: *Conquirendi non sunt: si deferantur & arguantur, puniendi sunt?* Audi Plinium Seniorem, Hist. Natural. lib. x. cap. LXXIII. *Insidunt Pardi condensa arborum, occultatique eorum ramis in prætereuntia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur.* Hactenus Caput & corpus Symbolicæ Bestiæ, non frustrà sejunctim memorata consideravimus: de *pedibus*, hoc est ultimo è Decem ibi signatis Persecutore nunc agendum. Est is Diocletianus cum tribus ejus Collegis odio Christianismi similibus, in ipso intellectis: Maximiano Herculio, Galerio Maximiano Armentario; & alio, quem Armentarius ad purpuram promotum Maximinum nuncupavit: quibus se alii duo aggregarunt Maxentius & Licinius, sine augmento numeri, ut in Symbolicis, ad quatuor aggregandi. Hi pedes quadrupedis mysticæ; & si, ne decem Diadematum numerum augeant, in uno supremam iis potestatem communicante, singulariter expressi. Quod hi *pedes ursini* dicuntur, in Græco πόδες ὡς ἄρκτου, vel indicatur futuros omnes illos *arctoos*, hoc est Septemtrionales. nam triones septem stellas polares, in unam Græci Astrologi Constellationem compingunt ἄρκτον *Ursam* vocatam. Erat autem Diocletianus quidem è Dalmatiâ, & quidem genere vili, Libertus Anullini Senatoris, ut ei signandæ humilitati captatum videri queat pedis, infimi membri, & humi repentis, Symbolum. Nec clarior natalibus Maximianus Herculius fuit, oriundus Sirmio in Pannoniâ, unde ortum quoque alterum Maximianum ab hoc adscitum in consortium Imperii, licet credere, communi, prænomine ac nomine, natalium parium, quin & cognationis interipsos, facientibus fidem. Licinius certè disertè affirmatur ab Eutropio Oriundus è Dacia. Dalmatia por-

rò, Pannonia & Dacia Septentrionales Italiæ ſunt. Vel iſta *pedum Urſi* mentio refertur ad ſignificatum crudelitatis ab his quatuor Perſecutoribus majoris quàm ab ullo ſuperiorum exercitæ. Nam inſtrumentum ſæviendi præcipuum Urſi habent pedes, Capite infirmi: pedibus autem, quos humanarum ſimilitudine manuum, unguibus armatos præacutis & rigidiſſimis habent, prædam fortiſſimè arripientibus & diſcerpentibus rabie ferinâ.

Et Dedit illi Draco virtutem ſuam & poteſtatem magnam.

Diabolus Romanæ Idololatriæ autor & præſes, horum Decem Perſecutorum quos ſibi obnoxios & fore morigeros ſciebat in Chriſtianis quantum poſſent perdendis, evectionem in Imperium procuravit, eoſque in eo ad ſuum arbitrium adminiſtrando totis viribus adjuvit.

℣. 3. Et vidi unum è Capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem.

Si, quod certum habemus ex dictis ad v. 3 ſuperioris capitis, Montes ſeptem Romæ Urbis, omnes *Capita Draconis*, hoc eſt Idololatriæ Romanâ ſubnixæ potentiâ, vocantur: quantò juſtiùs hoc nomen tribuetur Capitolio, qui mons peculiariter à capite humano illic invento appellationem nactus iſtam eſt; & erat ut Lactantius Lib. III. cap. XVIII. loquitur, *Romanæ Urbis & Religionis Caput ſummum.* Significatur ergo his verbis conflagratio Templi Jovis Capitolini quæ accidit poſt Othonis mortem, pugnantibus intrà Urbem Vitellianis & Flavianis; quorum hi Arcem Capitolii tenebant: illi eos inde pellere nitebantur. Quanta ex hoc eventu Idololatrarum conſternatio ſit ſecuta, declarant Taciti verba Lib. Hiſt. III. ſeu ut alii numerant, Annalium XIX. ſic ſcribentis: *Id facinus poſt conditam Urbem luctuoſiſſimum fœdiſſimumque Reip. Pop. Rom. accidit, Nullo externo Hoſte, propitiis, ſi per mores noſtros liceret, Deis; Sedem Jovis Opt. Max. auſpicatò à Majoribus pignus Imperii conditam: quam non Porſena deditâ Urbe, neque Galli capta, tenere potuiſſent, furore Principum excindi. &c.*

Et Plaga mortis ejus curata eſt.

Veſpaſianus ut primum Romam advenit, *curam reſtituendi Capitolii* (verba ſunt Taciti Lib. XX. Annal. circa medium) *in Luc. Veſtinum confert.* Addit, multo ſuperſtitionis apparatu rem curatam, repoſito in prioris veſtigiis Novo Templo, altitudine tantùm Ædibus adjectâ. quoniam id ſolum Religio annueret; & prioris Templi magnificentiæ defuiſſe judicaretur. Id opus tunc ceptum, ſed ſeriùs perfectum, opportunè ad commendanda Imperii Domitiani initia, per Orbem celebri famâ innotuiſſe innuunt ſequentia.

Et admirata eſt univerſa terra poſt Beſtiam.

Beſtiam hic dici peculiariter Domitianum partem & Caput Leoninum prius figuratæ Beſtiæ declaratur infrà cap. XVII. 11 verbis illis *Beſtia quæ erat et non eſt ipſa octava eſt, & de ſeptem eſt.* quibus deſcribi Domitianum ibi manifeſtè Demonſtrabimus. Prædicitur ergo hîc divulgandâ per Orbem famâ reparati magnificentiùs quàm priùs Templi Capitolini forte ut per nationes univerſas Idololatras ſubjectas magnus in novum Principem plauſus favore ac veneratione conjunctus excitaretur ob tale perfectum Opus, quod à Patre ipſius licet inchoatum tamen ipſe in ſolidum adſcribebat ſibi. quò pertinent hæc verba Suetonii in ejus Vita cap. v. *Plurima & ampliſſima opera incendio abſumpta reſtituit. in queis erat & Capitolium quod rurſus arſerat.* Rurſus arſiſſe dicit, Vitelliano videlicet civili bello, cum reſpectu ad antiquius ejuſdem Templi incendium; cujus, loco paulò ante citato, Tacitus meminit his verbis : *Arſerat & ante Capitolium civili Bello, ſed fraude privatâ: nunc palam obſeſſum, palàm incenſum &c.* pergit Sutetonius: *ſed omnia ſub titulo tantum ſuo, ac ſine ullâ priſtini autoris memoriâ.* ſanè Statius illius temporis ſcriptor totam ejus operis gloriam Domitiano aſſignat, Libri IV. Sylvarum Carm. III. cui titulus eſt: *via Domitiana* dum eum deſignans ait:

Qui reddit Capitolio Tonantem.

Aſſignat & Martialis Statii æqualis Ep. IV. Lib. IX. adulatoriè negans, ſolvendo eſſe Jovem pro quanto Domitiano debeat.

Pro Capitolinis quid enim tibi ſolvere Templis.
Vel pro Tarpeiæ frondis honore poteſt?

Idem anteà Ep. X. Libri VI. fingit ſibi Jovem aliquid poſcenti, reſponſum ab ipſo: *Ille Dabit qui mihi Templa dedit.* quo utroque in Loco Poëta Templorum non Templi meminit. cauſam docet Suetonius cap. v. modò Laudato, poſt jam deſcripta ſubjungens: *Novam autem excitavit Ædem in Capitolio Cuſtodi Jovi.* duo ergo Templa Domitianus Jovi dedit in Capitolio, alterum ex incenſo reparatum, alterum de novo ſtructum : ſicque & Idololatriæ autoritatem adjunxit magnam, & ſibi admirationem conciliavit (ut hic dicitur) Gentium ſuperſtitioni deditarum. Porrò latenter his innuitur ratio ob quam eventus incenſi Capitolii, licet ad argumentum Capitis præcedentis pertineret: quippe complectentis ea quæ à Principatu Claudii ad finem Titi contigerunt, in hoc tamen memoraretur: ob commendationem videlicet venerationemque ex tali occaſione in Domitianum dum is deinde rerum potiretur, redundaturam. quâ ille intumeſcens eò pro-

niùs esset prorupturus ad conatum exscindendæ Christianæ Religionis, cultum Idolorum damnantis.

℣. 4. Et adoraverunt Draconem qui dedit potestatem Bestiæ.

Bestia hîc latiori significatu sumitur non pro Domitiano solo, ut versu præcedenti, sed pro aliis simul Cæsaribus qui Christianos vexarunt: quibus id commune omnibus fuit, ut & ipsi crederent, & cunctis persuasum esse vellent, prosperitatem ac potentiam Romanam victoriasque de tot Gentibus, Floremque Imperii, donum esse Deorum, Romanis concessum in præmium Idololatriæ quam Urbs Romana à sui principio constantissimè tenuisset. Atque hinc persecutores fuisse motos ad perdendam Religionem Christianam plerique illorum profitentur in edictis contrà eam promulgatis, qualium illa ferè tralatitia præfatio est: se cum ingentibus & continuis Deorum immortalium qui Romanum Imperium, ut condiderunt & auxerunt; ita tueri, ac provovere non desinunt, beneficiis fruantur: pati non posse cultum eorum à Christianis non solùm negligi; sed damnari & vetari. Idem à Præsidibus, Proconsulibus aliisque quovis nomine Ministris persecutionum ad singulas quæstiones Christianis *Confessoribus inculcatum* videre passim est in omnibus ferè, quæ extant plurima, Martyrum Actis. Ait igitur hîc sanctus Vates Gentes per terrarum Orbem innutritas Idololatriæ, cum viderent summâ felicitate florere Romanam Rempublicam, facilè inductas ad id imputandum Religioni ipsorum, indéque motas ad colendos adeò potentes & beneficos eorum Deos. Nam quanta vis successibus prosperis sit ad persuadendum, honestas & Deo caras vitas & actiones esse, utcumque aliàs dubitabilis qualitatis, eorum qui illis dignantur; docet inter alia, quod ait Cicero in oratione pro Ligario, post Cæsaris de Pompejanis partibus plenam victoriam, de tota illâ causâ & controversia Civili differens: *Principum dignitas erat pene par: causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte quod probari posset. Nunc melior certè ea judicanda est quam etiam Dii adjuverunt.* En ut vir prudens qui certissimè anteà credidisset, injusta esse arma Cæsaris; cum illum victoriâ potitum vidit, ex hoc sumpsit argumentum judicandi, meliorem fuisse illius causam, & numinis favore Acta ejus approbantis, felicitatem istam illi concessam. Quantò magis credibile est Gentiles per Orbem plurimos, haud æquè ac Cicero sapientes, visâ, quæ sub tribus Principatibus Domûs Flaviæ fuit; maximè autem sub post continuè secuto Trajani Imperio; tranquillitate, opulentiâ, victoriis in Asiâ Europâque splendidissimis, ex his persuaderi sibi passos, ingentem & ineluctabilem esse Deorum, quos Romani colerent, quorum ope præsidioque tantum possent, vim autoritatemque; ac consequenter numen verum. Unde ad Deos falsos hîc Draconis vocabulo signatos *adorandos*, ut hoc loco dicitur, incitabantur.

Et adoraverunt Bestiam, dicentes: quis similis Bestiæ? Et quis poterit pugnare cum eâ?

Non solum ad falsos Deos adorandos Gentiles movebantur istâ felicitate Rei Romanæ, cujus istos autores opinabantur: sed ad ipsos quoque Imperatores pro Diis colendos non modò post ipsorum mortem, & quæ omnibus his à Senatu decerni solebat, solemnem ἀποθέωσιν *relationem in Deorum numerum*, post quam *divi* nominabantur: sed etiam dum adhuc viverent, quod Propheta noster hîc affirmat de Persecutoribus Christianorum, quales decem hîc comprehendit uno Bestiæ Symbolicæ simulacro. Facile esset id de singulis monstrare. Sed sufficiet in duobus primis istâ fungi diligentiâ, Domitiano & Trajano. Priorem ex his adhuc viventem appellatione & cultu divino donatum ab Ethnicis, his testimoniis probatur. Statius in Hendecasyllabo inscripto, *Via Domitiana*; sic de Domitiano loquentem inducit Sibyllam Cumæam.

En hic est Deus: hunc jubet beatis
Pro se Iupiter Imperare terris.

Et Paulo post:

Salve Dux hominum, & parens Deorum.
Prævisum mihi cognitumque numen.

Martialis lib. VIII. Ep. II. Domitianum vocat:

Terrarum Dominum Deumque rerum.

Deum eumdem dixerat Ep. II. & IV. lib. VII. Epigr. autem III. libri V. facit ita loquentem Diegim Decebali Regis Dacorum fratrem, Romam ad Domitianum, appulsum:

Sors mea quàm fratris melior, cui jam propè fas est.
Cernere, tam longè quem colit ille, Deum.

Ubi vides, etiam à longinquis Gentibus & Regibus dici, cultum pro Deo Domitianum adhuc viventem. Adde id, sciente, volente; quin jubente ipso Domitiano factum. Audi Suetonium cap. XIII. libri de vita ejus sic loquentem: *Pari arrogantiâ cum Procuratorum suorum nomine formalem dictaret Epistlam, sic cepit: Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Ubi vides unde Martialis hauserit putidissimam assentationem quâ Ep. VIII. lib. V. scribit de Domitiano agens.

Edictum Domini Deique nostri.

Itemque lib. VI. Ep. X.

Dic precor ô nostri dic conscia Virgotonantis.

Et lib. VIII. Ep. I.

Tu mihi tu Pallas Cæsariana veni.

Utrobique alludens approbando ad illam ridiculam Domitiani vanitatem, quâ se virginis Minervæ filium dici & credi volebat, ut sic adaptaret sibi Prophetias veteres quas in Hebræorum antiquissimis libris à Josepho Judæo Historico sibi familiari, legi audierat: quibus prædicebatur, extiturum quemdam Principem, Virginis filium, cujus regnum in terris foret æternum. Parùm autem coli se ut Deum, habuisse illum, nisi Templum ultrò ipse sibi erigeret, docet Suetonius cap. V. *Excitavit inquiens Flaviæ Templum Gentis?* Templum videlicet Patri suo Vespasiano, Fratri Tito & sibi, tribus Augustis è Gente Flaviâ dicatum: Ejus æternitatem ædificii auguratur & vovet adulatoriè Martialis Ep. II. lib. IX.

Tarpeja summi Saxa dum Patris stabunt,
Manebit altvm Flaviæ decus Gentis,
Cum Sole & astris cumque luce Romanâ,
Invicta quidquid condidit manus, Cælum est.

Ejusdem structuræ magnificentiam, & superbum usque ad Jovis invidiam ornatum, idem alibi adulator celebrat, dum Ep. XXXV. lib. IX. scribit Jovem viso Templo Gentis Flaviæ, Vespasiano Patri & cæteris Domûs ejus Augustis structo, sic compellasse Phœbum, Dianam, Herculem, & Mercurium filios suos, qui Ædem ei quàm potuerant pulcherrimam in Cretâ insulâ sacravissent,

Gnosia vos, inquit, nobis monumenta dedistis.
Cernite quàm plus sit Cæsaris esse Patrem.

Hæc, ni fallor, ostendunt quam verè hic à Prophetâ nostro prædictum sit, fore ut Domitianus, per Bestiam signatus, tamquam Deus adoraretur. videamus nunc id etiam in Trajano secundâ ejusdem Bestiæ parte evenisse. Plinus secundus Epist. XVIII. libri X. sic ad Trajanum Imperatorem scribit: *Propositus est libellus sine autore multorum nomina continens qui negarent se esse Christianos aut fuisse: cum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac*

vino supplicaverit, &c Paulò post de aliis addit: *Omnes imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt.* Satin clarè ex his apparet, non solis Idolis per Draconem indicatis divinum cultum; sed & Imperatoribus Christianos persequentibus Bestiæ Symbolo expressis, quod hic dicitur, impensum? Causam autem quâ ad tam stultam impietatem pertraherentur infelices illi adorantes ut Deum quem mortalem & sibi similem hominem viderent; exprimunt verba sequentia: *Dicentes: quis similis Bestiæ, & quis poterit pugnare cum eâ.* Potentiam nimirum Romanorum Cæsarum in terris maximam: quibus quidvis jubentibus (se autem jubebant adorari) qui renuere auderet, nullo patrocinio effugere perniciem extremam posset. Sic Phavorinus, apud Gellium negabat, se, utcumque naturâ liberrimum, velle quamlibet justâ de causâ Hadriano Cæsari (qui & ipse ad nostram Bestiam pertinet) resistere, quod is ad manum & nutum promptas haberet triginta legiones. Exertè id de Diocletiano profitentem audi Aurelium Victorem: *Dominum palam dici passus est, & adorari se colique uti Deum.*

℣. 5. Et datum est ei os loquens magna & blasphemias.

Hæc ei peculiariter convenire quem supra vidimus os Bestiæ Leoninum vocari, oris, opinor, hic iterata mentio suadet. *Magna* hîc videtur poni pro *arrogantia* & *minacia.* Ut in illo Virgil. Æneid. x.

Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cæloque animum fortasse ferebat:
Canitiemque sibi & longos promiserat annos.

De Anxure qui acie pugnans Æneam sibi occurrentem à se perimendum jactaverat; adeò non credens illius se mox manu (quod contigit) periturum, ut longam inde sibi vitam promitteret. Majori dementiâ Domitianus, audito in fatis esse, ut per ea tempora è Davidis stirpe nasceretur quidam filius Virginis æternùm regnaturus, jactavit, deleturum se funditùs Davidis stirpem; sicque in se, Pallade Virgine, ut credi volebat, natum aversurum promissam oraculis felicitatem Imperii nullo umquam fine desituri. Hæc illum cogitasse docet ex Hegesippo Eusebius Hist. lib. III. cap. XIX. & XX. referens conquisitos ad necem jussu Domitiani Posteros tunc superstites Davidis olim Regis, quos Christiani δεσποσύνας *Desposynos* vocabant, quod χριστῦ δεσπότου συγγενεῖς *Christi Domini consanguinei* essent. Etiam Daniel. cap. VII. 8. & 20. tribuit Antiocho Epiphani, Domitiani Parallelo, *os loquens grandia & ingentia*, ea nimirum quæ locutum ipsum refert Autor libri II. Maccab. cap. IX. 4. *se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulcri Judæorum eam facturum. Blasphemias* quod attinet, non est dubium quin quando Christianismi excidium decrevit Domitianus, Christo maledixerit ejus autori. Quamquam ad hujus Prophetiæ blasphe-

maturum

maturum Domitianum prædicentis eventum demonstrandum abundè, ni fallor, est, quod dixisse illum ex Suetonio retuli : se *Dominum Deum esse.*

Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

Si rectè ineatur numerus temporis quo Domitiani persecutio duravit, reperietur non excessisse usitatum persecutionibus spatium annorum trium cum dimidio. Nam ut Baronius evincit ad annum Christi 93. Domitianus persecutionem inchoavit cæde Cleti Romani Pontificis, qui ex Petavio anno Christi 91. Domitiani undecimo Martyrium fecit, cum sedisset annos XII. menses VII. Imperavit Domitianus annis quindecim expletis & diebus præterea sex. cepit enim præesse statim à morte Titi Fratris quam certum est contigisse Plautio Sylvano & Annio Pollione coss. anno Christi 81. Idibus Septembris. Occisus autem Domitianus est, Fulvio Valente & Antistio Vetere coss. anno Christi 96. XIV. Kalend. Octobris. Incepit annus Domitiani undecimus, primus persecutionis, à die XIII. (sive idibus) Septembris anni Chr. 90. & desiit die eadem recurrente anni Chr. 91. persecutio vero cepit non ab ipso initio anni undecimi Domitiani : sed ab octavo ejus mense, Aprili videlicet anni Chr. 91. Nam Cletus primus in eâ Martyr Aprilis die XXVI. coronatus est. Si ergo à medio Aprili anni 91. tres annos cum dimidio numeres, pervenies ad medium Octobris anni Chr. 94. Post quod cum Domitianus, qui ad Christi 96. pervenit, die Septembris XIX. interfectus, duos adhuc ferè solidos in vitâ & Imperio anno duraverit oritur difficultas in definiendâ, prout hîc dicitur, persecutione Domitiani spatio duorum & quadraginta mensium qui annos tres cum dimidio exactè conficiunt. Sed ejus diluendæ duplex ratio est : prior quam suggerit Tertullianus sic scribens Apol. cap. VI. *Tentaverat Domitianus* (Christianos persequi) *sed facile ceptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat.* Et Hegesippus apud Eusebium Hist. lib. III. cap. XX. referens eum *Desposynos* quos ad se adduci jusserat, auditos miseratum incolumes dimisisse. His si duobus antiquissimis credimus, dicere possumus anno eum Imperii suo XV. ineunte finem Christianos vexandi feciſſe. Scio Baronio id non probari, qui perseveravisse Tyrannum istum usque ad mortem in odio Christianorum putat. Cæterùm idem viam non minùs commodam suggerit explicandæ propositæ perplexitatis. concedens relaxatam quidem & interruptam aliquando postquam indicta est Domitiani persecutionem : sed negans illud remissionis intervallum ad finem ejus Imperii pertigisse, quem existimat constare, in flagranti & actu exercitâ adversùs Christianos sævitiâ mortuum. Dicamus ergo licet ; persecutionem istam quadraginta duobus omninò mensibus, sed non continuis, durasse, immissis inter eos remissionis intervallis, quæ simul juncta annum circiter explerent. Ita hujus Prophetiæ cum eventu consensio constat plenissima : & simul apparet causa, cur per menses potiùs hoc intervallum signatum sit : quòd hi minus quàm anni continuationem indicent.

℣. 6. Et aperuit os suum in blasphemias in Deum blasphemare nomen ejus.

Si de eodem ageretur, equidem non puto futurum ut hîc statim iterarentur eadem verba versus præcedentis, repetitâ mox mentione *oris* in *blasphemias* aperti. esset enim otiosa tautologia. Dicamus ergo, quoniam hæc *bestia multorum est capitum*, prout expositi, blasphemias versu superiori memoratas proprias esse Domitiani in hac decade primi; eas quæ hoc memorantur; in totum reliquum Bestiæ corpus cum pedibus, novem alios complectens Christi hostes Cæsares, extendi. fuit enim revera scelus horum omnium commune, ferale odium, phanaticus contemptus, & ex his erumpens effrenis maledicentia in Deum Christianorum, quem passim blaterabant esse infirmum, injustum, invidum, quem hostem bonorum Deorum, non nisi stygia vi pollentem, inde quippe mira, quæ Deus frequenter operabatur in Martyribus, manuefaciens immissas in eos feras: illæsos ab igne, ab aquis præstans, sauciis, mutilatisque, truncata membra sanitatemque subitò reddens, illi videntes magicis artibus imputabant, prout cernere est in cunctis ferè quæ extant passorum sub his Martyrum Actis. Ex hoc Tyrannorum usu emanabat in populum protervia similis obtrectandi Deo quem Christiani venerarentur; in quem dicta nefanda omnium assiduè per illa tempora Paganorum ubique audiebantur. Hinc Tertullianus refert Apol. cap. XVI. spectatam Romanæ, Severo imperante, propositam publicè tabulam, ubi erat depicta forma hominis monstrosa, *togati*, *librum gestantis*, *asininis auribus*, *altero pede ungulato*. Supra scripto hoc titulo: *Deus Christianorum ononochytes*: quæ ultima vox Græca Latinè sonat: *asininè ungulatum*. Hæ sunt in Deum & Dei nomen *blasphemiæ* ore *Bestiæ* profusæ.

Et Tabernaculum ejus.

Non in Deum tantum Christi Patrem indulgebant linguis impiis persecutores: sed potissimùm in Christum; quem passim patibularium, cruciarium, ob sua meritò scelera damnatum, dici vidimus in edictis Principum contrà Christianos, & in quæstionibus Præsidum ipsos interrogantium & damnantium. Ostendi pluribus supra ad v. 19. & ultimum capitis XI. *Tabernaculo* significari Christum viventem in terris vitâ mortali: uti idem post resurrectionem glorificatus *Arcæ Testamenti* Symbolo designatus in scripturis propheticis est, ex hâc observatione, quam confido illic à me satis solidè probatam, intelligendum hîc est per *Tabernaculum* indicati Christum in terris viventem, cujus memoriam persecutores Christianismi Cæsares maledictis probrosissimis fœdare conabantur, ut modò dixi. Sane Joannes Evang. cap. I. 14. Assumptionem corporis mortalis à Verbo Di-

vino factam vocabulo exprimit; *Tabernaculum* signante. Pro illis enim eo loco Vulgatæ verbis: *Verbum Caro Factum est, & habitavit in nobis*: in originali græco legitur: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Verbum in his ἐσκήνωσεν à σκηνὴ ductum est, voce *Tabernaculum* signante: unde, quod sensum exprimens posuit Vulgatus, *habitavit*, pressiùs ad verbum dici posset: *tabernaculum fixit.* inde generaliter omne corpus humanum mortale σκήνωμα *Tabernaculum* vocatur: prout patet in illis verbis II. Petri cap. I. 13. *Quamdiu sum in hoc Tabernaculo*: ἐφ' ὅσον εἰμὶ ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι.

Et eos qui in cœlo habitant.

In Græco legitur: καὶ τοὺς ἐν οὐρανῷ σκηνοῦντας. σκηνοῦν ex dictis, statum non usquequaque perfectum, aut perpetuò durabilem designat; talis est Animarum corporibus solutarum interim dum resurrectionem expectant, in cœlo degentium. Tales prædicari ac celebrari passim à Christianis animas Martyrum pro Christo passorum, impatientissimè Tyranni Persecutores audiebant, ut innumeris locis acta vetera & Historiæ primorum sæculorum Ecclesiasticæ testantur. Quare non solùm exquisitâ diligentiâ curabant aboleri, aut occultissimè abscondi Martyrum corpora, ne honorarentur à Christianis viventibus: sed & illorum animas reas, & à Diis in Tartaro cruciari blasphemè jactabant, ut hîc dicitur.

℣. 7 Et datum est illi bellum facere cum Sanctis & vincere eos.

Ad totam hæc Bestiam pertinent; universos inquam eâ signatos Persecutores Decem: quorum unicuique jure dicere potuit Ecclesia illud Christi ad Pilatum Joan XIX. 11. *Non haberes potestatem adversum me ullam nisi datum esset desuper.* Permissione igitur peculiari Providentiæ divinæ docet hîc sacer Vates fuisse concessum Domitiano, Trajano, Severo, Diocletiano reliquisque suâ vice ac tempore infestis Christianismo Cæsaribus facultatem in *Sanctos* sæviendi, *Sancti* quasi proprio nomine Christiani dicebantur Apostolicis temporibus, prout è plurimis Paulinarum præsertim Epistolarum, aliorumque Novi Testamenti Scriptorum Locis patet. *Bellum facere* ut sit aliud quam *grassari* aut *Latrocinari*, publicam Legitimi Reipublicæ Præpositi autoritatem innuit: quâ palàm, re deliberatâ, denuncientur Inimicitiæ hostiles, vi, manu, ferro flammâque exercendæ in certam hominum Nationem aut Sectam hoc mereri judicatam: significatur ergo his verbis Decem istos Cæsares publicâ, quam obtinebant, Imperii Romani potestate, decrevisse, jussisse, ac, quantum in ipsis fuit, perpetrasse Christianismi excidium & abolitionem. Permissum verò ipsis est in hoc usque ad necem Christianorum sævire; salvis animabus: ut olim Diabolo Deus indulsit de Jobo Libri Job. II. 6. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.* nisiquod

illic *anima* pro vitâ corporis ſumitur ; in quam jus tunc Diabolo Deus non dedit. Dedit autem poſtea & Judæis in Chriſtum & Tyrannis in Chriſtianos poteſtatem etiam eos vitâ corporeâ privandi. cæterùm ibi metam fixit violentiæ illorum, in ſola vim experturæ ſuam Corpora, incontinguis eorum ſævitiæ Animabus, hoc eſt ſpiritibus carnis ſemel vinculo ſolutis, quibus nec ferrum nec ignes quidquam nocent, idcirco non timenda verâ innocentiâ, fide, ac caritate ſubnixis, juxta illud Chriſti : *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere* Mat. x. 28. Iſta porro permiſſa Tyrannis occiſio Corporum victoria quædam ipsorum eſt; ſed pluſquam Cadmea ; quippe quæ non ſolum vincenti par malum inferat ; ſed victum coronet, victorem condemnet. Pari ſenſu ſupra cap. xi. 7. de Enocho & Eliâ ſcriptum vidimus ; *Et cum finierint teſtimonium ſuum. Beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos* ubi ultimum & expoſitivè ſumi debet, æquivalens τῷ *id eſt.*

Et data eſt illi poteſtas in omnem Tribum, & Populum, & Linguam & Gentem.

Decem hâc Beſtiâ ſignatis Perſecutoribus Chriſtianorum commune fuit obtinere in ſolidum plenam Imperii poteſtatem in omnes latè Gentes per Aſiam, Africam, Europam. nihil enim uſque ad ultimum illorum de Romano quàm latè ſub Trajano aut Severo patuerat Barbararum incurſiones Gentium uſurpare, nequidquam conatæ, potuerant. quod poſteà fecerunt. Exiſtimo tamen hoc loco per Beſtiam peculiariter ſignari Trajanum & ejus Imperii felicitatem, cui par nulli umquam ante aut poſt Cæſari Romano contigit. Summus ſane hic apex & flos fuit Idololatriæ Romanæ regnantis. Nam cum Trajanus ingenti ſtudio patriæ ſuperſtitionis tuendæ propagandæque teneretur; nervoſque omnes in id contenderet ; contigit illi occulta & mirâ ratione Judiciorum Dei, proſperitas gerendarum bella & pace rerum maximarum quanta ferè maxima ſperari optarive humanitùs poteſt. Quam ille acceptam Diis ſuis referens, incredibile dictu eſt, quantum & ſe ipſe & alios in avitò Idolorum cultu frequentando ac mordicùs renendo confirmaverit. Hi ſucceſſus arcano, ut dixi, & miro cœleſtis Providentiæ conſilio indulgebantur ad certos fines incompertos humanæ prudentiæ, cui magna occaſio ſcandalum in Chriſti cruce patiendi ſic offerebatur. Ideò attinuit ad ſalutem Electorum ipſos de his præmoneri ; & jam nunc diſcere Victorias & celebritatem famæ illam quâ Idololatria ſeſe magnificè jactatura olim foret, à Deo indulgendam ipſi eſſe : qui cum talia Hoſtibus tribuat, ſuos utique deſerturus in periculo non ſit. Porrò quod dixi Characterem propè manifeſtum Trajani temporum in his cerni, certò demonſtrat comparatio Principatûs ejus cum præcedentibus & ſecutis. Veſpaſianus & Titus ſatis habuerunt Rem Romanam Civili Bellorum poſt Neronem ortorum commotione quaſſatam conſtituere, & Idololatriæ famam atque autoritatem

incendio Capitolii valde per orbem imminutã. Templi ejusdem restitutione reparare. Nationes Exteras Imperio de novo adjungere ne tentarunt quidem. nisi quod sub Vespasiani mortem Cneius Julius Agicola memorabilem Britannis subigendis navavit operam. Domitianus verò Tito succedens, unicam expeditionem in Decebalum suscepit Dacorum Regem, cum quo nulla re gesta pacem fecit, fœdè victus ipse ac fugatus à Marcomannis: quamquam nihilominus Romam rediens de Dacis triumphavit, non sine risu consciorum. Vide Dionem Lib. LXVII. Nerva brevi sexdecim mensium Principatu nihil auxit rem Romanam. At Trajanus Decebalum vicit, Daciam in Provinciam redegit, Armenos, & iis finitima Regna domuit. Præterea Sarmatas, Osrhoënos, Arabas, Bosphoranos, Cholchos, Adiabenos, Romano Imperio adjecit; Parthorum fines irrupit expeditione felici quâ Parthici titulum meruit. Urbes maximas expugnavit, Arbella, Gaugamela, Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem: quibus rebus tantam orbe toto sui admirationem concivit, ut etiam à non subjectis Romano imperio Gentibus celebraretur; ut inter alios ab Indis, qui per honorificam ad eum Legationem miserunt, prout hæc omnia videre est apud Dionem Lib. LXVIII. Ex quibus facile apparet quàm eximiè Trajano conveniant hîc dicta: *Data est illi potestas in omnem tribum, & Linguam, & Gentem.* Defluxit enim hæc Romanæ Rei cum Trajani vita prosperitas: Deo, insolescenti fortunæ modum æquum statuente; & videlicet ulcisci incipiente Christianum sanguinem. Nam Trajani Successor Hadrianus ne parta quidem retinere potuit, nedum nova cumulare, coactus initio Principatûs Libertatem Parthis reddere; iisque Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam à Trajano ademptas restituere. Septem alii Cæsares nostram Bestiam conflantes præclarè omnes secum agi putaverunt si fines Imperii jam positos tuerentur, omissâ spe ac curâ promovendi: excepto forte uno Severo qui Parthos domuit.

℣. 18. Et adoraverunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in Libro Vitæ agni qui occisus est ab origine Mundi.

In his verbis antè omnia notanda est trajectio multos in errorem inducens & solicitudinem quærendi; quo vero sensu dici possit Christus *occisus ab origine mundi*: quem certum est necem subiisse post annum à Mundi origine quater millesimum. Et in id quidem illi multa ingeniosè conferunt probabiliter inventa. Sed non erat necesse conflictari, cum, ex mente S. Joannis hæc scribentis τὸ *ab origine mundi* non ad *occisus*, referatur; Sed ad, *sunt scripta nomina*. Docet nos hoc ipse infra cap. XVII. 8. ubi formulam eamdem iterans eam sine trajectione sic exprimit: *quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ à constitutione mundi.* In Græcis originibus utroque pariter loco legitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, quod Latinus Interpres ibi *à constitutione*: aliàs, hoc nempe, loco quem tractamus, *ab origine mundi*, redd-

dit. in quo nihil significavit aliud, nisi Decretum Dei æternum Prædestinationis, ad Christi religionem Homines, ex præviso consensu futuro eorum ad gratiam, vocantem, Generaliter enim de omnibus ad Christum conversis verum est quod S. Lucas de quibusdam ipsorum scripsit Act. XIII. 48. *crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam.* Vitam nempe gratiæ in viâ. non enim hic agitur de finali electione ad beatitudinem æternam: ad quam illa quidem prior vita ordinatur: sed mediâ conditione perseverantiæ, interim dum vivitur, incertæ. neque enim Christiani omnes constanter usque ad mortem in gratia perdurant. Licet Christus eo illis animo primam conversionis gratiam dederit, ut in ea perstantes ad Cœlestem felicitatem perveniant, prout ipse, duo illa signatè distinguens, declarat verbis illis Joan. x. 10. *Ego veni ut vitam habeant*, en vitam gratiæ in via, *Et abundantiùs habeant.* en vitam gloriæ in patria. Jàm exponamus cætera hujus Versus verba. Ait in eo Joannes *Bestiam* hoc est, Romanos Cæsares Persecutores decem, etiam dum adhuc viverent fuisse Cultos pro Diis & adoratos *ab omnibus inhabitantibus terram, quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni.* hoc est ab omnibus Romano Imperio subjectis, iis tamen exceptis qui Christi religionem profitebantur. ostendi suprà de Duobus ex his Persecutoribus decem, Domitiano nempe & Trajano, fuisse illos dum viverent adoratos: probarique idem facilè posset de aliis octo, nisi quia hoc videre passim licet apud ferè omnes qui de iis scripserunt, Autores Veteres, eam operam & moram lucrifacere satius ducerem. Tantum affero Plinii Proconsulis verba testantia, fuisse notissimum, Christianos nulla vi posse adigi ad Cæsares adorandos, cum enim Epist. XCVII. Libri X. ea quæ aliàs descripsimus retulisset: de oblatâ à se quibusdam Christianismi suspectis imagine Trajani ad eos explorandos: quam illi, ut jubebantur adorassent, thure adolevissent, vinoque libato venerati essent; mox addit: *Quorum nihil posse cogi dicuntur, qui sunt revera Christiani.*

℣. 9. Si quis habet aurem audiat.

Imitatur solemnem apud Græcos Præconum formulam hîc facer Vates: illi enim proclamaturi Edictum Principis aut Reipublicæ, audientiam sibi parabant fortiter intonandâ voce illâ. ἀκουε πᾶς *audi quisquis ades.* Ita Joannes in procinctu promulgandi mox ponendum Dei decretum quo Persecutoribus Christianorum denuntiatur: actum iri cum illis lege talionis, ritè priùs captat attentionem quorum interest id nosse. Additur tantùm extraordinaria conditio: *Si quis aurem habeat*: quam & Christus adhibuerat Matt. XV. 15. XIII. 9, 23. VII. 16. Luc. VIII. 8. XIV. 35. cujus ea ratio est ut significetur præoccupatio & ἀπροσεξία *diversio ab attendendo* eorum qui admonentur: qualis sine dubio magna erat in istis Tyrannis; spem ferè nullam relinquens profectûs ullius ex comminatione: quæ tamen omitti non debuit; pertinet enim ad demonstrandam justitiam ultionis secuturæ. Si-

mul indicatur: non defuturos qui aliquid utilitatis ex istâ prænunciatione sint percepturi, ut pote qui *aures habeant*, hoc est, docilitatem ad credendum. Hi erant Christiani fide præditi; quibus solatio futurum erat in ærumnis persecutionis, scire pœnam futuram Tyrannorum injustè grassantium. Futuri quoque videbantur ex ipsis Gentilibus minùs perturbatis, qui aliquantulùm moverentur minis hisce divinis; præsertim ubi experimento cerneretur eas in rem deduci.

℣. 10. Qui in captivitatem duxerit in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.

Comminatio hæc Prophetica, quâ decem Persecutoribus Bestiam hanc symbolicam conflantibus denunciatur, passuros eos similia eorum quæ Christianis injustè ac crudeliter fecerint; quàm vera fuerit, breviter hoc loco demonstrandum est enumeratione finis obituque singulorum. Primus horum Domitianus à Stephano quodam, aliisque sex conjuratis *contrucidatus est septem vulneribus*, ait Suetonius, fusè rem narrans cap. XVII. vitæ ejus. Trajanus in pleno victoriarum cursu, summo ætatis vigore, quippe vix paululùm sexagenario major, cum athleticâ corporis habitudine facilè ad octogenariam senectutem perventurus speraretur, repentè veneno (ut est creditum) extinguitur Selinunte in Ciliciâ. *Hadrianus*, (ait Spartianus ejus vitæ Scriptor) *ultimo vitæ tædio jam affectus, gladio se transfigi à Servo jussit: quod cum proditum esset, ingressis ad se Præfectis & Filio, rogantibusque, ut æquo animo necessitatem morbi ferret, iratus illis, autorem proditionis jussit occidi.... iterùm se conatus occidere, subtracto pugione savior factus est: petiit & venenum à Medico, qui seipse ne daret occidit.* In eâ desperatione hic tertius Persecutor infelicem projecit animam: cui malè, quod merebatur augurando, hæc moriens dicebat:

Animula vagula blandula,
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula;
Nec, ut soles, dabis jocos.

Quartum Severum Antoninus filius *coram universo exercitu districto gladio sua manu interficere conatus est; feciſſetque, ni clamore eorum qui simul equitabant perterritus fuisset.* Refert Baronius ex Dione, addens: *impietatem* ingrati filii objurgare verbis contentum miserrimum Patrem, in illa postmodum mœstitia periisse: timentem maximè Getæ alteri filio cui sciret Antoninum esse infensum; quemque posteà in matris gremio confodit. Quintus Persecutor Decius unico Imperii anno exacto, adversus Gothos

Mœsiam & Thraciam infestantes dimicans, à Treboniano Gallo Limitanei exercitûs Duce proditus, extincto filio, ipse equo salutem fuga captans, in profundam paludem incidit, à qua confestim absorptus, nusquàm ampliùs visus est; ut pluribus narrat Aurelius Victor: Lactantius tamen in nuper edito libro de Mortibus Persecutorum paulùm diversè de Decio sic scribit: *Extitit execrabile animal Decius, qui vexaret Ecclesiam: & quasi hujus rei gratiâ provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinùs contra Deum cepit, ut protinùs caderet. Nam profectus adversùm Carpos, qui tum Daciam Mœsiamque occupaverant, statimque circumventus à Barbaris, & cum magnâ exercitûs parte deletus, nec sepulturâ quidem potuit honorari; sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus.* Ita ille, demersionem nusquam reperti cadaveris, ut videtur, ignorans. A cunctis his discrepant Chronica duo Eusebianum & Alexandrinum, in quibus legitur: Decium cum filio in Abyrto aut Abritto fuisse occisum. Illud ex his tenendum quod inter omnes constat: Decium & citò & dirè periisse. Proditor hujus & Successor, imitatorque in Christianorum infestatione Gallus, quorum sextus à Domitiano Persecutor fuit: nec diù impunè tulit: nam tertio Imperii anno, unà cum Volusiano filio, quem collegam adsciverat, interfectus est. Valerianus Gallum excepit, sævissimus & ipse Christianorum Persecutor; ordine in hac serie septimus. Hunc videtur proprié spectare *captivitatis* hîc facta mentio: nam post exagitatam atrociss imè Ecclesiam annis tribus cum dimidio, dum anno Imperii sui sexto ab obitu Galli computato, contrà Persas exercitum duceret, proditione cujusdam sui Ducis captus, & à Rege Sapore in Persidem abductus, frustrà solicitantibus ejus liberationem fœderatis Regibus, quorum officia & litteras Trebellius describit, postquam est ibi diù coactus calcandum se præbere Sapori Regi, quoties equum inscenderet, eo pro scabello uti solito, quod Aurelius Victor, Eutropius, Lactantius lib. de Mort. Persec. num. v. tandem, ut Constantinus Augustus Oratione publicè dicta, ab Eusebio relata lib. v. de vita Constantini cap. XXIV. disertè asserit, Lactantio idem confirmante, vivus excoriatus & condiri jussus, sempiternum calamitatis suæ trophæum spectandum præbuit; cum probrosissimo dedecore Imperii Romani, quod chlamyde indutus purpurea, & reliquo Imperiali ornatus cultu, illud tam servile Barbaro Regi obsequium exhibuisset. Tam manifesta apud omnes calamitatis adeo pudendæ causa, ut confestim captivitate Patris audita Gallienus filius ejus, & in Imperio Collega, persecutionem in Christianos desinere jusserit, ejusque consilii præsentem fructum continuò tulerit, possessione diuturna Imperii à Tyrannis non paucioribus triginta, multis nequidquam annis oppugnati, quod certè mirum fuit in Principe, nec strenuo alioqui nec prudente. Nec tamen id deterruit Flavium Claudium à Persecutione in Christianos iteranda; cujus pœnas dedit secundo Imperii anno lue occumbens. Nonus Persecutor, laudatus alioqui & amatus Princeps, medio

in ipso

in ipso ac florentissimo cursu rerum, anno Imperii sui septimo tragicè confossus à suis est. Vide Flavium Vopiscum in ejus vitâ: & audi Constantinum Augustum in Oratione superiùs laudatâ sic eum alloquentem: καὶ σὺ δὲ Αὐρηλιανὲ φλὸξ παντων ἀδικημάτων, ὅπως ἐπιφανῶς διατρέχων ἐμμανῶς τὴν Θρᾴκην, κοπεὶς ἐν μέσῃ λεωφόρῳ, τοὺς αὔλακας τῆς ὁδοῦ ἀσεβοῦς αἵματος ἐπλήρωσας; *Tu item Aureliane fax omnium iniquitatum, quàm præsenti & perspicuâ divini Numinis vindictâ, dum furore percitus Thraciam percurreres, in medio viæ publicæ cæsus, sulcos aggeris publici impio sanguine complevisti?* Non omittenda de eodem Lactantii verba sic scribentis num. VI. *Aurelianus qui esset natura vesanus & præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus & pœnæ; iram Dei crudelibus factis lacessivit: verùm illi ne perficere quidem quæ cogitaverat licuit; sed protinùs inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad Provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, & jam Cœnofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsâ quadam suspicione ab amicis suis interemptus.* Sic ille. Ultimus Persecutor tetrius fuit Monstrum quàm Priorum quisquam: non modò immanitate sæviendi, qua per motam Persecutionem decimam, ea proportione novem præcedentibus majorem, qua decumanus fluctus abundantia & vehementia superare prægressos dicitur; delere obruereque irreparabiliter Christianam rem, si ea humanis solùm opibus staret, potuisse visus est: sed etiam eò quod mirè conflata in unum multiplicitate Tyrannorum, suprà tricorporis Gerionis fabulosum exemplum, veram speciem exhibuit plurium sub uno capite belluarum rabiosissimo furore in Christi Ecclesiam debacchantium. Tota res hic accuratiùs declaranda est, è recentissimè productis quæ antehac multis sæculis latuerant magno Historiæ damno, memoriis. Docet nos quædam Lactantii de Mortibus Persecutorum liber, cura Viri Doctissimi Stephani Baluzii de re litterariâ optimè meriti, anno 1679. editus; præter ea quæ jam ex aliis habebantur: nempe Diocletianum compotem factum Imperii, collegam sibi etiam Augusti nominis Maximianum Herculium adscivisse: Constantium Chlorum, & Galerium Maximianum Armentarium, inferiori Cæsarum gradu, participatione summæ potestatis aspersisse: illud addit non perinde notum aut creditum, ultimum è quatuor nominatis Armentarium, furore ac væsaniâ cunctos superasse, ipsumque primò compulisse invitum, & aliquamdiù reluctatum, Diocletianum ad funditùs extirpandam Religionem Christi: deinde vi ac minis eumdem adegisse ad abdicandum Imperium. Ut informetur notitia distinctior hujus Hominis verba quædam Lactantii referam. sic de illo scribit Num. IX. *Inerat huic bestiæ naturalis barbaries & feritas à Romano sanguine aliena. Non mirum, cum mater ejus Transdanubiana, infestantibus Carpis, in Daciam novam trajecto amne confugerat* (paulò post tradit: hujus Matris suasu & impulsu, & concepisse ipsum Armentarium, & Diocletiano arte ac vi magna infudisse odium stygium Christi) *Erat etiam corpus moribus congruens, statu celsus, caro in-*

gens, & in horrendam magnitudinem diffusa & inflata. Denique & verbis & actibus, & aspectu terrori omnibus ac formidini fuit. Socer quoque (Diocletianus) *eum metuebat acerrimè.* Infrà num. XXI. de ejus crudelitate: *Quid lusorium vel delicias ejus referam? Habebat Ursos ferocia ac magnitudinis suæ similimos, quos toto Imperii sui tempore elegerat: quoties delectari libuerat, horum aliquem afferri nominatim jubebat. His homines non planè comedendi, sed absorbendi objectabantur: quorum artus cum dissiparentur, videbat suavissimè; nec umquam sine humano cruore cœnabat.* Denique num. XXVII. de eodem hæc addit: *Olim quidem ille, ut nomen Imperatoris acceperat, hostem se Romani nominis erat professus: cujus titulum immutari volebat, ut non Romanum Imperium, sed Daciscum cognominaretur.* Narratur num. XVIII. Galerium eundem posi coactos abdicare Augustam dignitatem Diocletianum & Maximianum Herculium; sicque promotos in horum locum, se ac Constantium Chlorum, in vacuum jam locum Cæsarum duorum, extorsisse à Diocletiano nequidquam reluctante, ut rejectis Maxentio filio Herculii, & Constantino ibi præsente filio Constantii, Augustorum, Cæsares nominarentur, Severus quidam *saltator temulentus, ebriosus, cui nox pro die & dies pro nocte: inde Daja, adolescens semibarbarus, quem recens jusserat Maximinum vocari.* Sic, ut addit in fine numeri XIX. *Daja sublatus nuper à pecoribus & sylvis, statim Scutarius, continuò Protector, mox Tribunus, postridie Cæsar, accepit Orientem calcandum & conterendum: quippe qui neque militiam neque Rempublicam sciret: jam non pecorum, sed militum Pastor.* Hic est ille immanissimus per Orientem Christianorum carnifex Maximinus, sub quo S. Catharina Alexandriæ, innumerique illic & alibi Martyres sunt passi. His præcognitis ad rem nostram accedamus: agnoscamusque hunc ultimum Persecutorem non unum simplicem esse hominem; sed simul colligere omnes Tyrannos qui ab initio Imperii Diocletiani usque ad Monarchiam Constantini magni, quæ sublato Licinio incepit, persecuti Ecclesiam sunt. Hi præcipuè sunt quatuor, Diocletianus, Maximianus Herculius, Maximianus Galerius, & Maximinus: ideo per *Ursi pedes* in hâc symbolicâ bestia signati. Nam etsi Maxentius quoque & Licinius quodam suprà definiti spatii tempore in Christianos sævierint; tamen hi, vel quod leviùs & breviùs quàm alii nocuerint negliguntur; vel ad quatuor alios retenta ejus nomenclatione numeri aggregantur; uti de duodenario Apostolorum & quaternario Doctorum numero aliàs diximus. Referemus ergo distinctè infaustos exitus horum sex Persecutorum hac prophetiâ Prædictos, si priùs dixerimus, cur iis potissimum designandis adhibeatur symbolum *Pedum Ursi.* Septentrionales hi omnes ut dixi fuerunt respectu Romæ, Dalmatæ, Daci, Mœsi &c. quales Græco vocabulo *arctoi* hoc est *Ursini* dici solent, ab Ursâ constellatione Polo nobis conspicuo vicinâ, inde *arctico* dicto: nam ἄρκτος græcè, Latinè *Ursa* est. Præterea versus Persecutionis autor Maximianus Galerius, Homo fuit & specie corporis & feritate animi Urso similior quam

Homini, ut paulo supra referentem audiebamus Lactantium, & Romani adeo nominis inimcus, ut Imperiũ à sua patria *Dacicum* dici voluerit. quidni ergo qui movente eo atque instigante Ecclesiã conculcarunt *pedes Ursi* dicantur. Horum igitur modò exitus videamus. Diocletianus abjecto non sponte Imperio, sed, prout disertè tradit Lactantius libri sæpe laudati num. XVIII. cogente, & vim, ni faceret, intentante Galerio Maximiano, cui ne auderet obsistere, cohibebat conscientia inveterati, immedicabilisque languoris, *cujus vi* (verba sunt Lactantii) *demens factus est: ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret.* Quod confirmans Constantinus Augustus in concione suprà memorata dixit: Diocletianum abdicasse διὰ τὴν ἀφροσύνης βλάβην: *quod sentiret sibi mentem non constare*: Seque non jam sufficere curis Imperii; utique sensim in plenam insaniam labentem. Contulerit eodem, quod in Actis SS. Mennæ ac Sociorum apud Surium x. Decembris, fassus ipse reperitur: ideò se abjecisse purpuram, quia cum sperasset Christianismum ex scindere: videret eum ipsis persecutionibus augeri. ut ut sit, miserrimam inde privatus in domo humili (quod idem Constantinus suprà Laudatus oculato testimonio affirmat) vitam duxit, anxiè contremiscens ad omnes auras metu fulminis: post quàm eo semel ambustam horrens pavensque vidisset partem conclavis in quo residebat. Ad extremum acceptis à Constantino jam plenè Imperii compote, minacibus Literis, quibus increpabatur, quod nuper victo Maxentio favisset, & adhuc Maximino faveret sibi infenso (ait Aurelius Victor) *suspectans dedecorosam necem venenum hausit.* videri tamen potest ad veneni compendium recurrisse, etiam tædio diri quo cruciabatur morbi, quem Eusebius Lib. VIII. Hist. cap. ultimo μακρὰν καὶ ἐπιλυποτάτην τοῦ σώματος ἀσθένειαν; vocat *Longam & molestissimam corporis infirmitatem* Ex eâque refert Zonaras Parte II. in Dioclet. *sensim contabescentem occubuisse.* Cedrenus hæc paulò distinctiùs explicans ait, recitatus à Baronio An. Chr. 316. num. II. *Diocletanus cum se Imperio abdicavisset, gravissimum in morbum incidit. cujus doloribus vehementibus totum corpus affligebatur. Viscera inflammatione acerrimâ corrumpebantur; caróque universa ceræ in morem colliquescebat. Quin & luminibus miser captus atque mutilatus est: Exinde miserabiliter putredine absumptus, ex faucibus multitudinem vermium ipsâ cum linguâ, quæ computruerat, ejecit: atque adeò in sepulcris confectorum cadaverum fœtore nihilò meliùs fœtuit. Inter hæc ille spirans & gemens mortem invocabat. atque extremo spiritu hæc verba edidit:* Væ miserabili mihi & digno qui lugeam: quàm justas meorum in Christianos impiorum conatuum pœnas pendo! Hactenus Cedrenus. Audiatur quoque antiquior; etsi recènsproductus testis, Lactantius. Ejus hæc verba sunt de Diocletiani obitu num. XLII. *Eodem tempore senis Maximiani Statuæ Constantini jussu revellebantur, & imagines detrahebantur: Et quia senes ambo simul plerumque picti erant; & imagines simul deponebantur amborum. Illaque cum videret Vivus* (Diocletianus) *quod nulli umquam Imperatorum acciderat, duplici ægritudine affectus, moriendum sibi esse decre-*

vit. Iactabat se hùc atque illùc æstuante animâ per dolorem, nec somnum, nec cibum capiens. suspiria & gemitus. crebræ lacrymæ, jugis volutatio corporis, nunc in lecto nunc humi. Ita viginti annorum felicissimus Imperator. ad humilem vitam dejectus adeò & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ dejectus, postremò fame atque angore confectus est. Maximianus Herculius, cum contrà Constantinum, quem traditâ ei in conjugem filiâ suâ Faustâ, Generum simul suum & Augustum ex Cæsare fecerat, videri volens Imperium resumptum iterùm deponendo ei tradere: tamen posteà res moliri novas compertus, & tertiò resumptâ bis jam abdicatâ Potestate, palàm arma movens, Generum perdere conaretur: hic ejus perfidiam non ferens, eundem cum exercitu insecutus fugere compulit Massiliam. in quâ postmodum Urbe, Constantino Portas aperiente, in potestatem veniens Generi Victoris, ab ejus generosâ benignitate vitam cum delicti veniâ ultrò concessam habuit. Post quod tamen beneficium ingratissimus Socer nocte cum armatis irruit in cubiculum Generi: confoditque quem ibi dormientem reperit Eunuchum quemdam, Constantinum credens. At hic vigilabat tum maximè, præmonitus de insidiis. Et sic deprehenso in flagranti Parricidæ immanissimo optionem quam mallet necis dedit. Is præoptato laqueo, elisis faucibus periit. Prout hæc narrant Lact. num. xxx. Aurel. Vict. in Maximiano, Eutrop. l. ix. Euseb. Hist. Eccl. l. viii. cap. xxvi. xxvi. xxix. Paulus Oros. l. vii. c. xxviii. Autor Paneg. Constantio dicti. Et alii.

Duorum deinceps inter Christianissimi persecutores feritate ac rabie facilè Principum, Galerii armentarii, & Dajæ Maximini, funesti exitus eò mihi diligentiùs explicandi veniunt, quod ii à quibusdam veterum in unum confusi, perplexis ambagibus Historiam perturbarunt. Nam quæ Eusebius lib. ix. Hist. cap. x. de morbo morteque Maximini fusè refert, ea non Maximino, sed Maximiano Galerio Armentario convenire, clarissimè Lactantius ostendit. Cujus à num. xxxiii. de illius truculentissimi Tyranni extremâ calamitate hæc habentur. *Jam decimus & octavus annus agebatur cum percussit eum Deus insanabili plagâ. Nascitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latiùs. Medici secant, curant. Sed inductam jam cicatricem scindit vulnus, & ruptâ venâ fluit sanguis usque ad periculum mortis. vix tamen cruor sistitur. Nova ex integro cura, tandem perducitur ad cicatricem. Rursus levi corporis motu vulneratur; plus sanguinis quàm ante decurrit. albescit ipse, atque absumptis viribus tenuatur; & tunc quidem rivus cruoris inhibetur: incipit vulnus non sentire medicinam, proxima quæque cancer invadit, & quantò magis circum secatur, latiùs sævit; quantum curatur, increscit: cessere Magistri... Undique Medici nobiles trahuntur. Nihil humanæ manus promovent, confugitur ad idola, Apollo & Asclepius orantur, remedium flagitatur, dat Apollo curam: Malum multò pejus augetur: jam non longè pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat: Computrescunt forinsecus viscera; & in tabem sedes tota dilabitur: Non desinunt tamen infelices Medici, vel sine spe vincendi mali, fo-*

vere, curare : Repercussis medullis malum recidit introrsùs, & interna comprehendit : Vermes intùs creantur : Odor teter non modò per palatium, sed totam civitatem pervadit : Nec mirum cum jam confusi essent exitus stercoris & urinæ, comesti à vermibus : Et in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur : Clamores simul horrendos ad sidera tollit : Quales mugitus fugit cum saucius aram taurus : Apponebantur ad sedem fluentem cocta & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor : Queis resolutis inæstimabile scatebat examen : Et tamen multò majorem copiam tabescendorum viscerum pernicies fecunda generaverat : Jam diverso malo partes corporis amiserant speciem : Superior usque ad vulnus aruerat, & miserabili macie cutis lurida longè inter ossa consederat : Inferior sine ullâ pedum formâ in utrium modum inflata discreverat : Et hæc facta sunt per annum perpetem : Cum tandem malis domitus, Deum coactus est confiteri, vi novi doloris urgentis per intervalla : Exclamat, se restituturum Dei Templum, satisque pro scelere facturum : Et jam deficiens edictum misit hujusmodi. Describit deinceps Lactantius Maximiani Galerii edictum, quo persecutione cessare jussâ, libertatem Christianis reddidit. Id cum Eusebius quoque, perperam Maximino tributum, loco nuper laudato recitet, hîc à me omittetur. Post quod addit Lactantius num. xxxv. *Hoc edictum proponitur Nicomediæ, ipso octies, & Maximino iterùm Consulibus .... Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit à Deo ; Sed post dies paucos, commendatis Licinio conjuge suâ & filio, atque in manu traditis, cum jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe consumptus est.* Hæc ille. Sequitur exponendus & ipse cum curâ, quia plerisque ignoratus, Maximini olim Daiæ vocati, finis; cui & qui eum præcessit, Maxentii exitus inseretur, prout utrumque narrat Lactantius. qui postquam horrenda scelera immanitatis, avaritiæ, libidinis : quibus ipsos quoque Magistros Diocletianum, Maximianum Herculium, & suum Promotorem Maximianum Galerium Maximinus superavit, totis capitibus, seu numeris, septem, à xxxvi. ad xlii. exposuit refert ipsum antiquâ æmulatione in Licinium motum, stimulante novâ invidiâ, quod jam illum audiret ad Imperium evectum operâ Constantini ; cum quo etiam fœdus affinitate conglutinatum pepigisset, acceptâ in uxorem ejus sorore ; ut se adversùs utrumque corroboraret, legatos ad Maxentium Romam misisse, per quos societatem ejus & amicitiam posceret. Excepit eos benignè Maxentius cum jam bellum Constantino indixisset ; neque hic cunctatus promovit copias ad pontem milvium ; cum jam ante velitationibus aliquot Maxentiani prævaluissent ; cæterùm (verba deinceps sunt Lactantii cap. xliv.) *Commonitus in quiete Constantinus, ut cœleste signum Dei notaret in scutis ; atque ita prælium committeret ; fecit ut jussus est : & X. litterâ, summo capite circumflexo, Christo, in scutis notat : Quo signo armatus exercitus capit ferrum. Procedit hostis obviam sine Imperatore, Pontemque transgreditur. Acies pari fronte concurrit : summâ vi utrimque pugnatur : Neque his fuga nota nec illis : Fit in urbe seditio, & dux increpita-*

tur, velut deſertor ſalutis publicæ: Cumque vox audita eſſet in circo Populi clamantis: Conſtantinum vinci non poſſe *eâ conſternatus proripit ſe Maxentius: ac vocatis quibuſdam Senatoribus, libros Sibillinos inſpici jubet: in quibus repertum, eſt, illo die hoſtem Romanorum eſſe periturum. Quo reſponſo in ſpem victoriæ inductus, procedit, in aciem venit. Pons à tergo ejus ſcinditur. Eo viſo pugna crudeſcit: & manus Dei ſupererat aciei. Maxentianus proterretur. ipſe in fugam verſus properat ad Pontem, qui interruptus erat; ac multitudine fugientium preſſus, in Tiberim deturbatur.* En Maxentium fluvio abſorptum, & ipſum in pœnam fuſi Chriſtiani ſanguinis: & ejus caſu interciſam ſpem Maximini. Contra quem cum Licinius moviſſet cum triginta millibus, ille ſeptuaginta millium exercitum contrà ducens occurrit. *Et ejuſmodi votum Jovi vovit* (verba ſunt Lactantii cap. XLVI.) *ut ſi victoriam cepiſſet, Chriſtianorum nomen extingueret funditusque deleret. Tunc proximâ nocte Licinio quieſcente, adſtitit Angelus Dei monens, ut ocyus ſurgeret, atque oraret Deum ſummum cum omni exercitu ſuo: illius fore victoriam ſi feciſſet. Poſt has voces cum ſurgere ſibi viſus eſſet, & cum ipſe qui monebat adſtaret; tunc docebat eum quomodo & quibus verbis eſſet orandum. Diſcuſſo deinde ſomno, notarium juſſit acciri, & ſicut audierat, hæc verba dictavit:* Summe Deus te rogamus: Sancte Deus te rogamus: Omnem juſtitiam tibi commendamus: Salutem noſtram tibi commendamus: Imperium noſtrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores & felices exiſtimus: ſumme ſancte Deus preces noſtras exaudi: Brachia noſtra ad te tendimus: exaudi ſanctè ſumme Deus. *Scribuntur hæc in libellis pluribus, & per præpoſitos Tribunoſque mittuntur, ut ſuos quiſque milites doceat: Crevit animus univerſis victoriam ſibi credentibus de Cœlo nunciatam..... Erat jam utraque acies in conſpectu. Liciniani ſcuta deponunt, galeas reſolvunt, ad Cœlum manus tendunt & poſt Imperatorem precem dicunt.... Propius acceditur, Tubæ canunt, Liciniani impetu facto adverſarios invadunt. Illi vero perterriti nec gladios expedire, nec tela jacere quiverunt... cædebatur Maximini acies impune: & tantus numerus legionum tanta vis militum, à paucis metebatur... jam ſtrata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri quàm putabat. Projecit purpuram & ſumpta veſte ſervili fugit..... Nicomediam aliâ nocte pervenit, cum locus prælii abeſſet millia centum ſexaginta.. Raptiſque filiis & uxore ...petivit Orientem. Sed in Cappadocia collectis ex fugâ & ab Oriente militibus, ſubſtitit; ita veſtem reſumpſit.* Capite inde XLIX. ſic Maximini tragœdiam Lactantius abſolvit: *Sequenti autem Licinio cum exercitu Tyronum, profugus conceſſit: & rurſus Tauri montis anguſtias petit, munimentis ibidem ac turribus fabricatis iter obſtruere conatus eſt. Et inde dextrorsùm perrumpentibus omnia victoribus, Tarſum poſtremò fugit. Ibi cum jam terrâ marique perterreretur, nec ullum ſperaret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem, quaſi ad remedium malorum quæ Deus in caput ejus ingeſſit. Sed priùs cibo ſe inferſit*

ac vino ingurgitavit ... & sic hausit venenum, cujus referto stomacho vis repercussa, valere non potuit in præsens. Sed in languorem malum versa pestilentiæ similem, ut diutiùs protracto spiritu cruciamenta sentiret. Iam sævire in eum ceperat virus; cujus vis cum præcordia ejus ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est: adeò ut per dies quatuor insaniâ percitus, haustam manibus terram velut esuriens devoraret. Deinde post multos gravésque cruciatus, cum caput suum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demùm amisso visu Deum videre cepit candidatis Ministris de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ii qui torquentur, solent, & non se, sed alios feciſſe dicebat. Deinde quasi tormentis adactus, fatebatur: Christum subinde deprecans, & plorans, ut sui misereretur. Sic inter gemitus, quos tamquam cremaretur; edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit. Hactenus Lactantius; cui concinit in referendo fine Maximini Autor coævus & testis oculatus Joannes Presbyter Nicomediensis ab Henschenio & Papebrochio editus Tom. III. Aprilis pag. 418. Restat Licinius, postremus articulus pedum Ursinorum Symbolicæ nostræ Bestiæ. Hujus mira extitit dementia, in eo quod, post Christi numen clarissimè agnitum, & disertissimè prædicatum Literis publicis à Lactantio descriptis cap. XLVIII. Christi hostium exempla ingratissimè sequi eligens; quorum Acta imitaretur eorum exitûs sibi notissimos non perhorruit. Strinxit igitur & hic gladium in Ecclesiam, ac Martyres plures fecit. Sed citò adfuit Christi ultor Constantinus qui Licinium multis terrâ marique præliis victum, tandem Nicomediæ vivum cepit. Hinc duplex de ejus interitu veterum scriptorum affirmatio est. Alii enim aiunt, relegatum Thessalonicam, quòd ibi deprehensus esset moliri denuò res novas, & Barbaros ad defectionem à Constantino concitare, laqueo mori coactum. Sed cunctis antiquior & æquævus Autor, eodem in loco ubi deditus Constantino victori Licinius est, degens, Joannes Presbyter Nicomediensis, in Actis S. Basilii Episcopi Amaseæ sub Licinio passi martyrium, nuper editis ex cod. Cryptæ ferratæ à nostris Henschenio & Papebrochio ad diem XXVI. Aprilis: sic scribit de expeditione Constantini adversus rebellantem iterum Licinium, hujusque deditione ac fine. Latina hæc summâ fide è Græcis cõversa sunt: *Movet (Constantinus) à Româ cum irâ maximâ, vel potiùs consilio divinissimo, cum Crispo filio suo, præstante in omnibus Principe, ac genitoris simili. Et venit in Orientem intercipiens miserum Licinium, dum is se ad bellum comparat; cujus copiæ omnes repentè transeunt ad partes generosissimi & invicti Principis Constantini: qui contentus citra necem coercere Licinium, privatum eum augustâ & omni principali potestate, in Gallias, ibi deinceps privatè victurum, misit. nam eò quòd sibi esset sororius, non eum occidit, utcumque innumerabilium criminum reum. Sic eum affatus coram omni Senatu: Luge-sis, & te pœniteat eorum quæ malè audax attentasti: & compensare illa contrariis studens, ne cesses umquam benefacere. Forte sic Deus propitius & placabilis, implacato licet olim & insidiatori.*

Tibi fiet: ut effugias damnationem ad supplicium æternum. Secuta nihilominus eum est, validéque arripuit divina ultio in illam euntem ad quam destinabatur regionem. Plagam enim ingemiscens sensit, ejus quâ Maximinus perierat similem; dignam scilicet medicinam divorum ulcerum quæ tot scelera conscisens ultrò contraxerat. In eo gemitu, suam in unum verum Deum rebellionem confitens, vitam hanc miser abrupit. Hæc Joannes Presbyter, probitate ac dignitate talis, ut, præsertim quæ videre potuit referens, rei quoque minùs alioqui credibilis autor idoneus haberi dignus, fidem omninò mereatur, maximè dum, per se verisimilia affirmat. Quò enim credibilius est relegatum à Constantino Licinium, quàm in Gallias, ubi procul à sibi obnoxiis provinciis & Gentibus, in natione Constantini partibus addictissimâ, tutissimè custodiendus videretur ab omni cogitatione ac facultate moliendi res novas. Quod verò plures scribunt eum Thessalonicam amandatum; inde illis obtrusum videri potest, quod illàc transiens dum in Gallias Nicomediâ duceretur, ibi superveniente ipsi morbo sit mortuus. Absolvimus Catalogum tragicorum casuum quibus vitam terminarunt Cæsares Christianorum persecutores post Neronem, in hâc Prophetiâ capitis XIII. decem Diadematibus unam Bestiam mysticam conflantibus signati: etsi capita hominum plura sint quam decem, ut ostensum est, quæ omnia qui attentè perpendens & comparans reputaverit, non requiret, opinor Vaticinii hoc versu descripti veritatem.

Hîc est patientia & fides Sanctorum.

Significatur his verbis: totum spatium quod ab indictâ per Domitianum secundâ persecutione, usque ad exautorationem mortemque Licinii protenditur, annorum ferè ducentorum septuaginta, stadium esse à divinâ Providentiâ apertum & paratum probandæ patientiæ ac fidei Christianorum, quos hic Joannes *Sanctos* vocat, uti & Paulus in Epistolis suis sæpe.

℣. 11. Et vidi aliam Bestiam.

Hæc alia Bestia, Magia, & Secta Magorum est, aptissimè hoc loco memorata, quoniam ea per partem maximam memorati modò spatii, quod peculiariter respicitur à Vaticinio hujus capitis, suppetias Idololatriæ à Christianismo periclitanti veniens, plurimum huic nocuit, ut illam tueretur ac promoveret. Parùm Magia sub Domitiano potuit: quòd is Imperator peculiaribus causis exosum habens Apollonium Tyaneum, ut reum citatum custodiæ mandavit, ex quâ ille vi dæmonum evadens, fugit in Asiam, ubi necem Domitiani eo momento quo patrata est, scivit & enunciavit Ephesi ad concionem dicens. Initium ergo Regni Magiæ in urbe Roma à Nervæ Imperio ducendum est, ad quem Apollonius Damidem Discipulum misit ante mortem suam, quæ paulò post Domitiani obitum contigit

contigit. Nerva tantùm admiratus Apollonium fuerat, adeóque illum amaverat, ut eo nomine ſuſpectus Domitiano fieret. Docet id Philoſtratus, lib. VII. & VIII. vitæ Apollonii referens, Coccejum Nervam ob familiaritatem cum Apollonio Româ tum abſente, exercitam videlicet commercio literarum, ipſum quidem amandatum in exilium; Apollonium autem Romam citatum. Credibile eſt, aut comperiſſe, aut ſuſpicatum fuiſſe Domitianum, Imperium Nervæ ab Apollonio prædici, & promiſſum prædictumque revera fuiſſe à diabolo, quo peſſimus ille Magus inſidebatur, penè certa opinio eſt. Non enim fuit Sagaciſſimo Satanæ difficile intelligere, poſſe ſe, qui auguriis, Haruſpicum reſponſis, Oraculis, Sortibus, librorum Sibyllinorum inſpectionibus, cæteriſque præſtigiis quibus dudùm Romani Senatûs & Populi ſenſus voluntatesque quocumque libuerat torquebat, Domitiano è medio amoto (quod mox certò futurum paratâ jam conjuratione providebat) promotionem ad Imperium Nervæ procurare. Ut eum autem eligeret magna fuit ratio, quòd qui antea Religionem Chriſtianam palàm oppugnaverant, Nero & Domitianus, horrendis ſceleribus infames & vulgo exoſi, commendaſſe eam potius viderentur: quod tacitum haberetur præjudicium bonitatis, à tam perverſis hominibus odio haberi. Ornandos igitur armandoſque eſſe Romanâ potentiâ, ut hæc efficaciter nocere Chriſtianiſmo poſſet, homines Idololatriæ quidem addictiſſimos; cæterùm eoſdem probos, humanos, civiles, æquos, & bonâ famâ virtutumque opinione commendatos. Tales Apollonius obſervaverat Nervam & Trajanum, quos ideò amicitiâ & familiaritate ſibi, ipſoſque invicem conciliatos ad ſupremæ poteſtatis apicem extulit. Nam adoptionem Trajani per Nervam, quâ Trajano aditus ad principatum patefactus eſt, Apollonii Damidiſque ſuggeſtione ac conſilio factam valde credibile eſt. En quâ ratione Magia, quam hîc Joannes *aliam beſtiam*, ἄλλο θηρίον vocat, ſuppetiàs Idololatriæ venerit; ubi obſervandum; dum Magia *alia beſtia* dicitur, non comparari eam cum beſtiâ hoc capite deſcriptâ, decem perſecutores unâ Pardi quadrupedis formâ repræſentante: ſed cum memorato ſuperiori capite Dracone, Idololatriam expreſſiùs ſignante. Nam par eſt inter ſe conferri congeneres beſtias. Unde cum Draco ex ἑρπετῶν ἰοβόλων *reptilium venenatorum* genere ſit, etiam hanc illi ſuppetiàs venientem *aliam beſtiam* debemus exiſtimare ſerpentis fuiſſe ſpecie oſtenſam, ut & hic uſuveniret quod olim proverbiali Græcorum ſenario celebratur, ad indicandam coitionem peſtium duarum in perniciem publicam.

Ἄσπις παρ' ἐχίδνης τὸν ἰὸν δανείζεται.

Quod ſic reddere Latinè totidem numeris queas:

Vipera venenum fœneratur aſpidi.

Sane, utcumque Græca vocabula θὴρ & θηρίον, feras interdum quaſcum-

que ſignent : tamen ea frequentius ad ſerpentes venenatas indicandas adhiberi, Grammatici obſervant ; & ex lectione veterum ſcriptorum patet, unde *Theriacæ* famoſi antidoti, nomen à viperâ, θὴρ per antonomaſiam dictâ, quod ea ex illius potiſſimùm carne componatur, deduci omnes ſciunt.

Aſcendentem de terra.

Beſtia cujus fit mentio verſ. 1. hujus capitis viſa Joanni eſt *aſcendens de mari*. Significabat enim Imperatores Chriſtianis infeſtos, ad eorum religionem excindendam nitentes totis viribus Romanæ per orbem ſupremæ poteſtatis, quam ii Senatus Populique Romani electione ac conſenſu delatam acceperant. Unde, quia in hâc Prophetiâ, ut ſæpe demonſtratum eſt, Urbs Romana, in quâ caput, & fons Principatûs reſidebat, maris Symbolo exprimitur, rectè dicitur illa Beſtia *aſcendere de mari*. Etiam novâ aliâ ex causâ : quod Idololatria quoque ac vanarum ſuperſtitionum ſtudium quo inſtincti Cæſares perſecutores, Chriſtianam Religionem abolere conati ſunt, exemplis, legibus, edictis, Senatus Conſultis Deorum cultum jubentibus & ſancientibus, ex Urbe in Provincias ſpargeretur. At è contrario *alia* nunc memorata *beſtia* Magia, ex Provinciis, quæ *terræ* nomine ſignantur, in Urbem undique confluebat ; ſpe illìc gratiæ apud potentes opulentoſque captandæ, opumque inde parandarum. E Græciâ, videlicet, Ægypto, Syria, nationibus prava multa ingenia, commercio cum malis dæmonibus corrupta, gignentibus, plurimi paſſim ſe Romam, tunc Orbis Imperio florentem, conferebant. qua de re audiendus Juvenalis eſt, Umbricium quemdam virum bonum inducens ea ipſa de cauſa conſilium ineuntem Cumas emigrandi, tædio tot exterorum Romam peregrinis vitiis inficientium : ſic igitur ſcribit Sat. III.

Non poſſum ferre Quirites
Græcam Vrbem. quamvis, quota portio fæcis Achææ ?
Iampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.....
Hic altâ Sicyone, aſt hic Amydone relictâ,
Hic Andro, ille Samo ; hic Trallibus aut Alabandis,
Eſquilias dictumque petunt à vimine collem,
Viſcera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus & Iſæo torrentior. Ede quid illum
Eſſe putes ? quemvis hominem ſecum attulit ad nos.
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Magus ; omnia novit
Græculus eſuriens ; in Cœlum, juſſeris, ibit.

Hæc ibi satiricus Aquinas, quæ confirmantur ex iis quæ plurima, longè alio licet collecta proposito, Lucianus scribit περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων *de literatis peregrè appulsis, apud Proceres Romanos spe mercedis ac quæstûs diversantibus*, quæque idem in Alexandro Pseudomanti refert de admissis Romæ ejus impostoris emissariis, deque fide tanta falsis ipsius Oraculis habita, ut Rutilianus, vir Romæ Primarius, eorum uno induceretur ad conjugem ducendam, Alexandri Magi filiam, quam cum ille ex muliere adulterâ suscepisset, persuasit tamen eam à se ex Lunâ genitam ad ipsum jacentem visum vi amoris à Cœlo tractam, ut quondam id sidus pari causâ descendisse ad Endymionem à Poëtis dicitur: unde magnoperè sibi placebat Rutilianus titulo hisce nuptiis parto, quo gener Lunæ dici gloriabatur. Alii quoque illo tractu temporum, à Nervâ ad Diocletianum, ubicumque degentes Magi certatim Romam se conferebant.

Scilicet hùc omnes (ait supra laudatus Satiricus) *tamquam ad vivaria currunt.*

En quid innuat Joannes dum hîc ait alteram *Bestiam* Magiam; non, ut priorem Idololatriam, è *mari* in *terram*; hoc est, ex urbe Romana in Provincias: sed, è *terra* in *mare*, hoc est ex Provinciis in Urbem *ascendisse*.

Et habebat cornua duo similia Agni.

In Magis qui modò signato spatio temporis, à Domitiano ad Diocletianum, Romam venerunt, magnâ illic excepti Regnantium gratia, duo fuerunt tanta virtutis fama, prodigiorum etiam editione nixa, celebres, ut Christo à Gentilibus compararentur, & præferrentur. Hi dicuntur hîc, secundæ *Bestiæ* Magiæ *cornua duo*, *Agni*, hoc est Christi *similia*, quod ii astu dæmonis similitudinem cum eo quàm maximam poterant ope famulantium ipsis infernorum spirituum, cum in vita & moribus, tum in rerum mirabilium effectione, affectarent. Prior horum fuit Apollonius Tyaneus, quem diabolus à prima pueritia possessum & ad suos per omnia formatum usus, Romam adduxit sub Nerone, quasi ut eum Simoni tunc mortuo substitueret: efficacius longè illo ad Christianismi eversionem instrumentum. Nam Simoni ne fidem faceret, se Dei virtutem esse, obfuisse malus dæmon intelligebat, infame contubernium Selenes, sive Elenæ, quam circumducebat, mulierculæ, cæteráque non pauca morum probra. Magum ergo alium parare studuit, qui continentia, sobrietate, contemptu divitiarum, prætereáque curationibus, prædictionibus, rerum distantium notitia, iis quæ de Christo splendida miraque paædicabantur quodammodo paria exhiberet in sese; ac sic avertere in se ab illo existimationem & venerationem hominum posset. itaque, velut Simon rudimentum Luciferi fuisset Antichristum facere discentis, visis idem jam defectibus illius pri-

mi ſui operis, hoc alterum ſecundis curis elimavit, iis inſtructum dotibus & artibus omnis generis accommodatis ad intentum obſcurandæ Chriſti famæ, ut nihil ſuprà requiri poſſe videretur. Magna igitur fiducia ſucceſſus produxit Apollonium Tyaneum in hominum notitiam, virum in quadam generis, ſumma ingenii doctrinæque claritate, primùm voluntariè pauperem, abdicato patrimonio, rejectis amicorum donis: deinde Pythagoricis & ſilentio & jejunio inſignem, ſolis oleribus ſedantem famem, ſitim aquâ extinguentem: modeſtiâ præterea & clementiâ illuſtrem, beneficum in omnes, ægros mente aut corpore quotquot occurrerent, ſedulò curantem, ope humanam plerumque palàm excedente facultatem: ut cum homini ad incitas redacto, & tædio egeſtatis cogitanti laqueum, agri ejus proprii partem oſtendit quam juſſit effodere: ipſo mox ibi urnam aureis plenam Darii typo cuſis reperiente; unde non ſolùm inopiâ levatus, ſed etiam copioſè ditatus eſt: ut item cum Romam adveniens XIII. Neronis anno, Lucii Pontii Teleſini tunc conſulis filiam, creditam mortuam, vitæ reſtitutam acſanam Patri reddidit; ut alios omittam cæcos, paralyticos, hydropicos, ut, quidem aſſerit Philoſtratus, quâ fide ipſe viderit, vagis per Orbem peregrinationibus, in locis variis ſanatos. Cum interim nullum *finem faceret juſtitiæ, temperantiæ, caſtitatis* ſuadendæ, contrariorumque increpandorum vitiorum: multa prædicens quæ evenire cernebantur: & rerum arcanarum enunciationes, quarum mox apparebat veritas, proferens: atque hæc ubique, nationibus uſque ad Indias penè cunctis obitis, & longiſſimo tempore vitæ in nonageſimum aut etiam centeſimum, ut ait Philoſtratus, productæ annum, continenter uno tenore ubivis Gentium oſtentans. Additâ ad extremum vafrâ cautione occultandi ſui è vitâ exitûs; ne is diabolicum aliquid prodens (ut in ejus imitatore altero memoratorum hoc loco Magiæ beſtiæ cornuum, minùs in hoc aut felici aut prudente, contigit) toti vitæ fabulæ larvam detraheret, & ex ungue argueret beſtiam. Eſt & non diſſimulandum aliud in quo malus dæmon ſuum Apollonium Chriſto efficere parallelum voluit. Videbat quantam huic conciliaſſet gratiam gloriamque patientia quâ ſuſtinuit adverſantes ſibi Principes, Caïpham, Herodem & Pilatum. Ergo Apollonium quoque claris nobilitare inimicitiis ſtuduit, incitans in eum odia Neronis & Domitiani Romanorum Auguſtorum: Sic tamen, ut, ne ipſi nocerent, provideret, in quo erat malitioſius artificis ſcelus. Quia enim experientia docuerat, diſtrictos duorum iſtorum Cæſarum in Chriſtianiſmum gladios adeò effectu & autoritate caruiſſe, ut etiam propter horrenda & vulgò tùm notiſſima amborum ſcelera, favorem ipſis Populi exiſtimationemque conciliaſſent: nequa inde contagio invidiæ in ſuum ſuſceptum redundaret, cum utroque hunc palàm commiſit Principe, Nervæ interim & Trajani, quos bonæ famæ viros evehere in Imperium parabat, benevolentiam ipſi maximam & familiaritatem parans. Quarum artium conſiliorumque hunc demùm aſtutus dæmon fructum tulit, ut à ſibi obnoxiis Apollonius homo divinus, hoc eſt

Deus humano indutus corpore (quod de Christo Christiani prædicabant) putaretur. Etenim eo sensu Eunapius scribit: Philostratum opus suum de Apollonio, non debuisse, ut fecit inscribere: βίον Ἀπολλωνίου *vitam Apollonii*: sed Θεοῦ εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν *Dei ad homines adventum*. Et Hierocles libris octo palàm editis vehementer contendit ostendere Christo Apollonium nihilò inferiorem famâ virtutum, & rerum admirabilium effectione fuisse, cujus Hieroclei meritò deperditi operis extat hodiéque luculenta confutatio per Eusebium olim Cæsarienscm Episcopum vulgata, quâ libros illos octo singillatim excutiens fraudes, mendaciaque illorum manifestè detegit: cũ alioqui Gentilium ipsorum prudentissimos quosque non lateret, nihil nisi vafrum impostorem & astutiorem, sed non minùs pernicioſum, multis aliis Magum Apollonium Tyaneum fuisse. Talem enim habent sententiam quæ apud Lucianum in Pseudomanti, opere ad Celsum scripto (neutrum autem horum Lucianum aut Celsum ullus, opinor, qui ambos norit, favoris in rem Christianam suspectum habuerit) de Alexandri Magi scelestissimi primo depravatore, leguntur his verbis: ἦν δὲ ὁ διδάσκαλος ἐκεῖνος καὶ ἑρμηνεὺς τὸ γένος τυανεὺς τῶν Ἀπολλωνίῳ τῷ τυανεῖ πάνυ συγγενομένων, καὶ τὴν πᾶσαν αὐτοῦ τραγῳδίαν εἰδότων. ὁρᾷς ἐξ ὅτου σοι διατρίβης ἄνθρωπον λέγω. *Erat autem ille institutor corruptorque* (Alexandri) *genere Tyanensis, ex eorum numero qui familiaritate intimâ conversati cum Apollonio Tyaneo, totam ejus scenam simulationemque callebant. vides ex cujus disciplinâ ac magisterii sinu productum hominem hoc commentario describam.*

Videamus deinceps, quemnam indicet secundum hîc memoratum *Bestiæ* Magiam designantis *cornu agni simile*. Alium, equidem arbitror, significat Magum succenturiatum memoriæ ac Sectæ jam senescenti Apollonii in officio assistendi Romanis Imperatoribus, eisque suadendi, ut quantâ possent vi maximâ Idololatriam à Christianismo periclitantem defenderent, illâ quantum possent protegendâ pomovendâque; hoc legibus, edictis, tormentis, & mortibus coërcendo, totisque Imperii opibus impugnando urgendoque usque ad ultimum ejus excidium. Hunc fuisse opinor Plotinum. Quæso ne pigeat cognoscere Lectorem & æquo judicio expendere proponenda mox à me, quibus in istam sum sententiam pertractus. Provectum se ad Imperii apicem Apollonii ope atque operâ Nerva profitebatur; simulque se supremam illam potestatem ejusdem administrare consiliis. En utrumque testantem Philostratum libro VIII. cap. XI. τριάκοντα ὧν ἡμέραις μετὰ ταῦτα ἐπιστείλαντος αὐτῷ τοῦ Νέρβα τὸν μὲν ἀρχιὼ τῶν Ῥωμαίων ἔχειν, Θεῶν τε βουλὰς κἀκείνου. κατασχεῖν δ' ἂν αὐτὸν βάον, εἰ ξύμβουλος αὐτῷ ἔλθοι. τὸ δ' αὐτίκα ἐκείνου γράφει πρὸς αὐτὸν αἴνιγμα. ξυνεσόμεθα, ὦ βασιλεῦ, χρόνον ἀμήλοις πλείονα, ὃν μήτε ἡμεῖς ἐπέρᾳ, μηδὲ σὺ ἡμῶν ἄρξοι. Hoc est: *Cum triginta post hæc* (denunciatam ab Apollonio Ephesi publicè Domitiani cædem ipsa qua Romæ patrabatur hora) *diebus pervenissent ad ipsum* (Apollonium) *à Nervâ literæ, quibus significabat; compotem quidem Imperii se jam esse, Deorum & ipsius providentiâ: cæterùm id se meliùs faciliúsque gesturum*

consiliis ipsius, si ad ea in tempore suggerenda venire ad se, sibique comes assiduus adhærere, ne gravaretur. Tali Epistolæ subitò Apollonius rescripsit hanc obscuram, ænigmaticamque sententiam: Erimus simul, Imperator longissimo tempore, nec unus nostrum alteri, nec alius nobis imperabit. Significabat per hæc, ut addit Philostratus, brevi secuturam cum Nervæ, tum ipsius quoque Apollonii mortem, per quam transferendi videlicet in campos Elysios, illic ambo in æquali nullique obnoxia libertate beato diù fruituri ævo forent ἵνα δὲ μὴ (pergit idem) ἀμελῶν φαίνοιτο φίλου τε ἀγαθοῦ καὶ ἄρχοντος, ξυνέθηκε μετὰ ταῦτα πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν ξύμβολον τῶν ἀρχικῶν, καὶ καλέσας τὸν Δάμιν. σοῦ, ἔφη, δεῖται ταῦτα. τὰ γὰρ ἀπόῤῥητα τῆς ἐπιστολῆς γέγραπται μὲν πρὸς τὸν βασιλέα. ἔστι δ' ὅσα ἢ ὑπὸ μου λέγεσθαι, ἢ διά σου. *Ne autem negligere ac destituere videretur bonum amicum, eumque difficillimo imperandi negotio implicitum, accurate post hæc composuit Epistolam, consiliis de rebus ad Imperium spectantibus refertam. Et vocato ad se Dami: Ad hæc, inquit, tua istùc profectio & præsens opera requiritur. Nam præter in his Literis arcanè ad Imperatorem scripta, quædam alia sunt quæ non nisi meâ vel tuâ vivâ voce coràm proferri possunt.* Hæc ibi Philostratus, missum indicans Romam Damin. Retulerat autem idem suprà libri VIII. cap. III. pag. 397. Editionis Parisiensis, eam Apollonii fuisse de Nerva sententiam, ut probitate quidem & innocentia quantovis cum honore dignissimum duceret: attamen judicaret, ipsum propter imbecillitatem corporis, ætatemque devexam, haud fore curis laboribusque Imperii parem. Ex quibus licet divinare quid hac epistolâ, & mandatis per Damin missis contineretur: sciens videlicet Apollonius Nervam & senio debilem, & brevi moriturum: nihil illi quidem aliud suadebat, nisi ut Trajano per adoptionem aditum Imperii panderet: qui postquam sic factus esset Imperator, consiliis à Dami suggerendis circà promovendum Deorum cultum, Christianismumque non tam apertâ vi, quàm insidiosis clàm artibus sensim elidendum, facilè obtemperaturus speraretur. Inerat enim Trajano cum ardens superstitionis avitæ studium tuendæ, tum ingens Apollonii & famâ & usu intimo ipsi notissimi veneratio. Successerunt hæc Apollonio ad votum: nam non solùm toto suo Trajanus principatu ad Christianam Religionem insusurratis ab Apollonio per Damidem aliosque Emissarios astutis inventis atterendam, incubuit, ut posteà distinctiùs ostendetur: sed & in tribus eum secutis Dynastiis Hadriani, Antonini pii, Marci Aurelii Philosophi, res eadem tenore ferè non dissimili processit. Etsi enim & causis aliis, & præsertim miraculo ingenti Christianæ legionis dictæ *fulminatricis*, Christianorum est interdùm Persecutio cohibita: tamen quantum etiam ultimo Principum stirpis Trajani adoptivæ Imperio, Marci Aurelii Philosophi, vigeret Apollonii Discipulorum autoritas, luculenter apparet ex eo quod refert Scriptor ejus temporis Lucianus in Pseudomanti, de Alexandro agens Agyrtâ nequissimo, ea famâ commendato quod ex Apollonii schola prodiisse putaretur. De hoc ergo sic ibi Celsum Lucianus al-

loquitur: græcis parco. *Inter alia verò unum quiddam impuri nebulonis audaciſſimum facinus audi-ſis. Habens enim* (Alexander) *non parvum aditum in Palatium & Aulam Imperatoriam. Rutiliano utique ibi gratioſo in magnâ tum exiſtimatione florente: illuc mittit oraculum in ipſo ardore belli, quod Divus Marcus cum Marcomanis & Quadis manus conſerens gerebat. Jubebat id Oraculum duos Leones conjici vivos in Iſtrum cum multis aromatibus doniſque magnificis: præſtat autem ipſa Oraculi verba deſcribere.*

In vortices Iſtri divini amnis
Iniicere jubeo duos Cybelles famulos
Feras in montibus nutritas, & quotquot alit indicus aër,
Flores & herbas bene olentes. ſubitò autem erit,
Victoria, & magnum Decus, ſimul cum Pace deſideratâ.

His, ut præſcripſerat, peractis, Leones quidem natatu evectos in adverſam hoſtilem ripam Barbari fuſtibus occiderunt velut canes aut lupos peregrinos. Statim autem clades maxima Noſtris illata eſt, viginti ferè ipſorum millibus confertim pereuntibus. Secutæ deinde ſunt res ad Aquilejam geſtæ, quando illa civitas tantùm non capta eſt. Autor interim tam funeſti vaticinii ad deliniendam invidiam odioſiſſimi ſucceſſûs, illam modò frigidam delphici olim Crœſo reddititi reſponſi excuſationem allegabat: victoriam quidem à Deo verè prædictam: utrorum autem ea futura eſſet, Romanorum an Hoſtium, expreſſum ab eo non fuiſſe. Hæc Lucianus: quæ, licet pluſcula, tanti habui deſcribere, quia in his manifeſtè cernitur (quod in primis opportunum ad rem meam eſt) devotionem venerationemque quâ Nerva & Trajanus viventem Apollonium ſunt amplexi, in amborum Poſteris ergà ejuſdem memoriam doctrinamque permanſiſſe; quandoquidem tam obnoxiâ credulitate, cæcâque obedientiâ Marcus Philoſophus Trajanidarum Cæſarum poſtremus, infamis alioqui Agyrtæ, quod is Apollonii diſcipulus haberetur, inopinatum & abſurdum, in re maximâ, conſilium executus eſt: ac ſtatim per eventa deprehensâ ejus vanitate, tam facilè acquieverit excuſationi leviſſimæ; impunéque vati comperto mendaci eſſe ſiverit, poſtquàm conſtitit clariſſimè Romano Imperio licentiſſimè illuſum à Nebulone nequiſſimo fuiſſe. Cæterùm, vel ex hoc ipſo experimento, vel ex aliis longo uſu obſervatis indiciis, defluxiſſe jam tum & exoleviſſe autoritatem Magiſterii ſcholæ ſectæque Apollonianæ, palàm oſtendit Principatus mox ſecutus Commodi, primi poſt Domitianum hereditario jure filiationis naturalis in Imperium evecti. Hic enim Patris Marci Aurelii Philoſophiam, & quatuor præcedentium Antonini Pii, Hadriani, Trajani & Nervæ bonam famam Auguſtorum, probroſiſſimâ vitâ coinquinans, Caligulas, Nerones & Domitianos in Romanum ſolium poſtliminiò reduxiſſe infandis flagitiis viſus eſt: ſic tamen ut in ſolos Ethnicos ſævus infeſtuſque, unis commodus fuerit Chriſtianis; quorum Religioni numquam, ex quo erat condita, fuerat,

quàm hujus Principatu cursus profectusque prosperior. Sensit id Romanæ Idololatriæ Præses Diabolus; & pro *suo* jam periclitante *Atrio* sollicitus *fortis armatus*, succenturiandum maturè putavit senescenti jam Apollonii famæ: Magum alium qui Tutelam Idololatriæ apud consecuturos Romanos Cæsares, contrà Christianismum haud dubiè invalescentem exercere pergeret. Ergo sub Imperio Severi, qui brevi intervallo Commodum excepit, natum, ut Porphyrius in ejus vitâ prodidit, Plotinum Lycopolitanum Ægyptium à puero iis artibus & moribus imbuit, qui ad istum finem maximè accomodati viderentur. Eumdem, simul satis adoleverat, protrusit in Comitatum Romani Principis, cui se inserere ultimo Gordiani anno cepit, quo in finibus Persidis occiso, primo statim interfectoris Successorisque Philippi anno, Romam se contulit, ibique sedem quoad vixit per annos xxv. usque ad Claudii secundum fixit. Philosophiam hîc, non ut Apollonius Pythagoricam: sed vulgò plausibiliorem, Platonicam profitebatur. Magum eum fuisse, adeò non dissimulat intimus ejus Discipulus, & summus admirator Porphyrius, ut etiam glorianter ostentet: ambitiosè referens, Dæmonem eum familiarem habuisse tam superioris reliquis ordinis, ut Mago alteri id poscenti Romæ in Fano Isidis ostensus, ab eo judicatus sit non Dæmon sed Deus esse. Potentiam verò ejusdem maximam Magus expertus est alius Olympius nomine, Alexandrinus: qui Plotino invidens ἀστροβολῆσαι αὐτὸν μαγεύσας (verba sunt Porphyrii) ἐπιχειρήσας *Siderare ipsum magicis incantationibus aggressus*, ictus quos in ipsum vibrabat, in se retorqueri à valentiori Plotini genio sentiens, est absistere coactus. Denique morienti Plotino Eutochius, qui tunc adfuit, Discipulus dilectissimus retulit: expirasse illum δράκοντος ὑπὸ τὴν κλίνην διελθόντος ἐν ᾗ κατέκειτο εἰς ὀτὴν ἐν τοίχῳ ὑπάρχουσαν ὑποδέδυκε *In foramen muro proximo hians se abdidit, sic evanescendo.* Fuisse autem Plotinum acrem adversarium Christianorum, testatur Porphyrius, dum & scripsisse ipsum contra illos ait: & sibi negotium dedisse uberiùs eosdem confutandi. Quare non videtur dubium quin ad vehementiores quàm umquàm anteà Christianorum exagitationes per illa tempora, à Decio, Gallo, Valeriano & Claudio Romanis Augustis decretas & exercitas crudelissimè, multùm ipse contulerit: eò efficacioribus consiliis, quod ipse famam viri prudentis, æqui, temperantis, pudici egregiè tueretur: nihil in speciem nisi Platonicam sapientiam spirans; eoque nomine non parùm apud Imperatores Proceresque Romanos gratiosus, ἐτίμησαν δὲ (ait Porphyrius) τὸν πλωτῖνον, μάλιστα καὶ ἐσέβησαν Γαλιηνός τε ὁ αὐτοκράτωρ καὶ ἡ τούτου γυνὴ Σαλωνίνα *Honorabant Plotinum maximè ac venerabantur Galienus Imperator, & hujus uxor Salonina.* Quorum prono favore cum tentasset, ait, Philosophicam Civitatem, in qua Platonicæ Reipublicæ Leges servarentur, in deserto quodam Campaniæ oppido condere, nequivisse perficere. Favor quoque in eum & studia Primariorum Urbis Romanæ Virorum & Matronarum inde apparebant: quod Patricii ac Senatores multi in ejus se disciplinam dabant: inter

quo

quos memorat Porphyrius Castricium & Firmum, claros & locupletes cives, qui eum etiam suarum liberali largitione facultatum, ut Patrem venerabantur, etiam ὡς οἰκέτης ἀγαθὸς ἐν πᾶσιν ὑπηρέτουμενι, ait Porphyrius, *Ut servi ei benevoli sedulò in omnibus obsequentes.* In his se præ cæteris spectabiles præbuere, insignibus in Platonica, ductu Plotini, Philosophia profectibus, Marcellus, Orontius, Sabinillus; ac ex eodem pariter Romano Senatu, Rogatianus, ὃς εἰς τοσοῦτον ἀποσοφοῦς τοῦ βίου τέλους (verba sunt Porphyrii) προκεκαρήκει, ὡς πάσης μὲν κτήσεως ἀποσῆναι πάντα δὲ οἰκέτου ἀποπέμψασθαι. ἀποσῆναι δὲ καὶ τοῦ ἀξιώματος, καὶ πραίτωρ προϊέναι μέλλων, παρόντων τῶν ὑπηρετῶν, μήτε προελθεῖν, μήτε φροντίσαι τῆς λειτουργίας ἀλλὰ μηδὲ οἰκίαν ἑαυτῷ ἐλέσθαι καποικεῖν, ἀλλὰ πρός τινας τῶν φίλων καὶ συνήθων φοιτῶντα ἐκεῖ τε δειπνεῖν, κἀκεῖ καθεύδειν. σπανίως δὲ πᾶσαν μίαν. *Qui in tantum aversionis ab hâc vitâ civili processerat, ut omnem quidem possessionem abdicaret; omnem verò servum dimitteret liberum; abdicaret quin etiam dignitatem, adeò ut Prætor in ipso procinctu prodeundi ad functionem Magistratûs, lictoribus apparentibus; repentè mutatus, neque procederet, neque curaret officium obire. Sed ne in propriis quidem de cætero habitare sustineret ædibus: verùm ad quosdam Amicorum & Familiarium ventitans: illic precariò cœnaret, ibi dormiret: alternis semel duntaxat diebus comedens, &c.* Addit de hoc Porphyrius post pauca τοῦτον ἀπεδέχετο ὁ Πλωτῖνος, καὶ ἐν τοῖς μάλιστα ἐπαινῶν διετέλει, εἰς ἀγαθὸν παράδειγμα τοῖς φιλοσοφεῖν προαλλόμενος. *Hunc Plotinus in primis complectebatur, mirisque laudibus extollebat; in exemplum imitabile philosophicè vivere volentibus proponens.* Observet hîc prudens Lector quò Diabolus perduxerit affectatissimam suos istos Magos Christo assimilandi per omnia curam. Dolebant oculi Philosophis in Evangelio legentibus; unâ Christi vocantis voce repentè mutatos homines, Matthæum Telonearium, Zachæum Publicanum, plurimos alios, abruptis necessitudinibus, abdicatis opibus, totos se religioni exercendæ tradidisse, vitamque Dei virtutisque causâ duram amplexos, in eâ perseveransse ad mortem usque. Quædam in speciem similia in hoc Rogatiano & si quibus aliis, ab Apollonio & Plotino seductis demonstrare studuit. Uti &, quod ferebatur: Mulieres quoque probas & honestas, Christi doctrinam admiratas, eum coluisse, eò laudatiorem publicè vitam instituentes, quò ei arctiùs perseverantiúsque adhæsissent: ne minus quidquam Antichristus à Christo haberet, de Plotino scribit Porphyrius: ἔχει δὲ καὶ γυναῖκας σφόδρα προσκειμένας, Γεμίναν τε, ἧς καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ κατῴκει, καὶ τοῦ τούτης θυγατέρα ὁμοίως τῇ μητρὶ καλουμένην Ἀμφικλείαν τε τὴν Ἀρίστωνος. *Habuit & mulieres valde ipsi deditas, Geminam, cujus etiam in domo diversabatur, & hujus, Matri cognominem, filiam; Amphicleamque Aristone natam.* Paulò post addit: πολλοὶ δὲ καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες ἀποθνήσκειν μέλλοντες, τῶν εὐγενεστάτων, φέροντες τὰ ἑαυτῶν τέκνα, ἀρρένας τε ὁμοῦ καὶ θηλείας, ἐκείνῳ παρέδοσαν μὴ τῶν ἄλλων ἐπίσης, ὡς ἱερῷ τινι καὶ θείῳ φύλακι. ὃν δὲ ἐπετήρωτο αὐτῷ ἡ οἰκία παίδων καὶ παρ-

θένων. *Multi verò Viri & Mulieres è Nobiliſſimis, imminente ipſis morte, ſuos utriuſvis ſexûs liberos illi cum hæreditatibus & patrimoniis unà curandos delegabant, commendantes ut ſacro divinoque cuſtodi: unde ei domus erat plena Puerorum & Virginum.* Hæc tam multa eò congeſſi, ut ex iis (quod credo futurum) appareret ſatis veriſimile: duo Magiæ *cornua Agni ſimilia*, ex mente ſacri Vatis noſtri deſignare Apollonium Tyaneum & Plotinum Lycopolitam; Magos ambos, illum è Cappadociâ, hunc ex Ægypto Romam profectos, & magna illic apud Imperantes pollentes gratiâ, cujus vim totam contulerunt ad perdendam Religionem Chriſti, admirationemque hominum ab ipſo in ſeſe transferendam; quæ præcipua celebrabantur Chriſti decora in ſeipſis per affectatiſſimam ſimulationem exhibere conando. Reſtant explicanda ſequentia mox verba.

Et loquebatur ſicut Draco.

Draco, ut ſæpe dictum eſt, ſignificat Idololatriam, totamque diſciplinam vanarum ſuperſtitionum ab harum Præſidibus & Antiſtitibus traditam. Docebant hi multos eſſe Deos, magnos, minutos, mares, feminas; alios ortu, naturâ, φύσει tales, alios evectione, promotione θέσει ex hominibus factos: varios eſſe ſingulorum colendorum ritus: ſua cuique apta miniſteria, ſacrificia, feſta, delubra diverſæ formæ. Eſſe præterea divinationes multiplicis generis Auguria, Auſpicia, Extiſpicia, Sortes, Oracula: eſſe arcanas cerimonias ſtatis obeundas intervallis myſteriorum Cereris, Orgiorum Bacchi, & ſimilium: contra hæc qui hiſcere auderent, revocare in dubium quidvis iſtorum, carpere uſus tales ac reprehendere, eos arceri, tolli perimi ſuperſtitionum Antiſtites toto jubebant ore: totâ vi procurabant. Audiamus paria loquentem Magiam. Apollonius Paræneſi ad rectè imperandum Veſpaſiano datâ, quam recitat Philoſtratus lib. v. cap. XIII. Θεὸν θεράπευε μᾶλλον ἢ πρότερον. μεγάλα γὰρ παρ' αὐτῶν εἴληφας. *Deos cole diligentiùs quàm priùs: magna enim ab iis accepiſti.* Quæ non eſt dubium quin Nervæ & Trajano fortius etiam inculcaverit, mandatis ſcripto & voce per Damin, ut ſuprà eſt relatum, ad ipſos miſſis. Cum Apollonium Lacedæmonii Sacerdotes interrogaſſent, πῶς Θεοὶ θεραπευτέοι; *quomodo colendi eſſent Dii?* reſpondit: ὡς δεσπόται: *ut Domini.* Rurſus interrogarunt: πῶς ἥρωες; *quomodo colendi Heroes?* ὡς πατέρες, *ut Patres.* Philoſtr. lib. IV. cap. X. Idem lib. III. cap. ult. refert: appulſum in Cyprum Inſulam Apollonium, Paphum iviſſe ad Veneris ibi conditum Templum; idque venerabundè miratum, multis verbis adhortando ejus Sacerdotes, *ut illud piè ac ſanctè colerent.* Eundem exemplo etiam ſuo docuiſſe, *quotidie manè Solem adorandum*, refert Phil. lib. VI. cap. V. Tradit idem lib. III. cap. XII. Apollonium de Stellarum divinatione libros quatuor ſcripſiſſe; atque etiam de ſacrificiis. Libro verò IV. cap. VII. narrat: viſitaſſe Apollonium laudando ac venerabilia prædicando omnia Græcorum delubra unde

reſponſa petebantur, Dodonæum: Pythicum, Amphiarai, Trophonii, Muſarum in Helicone, &c. Eundem lib. eodem cap. 11. ait: profectum in Græciam, in Templo Æſculapii, ſomnia eorum qui eò venerant interpretari docuiſſe: moxque ad Ilienſes iviſſe, magnoperéque confirmaſſe Achillis divinitatem, commendaſſeque impenſum illi ab iis cultum; etiam fingendo ſibi Achillem apparuiſſe, multaque quæ retulit & executus eſt, præcepiſſe. Denique idem ſparſim alibi memorat omnibus eum quæ variis in locis ritu arcano celebrabantur myſteriis initiari ſtuduiſſe; ut fidem illis autoritatemque conciliaret: planéque apparet ex totâ ejus Hiſtoriæ lectione unum ferè id ubique ac ſemper Magum iſtum omni arte ac conatu procuraſſe, ut omne ſuperſtitionum genus cunctaſque ipſarum partes, mordicùs tenendas, & ut ſanctas ſacraſque; ſummâ in veneratione habendas univerſis ſuaderet. Perdendos verò delendoſque Chriſtianos vociferari palàm ubique ſolebat, ut Lucianus nominatim refert, Apollonii diſcipulus Alexander. Nec diſſimilia de Plotino Magiſque aliis obſervabit qui acta horum leget. Ex quibus patet veriſſimè hic à Joanne ſcriptum: *Magiam eadem cum Idololatria fuiſſe locutam.*

℣. 12. Et poteſtatem prioris Beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus:

Facere omnem poteſtatem, quod hîc dicitur, eſt, *exequi omne Imperium*: nam *poteſtas*, in Græcis originibus ἐξουσία, ſignificat autoritatem, qua freti Magiſtratus aliquid jubent: unde quia effectui ſæpe attribuitur cauſæ ſuæ nomen, mandatum ex poteſtate ortum *poteſtas* dicitur. Magia ergo ſive Magi, præſertim Apollonius & Plotinus, aut Emiſſarii ſive diſcipuli horum, qui toto tempore in Prophetia hujus capitis ſignato, à Domitiano uſque ad Diocletianum, in magnâ gratiâ fuerunt apud novem Cæſares Chriſtianorum Perſecutores, initio à Trajano ducto: quod is pernicioſior propter virtutis opinionem, & victoriarum felicitatem Deorum favori imputatarum, Perſecutor Chriſtianiſmi fuit: quia palàm omni ſedulitate ſatagebant & ipſi obire ritus omnes Idololatricarum ſuperſtitionum, in feſtis, ſacrificiis, libationibus, auſpiciis, auguriis; cæterâque omni obſervatione Paganiſmi: & enixè omnes ad idem faciendum hortari atque urgere ſoliti erant, hoc loco verè dicuntur *feciſſe omnem poteſtatem prioris Beſtiæ*, hoc eſt Idololatriæ Romana potentiâ armatæ; idque *in conſpectu ejus*: ipſa vidente, ac probante; affectato ſcilicet per artem aſſentatoriam conſpectu Potentium, ad horum flagrantiorem gratiam magis magiſque captandam, iis diligentiſſimè agendis quæ cordi eſſe ipſis, ac ſuper omnia placere certò norant: ut ſic obiter iſtorum Magorum ὑπόκρισις *ſimulatio* & ὀφθαλμοδουλία *ſervitus ad oculum* innuatur.

Et fecit terram, & habitantes in eâ adorare Beſtiam primam cujus curata eſt plaga mortis.

Hæc *Beſtia prima* hoc eſt, ſuperiùs memorata verſ. 3. hujus capitis, eſt, ut ibi clarè demonſtravi, Jupiter Capitolinus dictus Rex Deorum, ſummus apex Idololatriæ Romanâ potentia ſubnixæ: cujus Templum, Arx primaria & Metropolis Paganicæ ſuperſtitionis, Vitelliano civili bello incenſum, magnificè inſtauratum, & ad gloriam priori majorèm reſtitutum à Flaviâ domo tunc regnante fuerat: unde contigerat exiſtimationem & venerationem ejus apud omnes per Orbem Gentes creſcere. Præcipuum autem hos Magos ſtudium & devotionem erga Jovem præ ſe tuliſſe, illa oſtendunt quæ de Apollonio refert Philoſtratus, dum ait lib. I. cap. IV. exiſtimatum à Tyanenſibus civem ipſorum Apollonium *Jovis filium eſſe*: οἱ μὲν δὴ ἐγχώριοί φασι, παῖδα τοῦ Διὸς Ἀπολλώνιον γεγονέναι cujus rei cauſa fuit, quod contigiſſet, Matrem ejus ipſum parere propè fontem qui ὕδωρ Διὸς *Aqua Jovis* vulgò appellabatur. Sanè ipſum affectaſſe teneritudinem pietatis erga Jovem oſtentare filialis, illud demonſtrat quod ſcribit ejus Hiſtoricus lib. IV. cap. IX. dictum ab eo in cœtu maximo, ludorum Olympicorum cauſâ viſendorum congregato: ἰδὼν ὅ (ait) εἰς τὸ ἔδος τὸ ἐν ὀλυμπίᾳ χαῖρε, εἶπεν, ἀγαθὲ ζεῦ σὺ γὸ ὢν τοι ἀγαθὸς, ὡς καὶ σαυτὸν κοινωνῆσαι, τοῖς ἀνθρώποις. *Reſpiciens autem Jovis Olympii Templum, ſalve, inquit, bone Jupiter, qui adeò bonus es, ut teipſum communices hominibus.* Eodem pertinet quod cap. XI. lib. IV. legitur: Nutricem Jovis per ſomnium Apollonio viſam, illum rogaſſe ut ſe viſeret: quo ille interpretatus invitari ſe ad Cretam Inſulam Jovis patriam adeundam, eò confeſtim navigavit. Adde Philoſtratum eundem lib. VIII. cap. XII. variis de loco & modo mortis Apollonii ſententiis enumeratis, ultimam hanc ponere in qua ſibi eum placuiſſe præ cæteris apparet. Ibi ait: Dami Romam dimiſſo, *iviſſe in Cretam Apollonium, ibique intempeſtivis horis Matris Dictææ Templum adire conſueviſſe, Canibus qui ei Fano divitiis referto cuſtodes erant appoſiti, Urſis etiam & belluis quibuſvis ſæviores, ei ultrò blandientibus, quo ſuſpicati Fani Antiſtites, Incantatorem eum eſſe ſacrilegum, comprehenſum conſtrinxerunt. At ille mediâ nocte ſe vinculis eximens, cuſtodibus qui eum vinxerant nominatim appellatis, ne diſcedens velle latere videretur, ad Templi fores acceſſit: quæ ei ultrò patuerunt. Cumque ipſe Templum intraſſet, fores iterùm ut erant anteà, ſe clauſerunt: & vox quaſi cantantium Virginum in Templo eſt audita: erant verò cantantium verba hujuſmodi* στεῖχε κᾶς, στεῖχε ἐς ἠρανὸν, στεῖχε, ὅιον ἴδι ἐκ τῆς γῆς ἄνω: *Veni de terrâ, veni, in cœlum aſcende, ſicut deſuper terram veneras.* Hæc ibi. Quàm anilem fabellam eò ab Apollonii admiratoribus excogitatam puto; quod conſentaneum ducerent, eum qui Jove natus putaretur, idque probaſſet totâ vitâ filialem in Jovem affectum demonſtrando, eopſe in loco ubi natus & mortuus eſſet Jupiter, in ipſo quaſi Patris ſinu, inter Nympharum

cantus animam efflare. Nec verò licet dubitare, quin & Discipuli Apollonii primùm, deinde Plotinus & Sectarii hujus, qui se novem Persecutorum Cæsarum hoc potissimùm capite indicatorum, auribus inculcabant, insignem erga Jovem Capitolinum & in se monstrare devotionem & omnes ad eam inflammare conarentur: Christianosq;qui ei divinitatem abrogarent, diris execrationibus devoverent. Quod fuit, ut hîc dicitur, Magiàm *fecisse*, *Terram*, *&* (τὸ *&* expositivè hîc ponitur pro, *id est*) *habitantes in eâ adorare primam Bestiam*, *cujus curata est plaga mortis.*

℣. 13. Et fecit signa magna.

Quæ hîc dicantur *signa magna*, licet intelligere ex iis quæ Judæi dicunt Joan. xi. 47. *Quid facimus quia hic homo signa magna facit.* Per hæc enim ibi significantur, curationes à morbis, liberationes Energumenorum, introspectiones verbis declaratæ arcanorum cordis in hominibus, Prophetiæ eventu patratæ, miræ mutationes animorum & morum subitò in audientibus secutæ; & quæcumque similia vim humanâ majorem in operante clarè signant. Hunc quoque *signorum magnorum* characterem in suis Magis, præsertim in pessimo omnium Apollonio, exprimere malus Dæmon studuit. Aliqua ex his in specimen deinceps notabimus ex hujus Antichristi Pseudo-Evangelistâ Philostrato. lib. i. c. vi. Narratur curatio Assyrii Adolescentis hydropici, ab Apollonio, ad quem illum Æsculapius per somnum apparens miserat, patrata. Libri ejusdem cap. ix. Cilicem libidinosum à se ausum inhonesta petere, dicitur repulisse Apollonius, denunciandâ illi nece instante, quæ triduò post evenit. lib. iv. cap. iii. rogatus ab Ephesiis ut peste ipsos sævè grassante liberaret, jussit eos digito à se monstratum pannosum senem lapidare. Quod cum illi fecissent, acervum lapidum super eum cumulatum removeri jubens, ostendit sub eo non hominem, ut putabant, sed canem rabiosum jacere, spumante adhuc ore. Dixit eum fuisse dæmonem autorem pestis: quæ deinceps nulli esset nocitura. quod & contigit, cap. vi. Adolescentem dæmone insessum liberat Apollonius, præscripto dæmoni signo unde intelligeretur ejus egressus, eversione mox cunctis videntibus secutâ sitæ in loco proximo statuæ. cap. viii. Lamiam dæmonem succubum detegit, & ab ejus perniciosâ illusione Menippum liberat, cap. xi. Facto ingenti terræ-motu, cum in Cretà esset Apollonius, timentibus, dixit: bono essent animo; parturientis enim naturæ motum illum fuisse, jam quieturum, postquam Pontus terram peperisset. paulò post certis compertum est nunciis, novam è mari natam insulam in freto vicino quod Cretam inter Theramque jacet. lib. eod. c. xvi. sic Philostratus scribit: *Aliud præterea ab Apollonio miraculum tale factum est: Puella quædam ipso nuptiarum tempore mori visa est: quam feretro impositam sponsus lugens sequebatur, de nuptiis imperfectis multùm coquerens, & graviter dolens. Habitabat autẽ Puella in domo Consuli* (Telesino Romæ) *vi-*

cinâ. Huic igitur funeri occurrens Apollonius, deponite feretrum, inquit, ego enim vestras pro puella lacrymas sedabo: & simul quodnam Puellæ nomen esset interrogavit. Plerique igitur illum orationem habiturum putabant, quâ mœrentium lacrymas doloremque sedaret. Ipse verò puellam attrectans, atque aliquid illi secretò admurmurans, ab ea quæ videbatur morte revocavit. quæ statim etiam loqui incipiens in paternam domum rediit: sicut Alceste quondam ab Hercule in vitam restituta. Cumque Puellæ parentes drachmarum millia quindecim Apollonio donarent: ipse pro dotis accessione Puellæ eas pecunias se largiri dixit. Hæc ibi. Lib. v. cap. III. cum esset Syracusis Apollonius extremo Neronis tempore, nunciatum ei est, ibi natum ex muliere nobili tricipitem infantem. Misso ad rem explorandam Dami, cum is retulisset, verè ita esse, ac triceps id monstrum esse masculum, convocatis sociis Apollonius: *Tres*, inquit, *erunt Romani Imperatores nec eorum quisquam perfectè Imperio potietur: sed alii in Civitate ipsa, alii circà finitima Civitati loca devoluti peribunt citiùs quàm Tragœdiarum Tyranni personam mutantes.* Hoc verùm mox apparuit in Galba, Otthone & Vitellio intra annum occisis: Galba & Vitellio in urbe; Othone in Gallia Cisalpina. Lib. v. cap. VI. è Sicilia in Achaïam trajiciens nave bona conscensa, ubi Leucadem tenuit: *Descendamus*, inquit, *ex hac navi. cujus verbis nemo paruit præter eos qui viri virtutem anteà noverant. Ipse cum iis qui dicto audientes fuerunt in Leucadiam navim transgressus ad Lechæum appulit. Syracosia verò navis ex quâ descenderant, dum Crisæum sinum præternavigaret, submersa est.* Cap. VIII. cum in Ægypto esset Apollonius, *Fortè* (verba sunt Philostrati) *Prædones duodecim capitis damnati ad supplicium ducebantur. Eos cum aspexisset Apollonius; Non omnes, inquit, supplicio digni sunt: & digito quemdam illorum ostendens, ille, inquit, mentitus est. Tunc ad Ministros à quibus ducebantur conversus: Jubeo vos inquit, cursum sistere, tardiúsque ad supplicii locum accedere: atque omnium ultimum hunc interfici: is enim sceleris hujus nequaquam est particeps. Rectè igitur feceritis eorum mortem aliquantulum protrahentes, quoad palàm fiat, quos occidere aut non occidere sit melius. His dicendis quamdiù poterat immoratus sermonem in longum protrahebat, quod aliàs facere minimè consuevit. Cur autem id fecerit paulò post apparebit: cum enim octo jam capita abscissa essent, eques citato cursu ad supplicii locum tendens, Pharioni parcite, clamabat, non enim latro est: sed de seipso pœnarum timore mentitus est: atque alii tormentis veritatem fateri coacti virum bonum hunc esse confessi sunt.* Cap. libri v. x. alloquens in Ægypto Vespasianum Apollonius, postridie quàm Templum Jovis Capitolini Romæ conflagraverat: *O Capitoline Jupiter, inquit (Te namque præsentibus rebus præsidere cognosco) te ipsum huic conserva, & istum Tibi. Templum enim quod impiæ manus hesternâ die incenderunt, hunc virum instaurare fata decreverunt.* Lib. VI. cap. v. refertur: Ulmum arborem salutasse voce distincta Apollonium tunc apud Indos degentem. Cap. XIII. refertur Apollonius multò

ante prædixisse Titi Imperatoris mortem, & ejus modum. Ibidem cap. XVI. Apollonius in hominem incidens cui quod quatuor essent filiæ nubiles, nec haberet unde illas dotaret, ingens oborta cum desperatione tristitia erat, cum ei miseratus dixisset: *Ego & Terra de te curam habebimus: nam illi te sacrificare frequenter dicunt.* Tum indicavit ei agrum quem suasit, ut emeret: in ejusque parte jussit fodere. Ibi invenit amphoram tribus millibus Daricis plenam; unde collocatis splendidè filiabus, etiam ipse dives & fortunatus vixit. Cap. XVIII. lib. ejusdem, narratur: Apollonium Tarsi puerum è morsu canis rabiosi actum in rabiem, simulque canem ipsum qui eum momorderat sanasse. Hæc de Apollonio narrat Philostratus: in quibus nihil est quod vim Dæmonum illi Mago servientium excedat. Nam Puellam quam dicit eductam è feretro, non fuisse verè mortuam, ipse Historicus statim post non obscurè indicat: vaticinia autem navis submergendæ & hominis occidendi, sic prædici à malo Dæmone potuere, ut Latro qui postridie constituerit aliquem interficere, potest prædicere illum cras moriturum. Non potest tamen dubitari quin hæc visa magnam vim habuerint ad ingentem Apollonio existimationem fidemque conciliandam: Deo suis altissimis judiciis ita permittere decernente: de quo præmonuerat Christus ipse Discipulos Matt. XIV. 24. dicens: *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ & dabunt signa magna & prodigia: ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam Electi.* Et eâdem præmuniendi homines causa hæc prædici hoc loco per Joannem curat. De altero quoque Mago Plotino, effecisse illum ope sui Dæmonis mira multa, docet in ejus vita Porphyrius, inter alia celebrans miram in Rogatiano mutationem morum: ex qua etiam secutum fuisse mox addit, ut idem è gravibus quibus anteà conflictabatur, morbis planè convalesceret. Hic omittere non oportet aliud vafrum mali Dæmonis inventum per istos suos Ministros Magos adhibitum ad stabiliendam in usu ac mentibus hominum pessimam & stultissimam Idololatriæ speciem qua Romani Imperatores, etiam adhuc viventes, ut de Trajano supra ex Plinio secundo monstravimus: præsertim autem postquàm decesserant, & solemni apotheosi relati in Deorum numerum fuerant, votis, sacrificiis, delubris, aliisque religiosis ritibus tanquam veri Dei colebantur: curabant scilicet, ut ab iis miracula edi viderentur, quibus scilicet persuasio de illorum divinitate in deceptarum istis præstigiis Gentium mentibus altè defigeretur. Audiamus Suetonium cap. VII. vitæ Vespasiani hæc scribentem, postquàm retulit eum. *Suscepto civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiisse, ut claustra Ægypti obtineret; ac de firmitate imperii auspicium capturum, Ædem Serapidis intrasse. Statimque advenisse literas, fusas apud Cremonam Vitellii copias, ipsumque in Urbe interemptum, nunciantes.* Addit mox Historicus: *Autoritas & quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato, & adhuc novo Principi deerat; hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debilis crure, sedentem pro tribunali pa-*

riter adierunt, orantes opem valetudinis demonstratam à Serapide per quietem, restituturum oculos si inspuisset, confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. cum vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideóque ne experiri quidem auderet, extremò hortantibus amicis, palàm pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. In istis *amicis*, quorum hortatu Vespasianus rem talem *tentavit*, præcipuum & cæterorum instigatorem fuisse Apollonium Tyaneum, dubitare non poterit qui Philostrati capita VIII. IX. X. XI. & XII. libri V. legerit. Ibi enim clarè perspiciet, tali tempore ac loco fuisse apud Vespasianum in summâ gratiâ & veneratione Apollonium, omniumque consiliorum cupidè adhibitum & obnoxiè obedientissiméque auditum Autorem. Non quærendus ergo alius istius compositor fabulæ. Ille duos homunculos subornavit quorum se cæcum unus, claudum alter fingeret: aut in eos arte magicâ immisit facile amovibilia visûs & gressûs impedimenta: tum utrique procuravit somnia visæ auditæque Isidis, eosque sistere se ac visa auditáque narrare sedenti pro Tribunali compulit. Idem denique cunctantem in attendendâ re suas vires excedente Principem: suasu præsens idoneusque autor, ineluctabili pertraxit ad tentandum: successumque ope paratâ sui dæmonis repræsentavit. Idem fuisse imitatus quidam ex ejus Emissariis apud Hadrianum extremo laborantem morbo credendus omninò est. En quid de hoc narret Ælius Spartianus: *Eâ tempestate supervenit quædam mulier quæ diceret somnio se monitam, ut insinuaret Adriano ne se occideret, quod esset bene valiturus: quod cum non feciisset, esse cæcatam. Iussam tamen iterùm, Adriano eadem diceret, atque genua ejus oscularetur, receptura visum si id feciisset. Quod cum insomnium implesset, oculos recepit, quum aquâ quæ in fano erat ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannoniâ quidam natus cæcus ad Febrientem Adrianum: eumque contigit: quo facto, & ipse oculos recepit; & Adrianum Febris reliquit. Quamvis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret.* Hactenus Spartianus. Ex his porrò simul cunctis satis clarè ni fallor apparet, quàm verè hic prædictum à Sacro Vate sit: Magiam *multa signa facturam.*

Ut etiam ignem faceret de Cœlo descendere in terram in conspectu hominum.

Facile hoc effectu prodigium Magis fuit, paratum utique ad nutus habentibus obsequium dæmonum; quare credo equidem sæpe ipsos, quod scripto, ut vulgare, dignatum non sit, rudium oculis illusisse demittendâ è cœlo flammâ. Duo tamen reperio in Historiâ Philostrati loca, ad quæ alludum in his Joannis verbis non temerè, ni fallor, autumem. Primùm enim lib. I. cap. IV. hæc leguntur: *οἱ δὲ ἐγχώριοί φασιν ὡς ὀμοῦ τε πίπτοιλο, καὶ σκηπτὸς ἐν τῇ γῇ πεσὼν δοκῶν, ἐμμετεωρίσθη τῷ αἰθέρι, καὶ ἀφανισθεὶη ἄνω τὸ, δίμαι, ἐκφανὲς καὶ ὑπὲρ πάντα τὰ ἐν τῇ γῇ, καὶ τὸ ἀγχοῦ θεῶν καὶ ὁπόσα ὁ δὴρ ἐγένετο, φαίνοντες οἱ θεοὶ καὶ προσημαίνοντες.* Hoc est: *Locorum autem Accolæ perhibent*

perhibent, illâ (Matre Apollonii) *pariente fulmen è cœlo in terram decidisse, visum repentè in sublimiorem ætheris rediisse evanescendo regionem. Hoc, ut arbitror, portendens id quod proximo ederetur partu, sublimius omnibus quæ sunt in terra futurum; ac sibi admovendum proximè, ultrò jam tum præsignantibus Deis.* Alius jacet locus lib. IV. c. XIV. γενομένης ποτε (scribit ibi Philostratus) ἐκλείψεως ἡλίου, καὶ βροντῆς ἐκδοθείσης ὅπερ ἥκιστα ἐν ἐκλείψει δοκεῖ ξυμβαίνειν, ἀναβλέψας ἐς τὸν οὐρανὸν, ἔσται τι, ἔφη, μέγα, καὶ οὐκ ἔσται. ξυμβαλεῖν μὲν δὴ τὸ εἰρημένον οὔπω εἶχον οἱ παρατυχόντες τῷ λόγῳ. τρίτου δ' ἀπὸ τῆς ἐκλείψεως ἡμέρᾳ ξηνῆκαν τοῦ λογίου πάντες. σιτουμένου γὰρ τοῦ Νέρωνος, ἐμπεσὼν τῇ τραπέζῃ σκηπτὸς διήλασε τῆς κύλικος ἐν χερσὶν οὔσης, καὶ οὐ πολὺ ἀπεχούσης τοῦ στόματος. τῷ δὴ παρὰ τοσοῦτον ἐλθεῖν τοῦ βληθῆναι αὐτόν, πεπράξεσθαί τι εἶπε, καὶ μὴ πεπράξεσθαι. Hoc est: *commissa Solis ecclipsi?* agente Romæ Apollonio, & ab irati ei Neronis tyrannide periclitante) *simulque tonitru edito, quod minimè tali tempore solet evenire: suspiciens in Cœlum* (Apollonius) *erit, ait, aliquid magnum, & non erit. assequi conjecturâ quid his significaret qui dicenti aderant tunc quidem nequiverunt. Tertio vero post ecclipsim die, facilè omnes intellexerunt quid per hæc indicasset. Cœnante quippe Nerone incidens in mensam fulmen cum fulgure, excussit calicem quem is tenebat manibus proximè jam admotum ori. Quod igitur tam propè abfuerit quin percuteretur Nero, dixerat, id ipsum præsignans Apollonius: mox fiet, & non fiet.* Sic Philostratus. Videntur hæc contigisse VII. Neronis anno: tunc enim valde conspicua Solis defectio accidit illa de quâ Plinius lib. II. cap. LXX. hæc scribit: *Solis defectum Vipsano & Fontejo Coss. qui fuere ante paucos annos, factum pridie Kalendas Majas Campania horâ diei inter septimam & octavam sensit.* Fulmen porrò istud, eò quod prædictum ab Apollonio videretur, ipsius etiam vi & jussu è Cœlo devocatum, haud ægrè sibi persuaserunt homines ejus admiratione præoccupati. Unde hoc signum de Cœlo in magnum augmentum famæ ac venerationis illius profecisse, quod hîc noster innuit, per se pronum est creditu. De priori flammæ de Cœlo in nascentem Apollonium descensu, ut actum hîc quoque videri queat, suadet quod Hierocles, id signum opposuit stellæ Christi natalem insignienti, ut sic nihilò superiorem in hâc quoque affusione Cœlestis lucis Nativitatem Christi, ortu Apollonii persuaderet. quæ causa fuit contra hunc scribenti Eusebio diligentiæ peculiaris adhibendæ in elevandâ ejus narrationis fide. Eum audiamus, Græca omitterem fortasse brevitatis gratiâ, nisi corrigenda in iis obiter essent menda duo insignia, quæ in Aldinâ, quâ utebar, editione reperi. ἀλλ' οὐδὲ (ait) τῆς περὶ τοὺς κήπους (corrige περὶ τοῦ σκήπτου) μυθολογίας τὸν μάρτυρα παρέχειν ἀξιῶ. οὐ γὰρ δὴ καὶ τούτων, ὡς ἔφη, ὁ Δάμις ξυνίστρω (emenda, ξυνίστωρ) ἀφίξεται, μακρῷ ὕστερον ἐν Νίνῳ τῆς Ἀσσυρίας τ' ἀνδρὶ ξυνάψας. *Sed neque fabulæ ignis de Cœlo in nascentem Lapsi, testem jubebo dare. Non enim, quem initio laudavit autorem oculatum omnium à se dicendorum, hujus Damis conscius ex visu facti esse potuit: ut pote qui tanto*

post, viro jam Apollonio, atque apud Ninivem peregrinanti, adhærere primùm cœperit.

℣. 14. Et seduxit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.

Manifestum est per hæc Magorum signa confirmatos fuisse innumeros homines in Idololatriâ, & aversos à Doctrinâ Evangelicâ per Apostolos & horum Discipulos per Orbem prædicatâ toto illo spatio quod à Domitiano ad Diocletianum patet: præsertim cum ea signa fierent *in conspectu bestiæ* hoc est probantibus Romanis Imperatoribus qui tunc erant; & Magos ipsos Doctrinamque illorum peculiari gratiâ & omni favore amplectentibus.

Dicens habitantibus in terrâ ut faciant imaginem bestiæ quæ habet plagam gladii & vixit.

Satis constat ex Memoriis eorum temporum Sectarios Apollonii, Plotini, Magorumque cæterorum concursantes Romanas Provincias passim suasisse cultum impensiorem Jovis Capitolini, signati hoc loco, nomine *Bestiæ quæ habet plagam gladii & vixit*; idcirco quod ejus Templum & Idolum bello Vitelliano conflagraverat, ut dictum est superiùs ad v. 3. Intelligitur autem majori hoc eos studio ac contentione procurasse temporibus Trajani & successorum ejus usque ad Commodum, quia tunc recentior erat memoria Cladis illius, quæ vulgata latè per orbem magnam inflixerat securim Idololatriæ: eò quod per illam appareret, supremum Deorum Jovem adeò esse infirmum, ut non potuisset se suamque illam sedem atque Arcem Religionis à supremo excidio tueri. Hanc illi opinionem ut populis demerent enixè divinitatem ejus supremamque potestatem affirmabant, signis & præstigiis verba roborantes: instabantque summâ vi, ut novæ ubique Aræ ipsi & delubra fierent, statuæque in privatis etiam domuum Lararii religiosè colerentur. Hæc quamquam sunt verisimilia: tamen quia versu jam 12. dictum erat, operam dedisse Magos, *ut habitantes in terrâ adorarent primam bestiam cujus curata est plaga mortis*: quæ satis clarè, ut ibi diximus, prædicunt diligentiam à Magis præcipuam ponendam in procurando ne Jovis Capitolini antiquæ veneration quidquam detraheretur ob Cladem quæ Templo ejus & Idolo acciderat, unde argumentum sumi posset ad credendum, haudquaquam inesse ipsi omnipotentiam divinam: ne tam brevi spatio bis sententia eadem putetur repetita; plùs equidem propendeo ad existimandum aliud hîc innui Apollonii Magi vulgò notissimum factum, à Philostrato narratum libro IV de illius vitâ. Ait ibi cap. III. *Post in Ilienſium regionem migravit, omnemque illorum veterem ſapientiam edoctus, ad Achæorum videnda ſepulcra profectus eſt. ibi multa de illis locutus, multiſque, ſine ſanguine tamen, ſacrificiis peractis, Socios ad navem redire juſſit, ipſe vero*

apud Achillis tumulum pernoctare constituit, cumque illum Socii ab incepto deterrerent, dicerentque, non sicut Geminos aut Phædimos, quibuscum jamjam locutus fuerat Apollonius; sed terribilem visu horrendumque apparere, sic enim aiebant qui apud illum versabantur. His Apollonius repositi, non mirum esse si Achilles Ilionsibus, ut pote antiquis hostibus, terribilem se monstraret: sibi, qui numquam illi fuisset inimicus, confidere, non minùs benignum se affabilemque præbiturum, quàm Nestori pylio solebat dum viveret: itaque perstans in sententiâ, noctem solus ante sepulchrum Achillis transegit. ubi quid ipsi acciderit, Damide ac Sociis id petentibus, cap. v. his verbis refert: *Ego, inquit Apollonius, non sicut Ulysses terram effodiens, neque fuso sanguine ipsum alliciens, cum Achille locutus sum: sed omnes adhibui preces quas pro placandis Heroibus dici Sacerdotes Indorum jubent. O Achilles, inquam, te communis hominum fama mortuum asserit, quorum ego sermonibus non assentior, nec etiam sapientiæ meæ parens Pythagoras. propterea, si vera sentimus, ostende mihi quæso imaginem tuam. Ego namque oculos meos plurimi faciam, si ipsis testibus de tuo conspectu contigerit uti. Hæc ego cum dixissem parumper tumulus intremuit, & Juvenis quidam apparuit staturâ cubitorum quinque, chlamyde thessalicâ indutus. Species autem nequaquam jactatoris esse videbatur, quali plerique Achillem fuisse perhibent: Sed aspectus ejus gravem quamdam præ se comitatem ferebat. pulchritudinem verò ejus nondum pro rei magnitudine satis dignum laudatorem sortitam esse judico: Quamvis multa ab Homero de ipsa sunt decantata. Ego enim inenarrabilem ipsam esse censeo, & dicentis cujusque vires excedere. tum itaque quantus primò apparuisset repentè in duplam excrescere magnitudinem visus est: Ita ut cubitorum duodecim magnitudinem implere mihi videretur*, &c. Hæc ibi Philostratus: quæ, ni fallor, apprimè faciunt ad hujus quem tractamus enarrationem loci. *Bestia quæ habet plagam gladii*, rectè accipitur pro Achille quem apud omnes constat apud Trojam fuisse occisum, & tamen idem deinde ut Deus adoratus est. Nam ejus uti Dei veneratio non tantùm apud Ilienses in ejus sepulcro viguit, ut non solùm Philostratus suprà descriptus, sed etiam Athenagoras testatur; verùm & aliis prætereà multis in locis, puta Mæotidis Angustiis, Leuconoto Insulâ, Thessaliâ, ex Strabone, Plinio & aliis. In hâc porrò Prophetiâ cum in genere Idololatria, tum in particulari omne idolum, sive Deus falsus, qualis erat Achilles, *bestia* dicitur. Hujus ut *imaginem facerent*, hoc est, idolum apud se statuerent, qui jam ante non habebant; quique habebant, diligentiùs colerent, *dixisse*, hoc est suasisse, ac impensè commendasse, Apollonium *habitantibus in terrâ*, docet Philostratus, referens objurgatos ab eo Thessalos, quòd remissiores in eâ religione viderentur; admonitos quoque Ilienses ut id agere perseverarent. Nec dubium quin quas alias adiit Gentes ad idem impellere conatus fuerit; quasque non adiit; istâ ipsâ latè sparsâ divulgatione apparitionis Achillis sibi oblatæ, invitaverit ad eamdem superstitionem vel adsciscendam, vel instantiùs frequentandam.

℣. 15. Et datum eſt illi ut daret ſpiritum imagini Beſtiæ; & ut loquatur imago Beſtiæ.

Confirmant hæc ſuperiorem expoſitionem, ut pote ad amuſſim convenientia his quæ feciſſe dixiſſeque Apollonium narrat Philoſtratus circà imaginem Achillis, quam ſibi videndam oblatam, ſibique locutam affirmavit palàm, & quâ valebat autoritate apud plurimos quos *ſuis Magiis dementaverat*, ut de Simone apud Samaritanos ſcribit Lucas Act. VIII. 2. planè perſuaſit. Unde hoc Apollonii factum, factique ſucceſſum magnoperè oſtentatum ab Hierocle fuiſſe in opere quod edidit de comparatione Apollonii cum Chriſto, indicat Euſebius in ejus confutatione libri quarti, non inficians revera eveniſſe quod Philoſtratus ſcripſit: ſed quàm id demùm totum vanum ſit, & contemnendum, accuratè demonſtrans. ſignificat autem Apollonius verbis illis ſupra deſcriptis Achillem alloquens: *O Achilles, te communis hominum fama mortuum aſſerit, quorum ego ſermonibus non aſſentior*, &c. cupere ſe perſuadere hominibus, vivere nunc Achillem; quippe inter Heroas, hoc eſt, Deos ex hominibus factos, relatum; utcumque olim apud Trojam occiſus fuerit (propter quod hîc dicitur, *Beſtia quæ habet plagam gladii*) idque illi ex voto contigiſſe, credentibus multis ejus teſtimonio, aientis ſe illum vivum vidiſſe; res ipſa & fides Hiſtoriæ demonſtrat: Deo ſecretis ſuæ providentiæ conſiliis iſtam illuſionem permittente. quod innuitur verbis illis: *Datum eſt illi. Dare* igitur *ſpiritum*, hoc eſt, *vitam* imagini beſtiæ, non in ſenſu (ut Scholæ loquuntur) *reali* ponitur, ſed in *opinativo*. idemque ſignificat, quod, *effecit ut vivere crederetur*, & quem notum erat, olim fuiſſe interfectum, poſteà revixiſſe, & nunc maximè ſpiritu vigere, pro certo haberent homines Apollonii Magi verbis creduli. Eodemque modo explicandum eſt quod ſequitur: *Et ut loquatur imago Beſtiæ.* Non enim effecit ut verè loqueretur εἴδωλον Ἀχιλλέως *Imago Achillis*, Apollonius: Sed hoc affirmavit ſe audiente factum, & iſti ſuo teſtimonio, autoritate præſtigiis paratâ, fidem credulis auditoribus fecit, adeò ut perſuaſiſſimum haberent, id revera quod ille aiebat, eveniſſe. Retulit vero multa ab Achille ſibi dicta. Primum enim (ait Philoſtratus capite IV. libri IV.) *Diluculo* (poſt pervigilatam ad Achillis tumulum noctem) *ad ſocios rediens, ubinam eſt, inquit, Antiſthenes Parius? Is vero ſeptimo jam die ab Ilio ſecutus fuerat Apollonium, cumque vocanti reſpondiſſet Antiſthenes? Nonne, inquit Apollonius, ex Trojâ veniſti? Certè, inquit ille; ſum enim antiquâ origine ex Trojanis ortus: An etiam de Priami ſtirpe? inquit Apollonius: ex hac ipsâ profectò, reſpondit Antiſthenes; itaque inde natus & ipſe bonus ſum & ex bonis ortus.* εἰκότως ἄν, ἔφη, ὁ Ἀχιλλεὺς ἀπαγορεύει μοι συνεῖναί σοι. *Iure igitur vetat me Achilles convictu ac familiaritate tuâ uti. Cum enim juſſiſſet me Theſſalis aliqua nunciare, in quibus graviter eos accuſat: Egoque mandatis acceptis abiens interrogarem,*

an aliud quippiam ei gratum efficere posſem? Potes, inquit, id autem eſt; ut adoleſcentem Parium tuâ ſapientiâ non impertias: eſt enim ex Priami ſtirpe oriundus, & Hectorem laudare numquam ceſſat. His auditis Anthiſtenes, quamquam invitus mœrenſque, ab Apollonio diſceſſit. Hæc ibi, ſenſum Achilli appingentia (ut hoc obiter notem) nec Deo dignum, nec conſentaneè confictum ab Apollonio, qui paulò ſuperiùs, in fine capitis III. Achillem à manſuetudine & placabilitate erga hoſtes commendaverat, quippe qui, καὶ τὸν πρίαμον, καίτοι πολεμιώτατον αὐτῷ ὄντα, πρᾳότατον εἶδεν, ἐπιεικῶς διαλεγόμενον ἤκουσε. *Etiam Priamum, utcumque ſibi capitaliter infenſum, benigniſſimè aſpexit, eum placidè audiens ſecum loquentem.* Nunc autem poſt tot à Priamo mortuo ſæcula, divinitate jam ſcilicet præditus Achilles, & majori, ut par fuit, inde affectus clementiâ, invidè tamen adeò atque iracundè in cætera bonum & virtutis ſtudioſum adoleſcentem exardeſcit, quod is eſſet ex ſtirpe Priami, & Hectorem laudaret, quæ laus in hujus victorem Achillem redundaret, apud æſtimantes rectè, juxta illud:

Nam qui te vicit, te quoque major erat.

Sed hæc extra rem noſtram: mihi enim ad loci quem tracto declarationem ſufficit oſtendiſſe, effectum ab Apollonio ut εἴδος Ἀχιλλέως *ſimulacrum Achillis, imago beſtiæ quæ habet plagam gladii & vixit*, locuta etiam fuerit, ſi minùs, revera; at ſaltem opinione plurimorum, Magi mendacis, qui audiſſe affirmabat, falſo licet teſtimonio indubitatam adhibentium fidem. Non eſt tamen omittendum (ut ſunt ænigmaticarum ſententiarum plicæ ſinuſque multiplices) præter caſum hunc ſingularem, locutionis, cum ſucceſſu publicæ credulitatis, affictæ imagini Achillis, aliquid generalius his verbis innui. Vocem videlicet aliis etiam Deorum imaginibus, Magorum operâ tributam, cum admiratione non modicâ hominum per tempora quæ nominatim ſignat hujus capitis Prophetia, complectens, ut ſæpe dictum eſt, intervallum quod extenditur à Domitiano ad Diocletianum. Multa Magicis impoſtorum præſtigiis eo ſpatio locis variis in eo genere oſtentata, quorum minùs diſtincta ad nos pervenerit notitia, ſatis eſt credibile. duo quorum teſtes hodiéque ſuperſunt idonei, memorabo. Prius eſt, Alexandrum Magum è Schola, ut dictum eſt, Apollonii, per Antonini Pii & Marci Aurelii Philoſophi Principatus latiſſimè celebrem, Idolum finxiſſe ex quo vocalia palàm audita Oracula prodibant. Audiamus de hoc oculati auritique teſtis verba, Luciani in ejus impoſtoris, quàm accuratè deſcripſit vitâ. Poſtquam is narravit Agyrtam illum aliquandò Pellæ in Macedoniâ diverſantem, ubi Dracones cicures & prorſus innoxii multi ſunt in ſinu geſtari ſoliti, colludere cum pueris, ac cum iis per noctes in lectis haberi, ſine ullo cujuſquam umquam audito damno: unum ex his permagnum emiſſe, clamque aſportaſſe in Paphlagoniam in Oppidum *Abonitichos* dictum, ſuam Patriam, ibique ſparsâ prius per ſortes vulgatas famâ

appariturum brevi Æſculapium in Aboni ticho, Popularibus illis ſuis, credulis & pinguis ingenii, abſconſum à ſe priùs in ovo anſerino ſerpentem parvulum repentè oſtenſum, perſuaſiſſe; planè hunc ipſum eſſe Apollinis filium Æſculapium qui denuò apud ipſos naſci dignaretur. His creduli rudes illi ſtudio ingenti Templum ædificarunt. Paucis vero poſt diebus poſtquam anguem parvulum recens natum ex ovo rupto produxerat, Draconem pellæum magnum oſtendit, in tantam adoleviſſe brevi ſpatio molem priùs viſum dracunculum affirmans. tenebat autem eum in ſinu, caput ejus verum occultans, caudâ uſque ad terram defluente: oſtentans factitium compactum è linteis Draconis caput, quod ſpeciem quamdam humanam præ ſe ferret, colorum fucis mirè variegatum. Quodque pilis equinis os & aperiret & clauderet. tum lingua, ſicut eſt Draconum, bifulca atra prominebat, quæ & ipſa pilis retrò variè attractis in omnem motum agitabatur. Hoc eſſe verum Æſculapii Draconis caput, facilè Genti ſtolidæ perſuaſum. Inde autem cepit oracula quærentibus reddere, taxato in ſingula drachmæ unius cum duobus obolis pretio. unde impoſtori facilè annuus reditus ſeptuaginta vel octoginta millium proveniebat. Ac primo quidem acceptas percontantium Syngraphas ritè obſignatas aliquamdiù ſervans reddebat ſignis illæſis, cum ſcripto intùs reſponſo. *Verum quo magis redderet* (verba ſunt Luciani) *attonitam multitudinem, pollicitus eſt, ſeſe exhibiturum ipſum Deum loquentem, citráque interpretem edentem oracula. deinde non magno negotio gruum arteriis contextis, ac per lineum illud draconis caput, quod erat adſimulatum inſertis, alio quopiam per has foris inſonante, reſponſitabat ad ea quæ proponebantur, voce nimirum per linteacenum illum Æſculapium ad aures promanante. Hujuſmodi reſponſa* αὐτόφωνα *Autophôna, voce nempe ipsâ Dei prolata, dicebantur. Neque paſſim dabantur: verùm ſplendidis modò atque opulentis, & qui grandia largirentur.* Hæc Lucianus, qui & paulò poſt de concurſu qui fiebat ad hoc Abonitichium Oraculum ſic ſcribit: *Et hactenus quidem de iis quæ intrà patriæ fines* (Alexander impoſtor) *uſque ad Ioniam, Ciliciam, Paphlagoniam, Galatiamque deſignavit. ut vero & in Italiam Oraculi fama permanavit, inque ipſam Romanorum Urbem: jam nemo omnium erat qui non alius alium antevertere ſtuderet, dum hi quidem eò proficiſcuntur ipſi; illi verò mittunt: potiſſimùm ii qui potentiâ atque autoritate plurimum in Republicâ pollebant; quibus princeps quaſique ſignifer extitit Rutilianus, vir aliàs quidem honeſtus & probus, tum compluribus in præliis Romanorum ſpectatæ virtutis.... Hic igitur ſimul atque de Oraculo inaudiſſet, parùm abfuit quin relicto cui præerat exercitu in Aboni murum evolarit: alios autem poſt alios eò legabat*, &c. Hæc qui attentè perpenderit prudens lector non, opinor, judicabit incredibile, reſpexiſſe iſtùc Prophetiam noſtram, dum effecturam prænunciat Magiam; *ut loquatur imago beſtiæ.* Alterum quod promiſeram teſtimonium autoris eſt Chriſtiani perantiqui, nomine Juſtini martyris inter ejus opera editi titulo reſponſionum ad Orthodoxos. Is in reſponſione ad quæſtionem XXIV.

in cujus Propositione indicat se de rebus sui temporis scriberet: hæc ait: *Ipsum dæmonem in Apollonii statuâ situm, qui homines oraculis suis ita deceperat, ut Apollonium tamquam Deum venerarentur & adorarent, obmutescere Dominus fecit.* Ita ille. unde intelligitur ostensam aut etiam circumlatam, mortuo Appollonio, fuisse Imaginem illius quæ loqueretur, & oracula voce redderet. Hæc dici potuit Imago Bestiæ cum omne Idolum dicatur Bestia: & cultum pro Deo Apollonium post mortem à multis, etiam à Romanis Imperatoribus, Antonino Caracalla, Alexandro, & aliis certum est testimonio Dionis, Lampridii in vita Alexandri, & Vopisci in Aureliano: qui etiam quiddam refert de Apollonii apparentis Imagine loquente, quod huc quoque pertinere videri potest. Vopisci de Aureliano verba hæc sunt: *Taceri non debet res quæ ad famam venerabilis viri pertinet. Fertur enim Aurelianum de Tyanæ civitatis eversione vera dixisse, vera cogitasse. Verùm Apollonium Tyaneum celeberrimæ famæ auctoritatisque sapientem, veterem Philosophum, Amicum verum Deorum, ipsum etiam pro Numine frequentandum, recipienti sè in tentorium eâ formâ quâ videtur, subitò adstitisse: atque hæc Latinè, ut homo Pannonius intelligeret, verba dixisse: Aureliane si vis vincere nihil est quod de Civium meorum nece cogites: si vis imperare, à cruore Innocentium abstine, Aureliane clementer te age si vis vincere. norat vultum Philosophi venerabilis Aurelianus; atque in multis ejus Imaginem viderat Templis. denique statim attonitus, & Imaginem, & statuas, & templum eidem promisit; atque in meliorem rediit mentem.* Hæc Flavius Vopiscus, quæ cum novum suppeditent exemplum *Imaginis Bestiæ*, *Magorum artibus locutæ*, nemo, ut spero, erit qui non abundè hoc loco demonstratam à me fuisse fateatur Prophetiæ hoc quem tractamus versu propositæ veritatem. Restat eadem ostendenda, quod mox conabor, in verbis statim sequentibus, hisce:

Et faciat ut quicumque non adoraverint Imaginem Bestiæ occidantur.

Credi fortasse posset ad vaticinii his verbis expressi declarandum eventum pertinere id quod Philostratus libri IV. cap. v. feciisse narrat Apollonium. Ait enim eum post visum & auditum εἶδος Ἀχιλλέως *spectrum Achillis*, ejus jussu adiisse Thessalos, eisque mortis acerbæ minas intentasse, nisi, quæ multo jam tempore intermisissent, Achilli sacra redderent. An non hoc est facere *ut quicumque non adoraverint imaginem Bestiæ occidantur*. Sed hæc potiùs Christianos spectant, ad quorum occisionem, ni Deorum Imagines adorarent, ab Imperatoribus procurandam, quid Magi egerint, commodiùs exequar in expositione sequentis versûs. Nunc satis erit in specimen sanguinarii Magorum in Christianos odii, perpetuò apud quosvis qui aliquid possent, urgentium, ut interficerentur, retulisse quod Lucianus de Alexandro scribit: solitum eum clamare: ἀλέων ἐμπεπλῆσθαι καὶ χρισια-

νῶν τὸν Πόντον : *Atheis & Christianis repletum esse Pontum.* Regiones videlicet Aboniticho, ubi ipse residebat, & Paphlagoniæ finitimas. Addit statim Lucianus : ὃς ἐκέλευε λίθοις ἐλαύνειν, εἰ γε ἐθέλουσιν ἵλεω ἔχειν τὸν Θεόν. *jussisse ut lapidarentur : atque id ni fieret denunciasse : haud futurum propitium Deum, his qui suo isti mandato negligerent obsequi.*

℣. 16. Et faciet omnes Pusillos & Magnos, & Divites & Pauperes ; & Liberos & Servos habere characterem in dexterâ manu suâ, aut in frontibus suis.

His verbis innuitur diabolicum artificium quo Apollonius & ejus Sectarii Magi apud Romanos Imperatores procurare conati sunt Christianismi extinctionem. Viderat Apollonius parùm ad eam valuisse persecutiones in Christianos palàm indictas & atrociter exercitas à Nerone & Domitiano ; primùm propter notissima cunctis immania scelera utriusque istius Tyranni. Deinde propter atrocem & plusquam ferinam tormentorum Christianis illatorum crudelitatem ; ex quâ, ut fatetur de Nerone agens Tacitus Annal. xv. miseratio in patientes oriebatur, etiam eorum qui aliunde illis infensi essent. Aliâ ergo grassandum viâ statuit : primùm dando quantum posset operam, ut homines justi, boni, probi, & clementes habiti, fortes iidem ac felices bello ; sed cultûs Deorum & avitæ superstitionis studiosissimi, ad Romanũ Imperiũ eveherentur. Notaverat ad hoc aptos Nervam & Trajanum, quos in eam præparare spem, ac præoccupare familiaritate & amicitiâ curavit. De Nervâ nota res est ex superiùs laudato Philostrato. Trajanum quoque notũ intimè Apollonio fuisse magna suspicio est ex iis quæ narrat Philostratus suprà relata de longâ apud Vespasianum auspicantem Imperium apud Alexandriam cum Exercitu, morâ. Erat enim in eo Exercitu qui bellum in Judæâ gesserat, honoratissimo jam tum loco Trajanus, ut Josephus testatur in libris de bello. Cum ergo, ut ante retulimus, Apollonius acceptis à Nervâ literis, quibus se promotum ad Imperium indicabat, Damin ad eum cum literis & mandatis allegavit ; satis apparet Nervæ quidem, quem senio infirmum, & brevi moriturum se nosse professus est, nihil aliud mandasse, nisi ut Trajanum adoptaret, ac sic suum in Imperio successorem faceret : consilia vero de modo Imperii rectè ad suum perdendi Christianos finem administrandi, Damidi perscripta commisisse Trajano suggerenda, quæ quantæ apud ipsum futura essent autoritatis non ignorabat. In his Princeps caput erat, ut ad crudelitatis, quæ exosos Neronem & Domitianum publicè fecerat, speciem vitandam, sævis in Christianos Edictis & atrocibus suppliciis abstineretur. Ars tantùm adhiberetur quâ sensim tota illa secta, sperari posset collapsura per seipsam & redigenda in nihilum. Ars ista, nusquam disertè scripta, obscurè innuitur hoc loco à Joanne ; cujus ex consideratione verborum, adhibendâ præterea conjecturâ prudenti è rebus alibi notatis, eruenda in claram notitiæ lucem pro virili deinceps nobis ea est.

Plinius

Plinius junior Ep. CXVII. lib. X. reddens Trajano rationem eorum quæ circa Christianos, in sibi cōmissâ Bithiniæ Provinciâ, quam Proconsul regebat, egerat : hæc inter alia scribit : postquam dixit, aliquos ipso agente, qui Christiani anteà fuissent, sed jam esse desiissent, interrogatos à se de mysteriis istius sectæ : *Affirmabant hanc fuisse vel culpæ suæ summam vel erroris ; quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem ; seque Sacramento, non in scelus aliquod obstringere : sed nè furta, nè latrocinia, nè adulteria committerent, nè fidem fallerent, nè depositum appellati abnegarent. quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium quod ipsum facere desiisse post Edictum meum, quo secundum mandata tua Hetærias esse vetueram.* Hæc ille ex quibus patet legem à Trajano fuisse latam, ex consilio Apollonii, prout verisimile ex supra dictis est, quâ in universum Conventus arcani omnes & Sodalitates vetabantur. Extat ea lex relata in Digestum novum, libro XLVII. Titulo XXII. ubi sic legitur : *Mandatis principalibus præcipitur Præsidibus Provinciarum, nè patiantur esse Collegia, sodalitia*, &c. infra num. III. *nisi ex Senatusconsulti autoritate vel Cæsaris, Collegium vel quodcumque tale corpus coierit, contrà Senatusconsulta & Mandata, & constitutiones Collegium celebrat.* Esse autem hæc quæ hîc vocantur Collegia idem cum Hetæriis à Plinio memoratis, docet clarè, quod mox ibidem scribitur num. IV. *Sodales sunt qui ejusdem Collegii sunt, quam Græci ἑταιρίαν vocant.* Hoc vafro invento legis in speciem plausibilis, rectè videbant Magi caput ipsum peti Christianæ Religionis : quæ subsistere nequiret sine conventibus & Synaxibus. Sed nè cœtus & Collegia quæ Magi ipsi probabant & procurabant, universali præscriptione pariter interdicta putarentur, suasit Trajano fraudis autor Apollonius, ut hanc ei adjiceret exceptionem, quæ ibi hodiéque legitur : *Sed religionis causâ coïre non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra Senatusconsultum quo illicita collegia arcentur.* In hoc maximè doli ac machinæ totius situm ingenium est. Dum enim hinc quidem Christiani convenire ad sacra sua celebranda prohibebantur, inde contrà Magi mali Dæmonis Apostoli concursantes Romani Orbis Provincias, prono ubique Magistratuum favore, cœtus passim agebant, in honorem Deorum cujuspiam è plurimis quorum Religio recepta esset Romæ. nulla autem uspiam ferè per Orbem usurpata superstitio non ibi probabatur. Roma enim illa vetus, ut ait S. Leo, *tum se magnam putabat sumpsisse religionem, si nullam respueret falsitatem.* Ergo Magi (quod sacer vates noster hîc dicit) sedulò genus omne hominum *Magnos, Pusillos, Divites, Pauperes, liberos, servos*, assiduè ambientes, id agebant, ut alii Jovis, alii Apollinis, alii Martis, Deorumque similium Romæ cultorum religioni se devoverent, & convenirent ad hoc pro libito. quibus in cœtibus Deorum illorum priscæ fabulæ ambitiosè prædicabantur, inculcatis promissionibus felicitatis, honorum, divitiarum prosperique in omni vitâ successûs iis qui eorum Numi-

num emereri protectionem singularemque favorem peculiari aliquâ devotione contenderent. Veniebant autem in censum Deorum Romanorum, quibus se sacrare per Senatusconsulta fas esset, etiam Imperatores, ubi Apotheosi solemni relati Senatusconsulto in album Deorum essent, *Divi* Latinè vocati, Græcè autem Θεοὶ *Dii*. Nam & in horum quoque honorem sodalitia instituta, demonstrat in Historiâ Augustâ iterata mentio *Sodalium Antoninianorum*, qui videlicet ad sacra celebranda cujuspiam è Divis Antoninis, Pii, Veri, & aliorum (nam plures id nomen appetivere) conventus agere solerent. Nec Trajano autem, nec Hadriano, cæterisque Divis Cæsaribus parem honorem defuisse, pronum est creditu. Istis autem variorum Deorum Sodalibus, ut eos à Christianismo præmunirent, ex proprio ipsorum usu, qui se Diabolo sacrare insculpto alicui parti corporis ejus stigmate consueverant, enixè suadebant, ut characterem ejus Dei proprium cuti inurerent quem, alii in fronte, alii in carpo manus dexteræ libenter accipiebant, glorianterque ostentabant. Audiendus de his scriptor antiquus, & circa talia testis oculatus, Prudentius est; apud quem, περὶ στεφάνων Hymno x. Romanus Martyr, Romæ sub Valeriano, Ethnicis hunc superstitiosum sic exprobrat ritum.

Quid cum sacrandus accipit Sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus
His membra pergunt urere: utque igniverint,
Quamcumque partem corporis fervens nota
Signarit, hunc sic consecratum prædicant.

In his non designat quidem nominatim, quæ partes corporis hisce notis insignirentur: tamen in mox describendis versibus id indicat. pergit enim dicere:

Functum deinde cum reliquit spiritus,
Et ad sepulchrum pompa fertur funeris:
Partes per ipsas imprimuntur bracteæ.
Insignis auri lamina obducit cutem.
Tegitur metallo quod perustum est ignibus.

Ita ibi. Nimirum in jactationem mortuorum insigniebantur laminis pretiosis & splendidis loca stigmatum inustione signata, ut conspicua etiam procùl intuentibus essent, unde oportuit aut faciem, aut manus his notis impressas fuisse: hæ siquidem partes solæ revelatæ oculis patere solent in corpore quod effertur ad sepulturam. Nempe, quod hîc Joannes habet, *in dextera manu vel in frontibus*, tales characteres accipiebant; qui in frontibus ut suos illos Deos pro dominis habere; qui in manu, pro militiæ Ducibus, quibus sacramento se addixissent, profiterentur. Nam Mancipia vero nomine, aut alio characterе proprio do-

minorum inustas olim frontes habere consueviſſe, docet Heſychius ex Ariſtophane de Babyloniis ſervis, in vocibus, σαμίων δῆμος, ἱερὰνα; & de aliis Plutarchus in vita Niciæ. Milites autem mss erat militiæ ſuæ ſymbola in manibus præferre. Ælianus in Tacticis σίγματά ἐϛι ϛρατευομένων ἐν ταῖς χερσίν. *Stigmata ſunt militantium in manibus.* Unde cum Vegetius lib. I. cap. VIII. *punctis ſignorum ſcriptos milites* ait, de manibus intelligendus eſt, aut potiùs de carpo, ſive eâ parte quâ ma nus brachio jungitur: hunc enim eſſe locum proprium charagmatis, colligitur ex Luciano in libro de Deâ Syriâ, ubi Aſſyrios ait στίζεσθαι εἰς καρπούς *compungi aut ſtigmatizari in carpis.* Nec ſemper profanus hic ritus fuit, cum conſecratus à Spiritu ſancto reperiatur Cantic. VIII. 6. illis ſponſi ad ſponſam verbis: *Pone me ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Nec exempla veterum Chriſtianorum deſint, qui aut crucem aut Chriſti nomen carpis inuſtum circumtulerint. Procopius ad cap. XLIV. Iſaiæ, illa verba explicans verſ. 5. *Iſte dicet Domini ego ſum. & hic ſcribet manu ſuâ, Domino*, ſic annotat: τὸ ὦ, τῇ χειρὶ, διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς ἐπὶ καρπῶν, ἢ βραχίονας, ἢ τοῦ σαυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ πῶ τοῦ χριϛοῦ προσηγορίαν. *Illa manus mentio fortaſſe indicat, fore multos qui vel in carpis, vel in brachiis, crucis ſignum, vel Chriſti nomen, punctis inurerent.*

℣. 17. Et, nè quis poſſit emere vel vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen Beſtiæ, aut numerum nominis ejus.

Hæc ad longè poſteriora Trajano & Antoninis tempora pertinent, nec tamen evagantur ultrà terminos rerum hoc loco prædictarum. oſtendimus enim ſuperiùs, Vaticinio hujus capitis XIII. generaliter comprehendi Perſecutiones in Chriſtianos univerſas, quotquot à Domitiano ad Diocletianum, à Romanis Cæſaribus indictæ ſunt. Eo porrò iſtius intervalli ſpatio quod incipit à Trajani Principatu, ceperunt Magi Gentiles hortari ad ſe Deorum alicui ſacrandos: effeceruntque, curſantes magno numero per Urbes & Provincias, eâ re cunctis aſſiduè inculcandâ, ut Ethnici ferè ubique omnes, cujuſcumque conditionis & ætatis, numen aliquod ſibi tutelare adſciſcerent, cujus cultum & clientelam devotione peculiari, cœtibus etiam ſtatis, in quos ejuſdem Dei cultores convenirent, palàm profiterentur. Hic ſtatus rerum erat quo tempore Diocletianus & Maximianus Imperii habenas capeſſiverunt; quorum alter Jovij, alter Herculii cognomen adſcivit, ut ille Jovi, hic Herculi ſe conſecratum publicè oſtentaret. Plena ergo tunc erant omnia ſtigmaticis iſtis Mancipiis Deorum variorum. quorum alii carpo aut fronti ferrent inuſtum ſymbolum aliquod ejus quem patronum optaverant Dei, puta hederæ folium, qui Baccho, laurum, qui Apollini, oleam, qui Minervæ, myrtum, qui Veneri ſe peculiariter devoviſſent: alii exertè nomen ipſum Idoli: Tertii poſtremò numerum qui ex literis ejuſdem nominis, juxtà vim numeralem quam elementa ſcriptùræ

Græcè Latinéve obtinent. Primorum longè maximus videtur numerus fuisse, qui Dendrophori communi appellatione vocabantur. de his est mentio l. *Sacerdotales*, God. Theodosiano, de Paganis. Talium sodalitates, quæ *Professiones Gentilitiæ* ibi ab Impp. vocantur, Carthagine, Romæ, Comi, Veronæ &alibi fuisse, colligitur ex Inscriptionibus antiquis in iis locis repertis, quæ exhibentur in collectione Gruterianâ Paginis XIV. CLXXV. CCLXI. CCCC. CCCCXXXVIII. CCCCXIV. Alii tota nomina Deorum, si brevia, græcè vel latinè, ut ζεὺς, *Mars*, *Sol*, inscribebant sibi; si longiora, per initiales literas. Ultimorum numerales notæ magis erant arcanæ; & eæ videntur esse quas Servius locis plurimis vocat *nomina mystica*, solis videlicet mystis nota. Exemplum suggerit Martianus Capella, gestantium solis nomen summâ, ut ait, octo & sexcentorum adumbratum. Tria ista stigmatum superstitiosorum genera verbis quæ tractamus Joannes exprimit. primum vocans *characterem*, in Græco χάραγμα, alterum *nomen Bestiæ*, postremum: *numerum nominis Bestiæ*. Finis & usus præcipuè intentus à Magis in procurando ut Gentiles omnes alicui se Dei cujuspiam devotioni sumpto inscriptoque illius charactere implicarent, erat præmunire illos adversùs prædicationem Evangelicam, à quâ ferè præoccupati superstitionibus istiusmodi vehementissimè abhorrebant: constitit tamen ad votum ipsorum & instigantis ad hoc eos diaboli alius ejus operæ fructus, facilis detectio Christianorum, quando in ultima & omnium cruentissima ipsorum persecutione ad illum summum stygiæ feritatis apicem Diocletianus & Maximianus Augusti pervenerunt, quem Autor Actorum S. Sebastiani his verbis exprimit, cap. XVIII. *Erat autem Papa Urbis Romæ nomine Caius, vir magnæ prudentiæ magnæque virtutis, Imperatoribus Carino, Diocletiano, & Maximiano: Carinus autem erat cum omni Exercitu in partibus Galliarum positus: & ejus intuitu lenta persecutio Diocletiani circa Christianos esse ceperat: quia Carinus habebat aliquos Amicos, quos hujus tituli Professio decorabat. Igitur occiso Carino in Civitate Maguntiaco, Maximiano & Aquilino Consulibus, facta est Persecutio talis, ut nullus emeret vel venumdaret aliquid, nisi qui statunculis positis in eo loco; ubi emendi gratia ventum fuisset, thuris exhibuisset incensum. Circà Insulas. circa Vicos, circa Nymphæa quoque, erant positi compulsores, qui neque emendi copiam darent, aut hauriendi aquam ipsam, facultatem tribuerent, nisi qui Idolis delibassent.* Hæc ibi. *Acta hæc* (ait Galesinius, cui assentiuntur nostri Bollandus & Henschenius) *à S. Romanæ Ecclesiæ Notariis conscripta putantur.* & quidem tunc cum res gerebantur, quæ videbant in literas mittentibus. Unde meritò Card. Baronius an. 286. num. 2. Et Joannes Hessels à Lovanio, Criticus emunctæ in talibus naris, ea legitima, syncera, & omni fide digna pronunciant. Scio Monachum Anonymum scriptorem Historiæ de Translatione Reliquiarum S. Sebastiani in Galliam, existimasse Acta ista à S. Ambrosio fuisse scripta, sed stylus repugnat, valde ab Ambrosiano diversus. Puto illi Autori editorem pro conditore fuisse obtrusum. verisimile quippe est, sanctum illum

Mediolanenſem Epiſcopum, in gratiam ſuæ Civitatis quæ S. Sebaſtiano, etſi alibi nato, gloriabatur Alumno, ejus Martyrii Acta vetera è Tabulariis eruiſſe, & multis deſcripta exemplis in manus miſiſſe ac latè vulgaſſe. Facit autem, quod ex iis deſcripſimus, unicè ad declarationem & demonſtrationem eventus Prophetiæ quam tractamus. Prædicit ſcilicet illa, fore ut à Diocletiano & Maximiano quantum poſſent contendentibus funditùs delere Chriſtianiſmum, edicto caveretur, ut nemo foro, nemo balneis, aut fontibus publicis uteretur, niſi qui interrogatus cui Deo ſe ſacraſſet, characterem ejus cuti ſuæ inuſtum oſtenderet, & Idolum ejus ad hoc ibi poſitum thure veneraretur. Quod cum certum eſſet fieri non poſſe ab ullo Chriſtiano, qui tales eſſent primo ſtatim deprehendebantur occurſu; & ſic excluſi neceſſariis vitæ ſubſidiis, in certam brevi ſecuturam damnabantur mortem.

℣. 18. Hic ſapientia eſt.

Reſtringit ſe hîc ſacer vates ad tertium modum iſtarum ſtigmatizationum, qui fiebat per inuſtionem, non Charagmatis ſive Symboli, non nominis diſertè ſcripti; ſed arcani numeri per ἰσοψηφίαν *æquivalentiam* indicantis verum nomen illius Dei cui quis ſacratus eſſet. Erat id ut loquitur ſuprà laudatus Servius, *myſticum nomen* ſolis Myſtis, hoc eſt intimè conſciis myſteriorum ejus Religionis, notum. Excitat ergo Joannes hîc ingenia lectorum ad conatum divinandi, quam verè perſonam deſignet unus ex iſtis myſticis numeris, quem, exempli causâ, mox proponere decrevit, quod conſequenter facit his verbis.

Qui habet intellectum, computet numerum Beſtiæ.

Hoc eſt: qui mentem habet ſuprà vulgi captum acutam, & per hoc idoneam penetrandis myſteriorum numeralium arcanis, ſolertiam iſtam experiatur in divinando, quod nomen numerus mox exprimendus deſignet. Eſt id nomen *Beſtiæ*, hoc eſt, idoli & falſi Dei, ex iis quos in Patronos peculiares adoptant Idololatræ, & eorum ſibi characteres inurunt.

Numerus enim Hominis eſt.

Non eſt ille Deus ex claſſe eorum qui putantur Dii nati, ut Jupiter, Apollo, Mars, &c. Sed ex illorum cenſu qui ex hominibus Dii creduntur facti: qualis ſunt Hercules, Achilles, Quirinus, ſive Romulus, &c. ad quem ordinem referuntur omnes Cæſares Romani per ſolemnem Apotheoſim in Deos promoti. Unde cum hujus nomen ſit nomen *hominis* noti, facilius erit ex computatione numeri quo id adumbratur; in ejus diſtinctam notitiam ratiocinando pertingere. Ubi obſervandum eſt, in Idololatrarum

veterum Theologiâ, duplicem ab ipſis diſtinctam Deorum ſpeciem fuiſſe. Priorem Deorum per ſeſe, alteram Heroum; ſuprà ad illa verba verſ. 11. *Et loquebatur ſicut Draco*, retuli Apollonii reſponſa ad duas ipſi factas interrogationes à Sacerdotibus Lacedæmoniis. Prior erat: *Quomodo colendi eſſent Dii?* Reſpondit, *ut Domini*: altera: *Quomodo colendi Heroes?* cui eſt ab illo reſponſum *ut Patres*. In re quidem ipsâ ac ritu, diſcrimen ponebant nullum. Nam Heroas Templis pariter, ſacrificiis & omnis generis cerimoniis venerabantur, quibus fas erat colere Deos Majorum, ut ſic dicam, Gentium; & qui jure quàm optimo, natalibus, & ex ortu allatâ immortalitate, Dii eſſent. Quin etiam ante mortem & conſecrationem, Heroum, faciebat ſibi licitam viventium aſſentatio ἐθελοθρησκείαν *voluntariam religionem*, eos pro diis adorandi, ex quo ſenſu illud eſt Tityri Virgiliani de Auguſto tunc vivente Ecl. 1.

Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Tamen legitima & jam uſu recepta Religio erat, iſtos poſtquàm morte functi, rite conſecrati in Deos erant, cunctis Deorum honoribus proſequi: prout Auguſto eidem inter vivos etiamnum agenti Adulator Poëta in perſonâ Menalcæ Paſtoris promittit Ecl. v.

Vt Baccho Cererique, tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.

Jam enim in Iulio Cæſare inſtituta fuerat Apotheoſeos cerimonia: cui ſimilem ſperare Auguſtus debebat, naturâ ejus ex Sorore nepos, adoptione filius, & poteſtatis, majori etiam plenitudine ac felicitate, ſucceſſor. Quamquam ultrà hos deinde terminos erupit ambitio regnantium, qui non contenti ultroneâ præfeſtinatione, ut Deos adorandi mortales adhuc; exigere voluerunt à ſubditis dum adhuc morituri ſpirarent, cultum ſolis antea immortalibus publicè ac quaſi ex debito impenſum. Sic enim de Cajo Caligulâ legimus, juſſiſſe illum, adorari ſe ut Deum. Sic de Domitiano è Suetonio ſuprà retulimus, præcepiſſe vocari ſe *Dominum & Deum noſtrum*: Sic de Trajano ex Epiſtolâ Plinii vidimus, ipſo volente imaginem ejus thure adoleri juſſam. Sic denique de Diocletiano tradunt ejus Hiſtorici, Dominum ſe ac Deum ſalutari mandaſſe. Quibus omnibus autor Monarchiæ Romanæ Julius Cæſar in hoc dudum exemplo præiverat. De illo quippe ſic Suetonius ſcribit *ampliora humano faſtigio ſibi decerni paſſus eſt, Templa, Aras, Simulacra inter Deos, Pulvinar, Flaminem, Lupercos* &c. Ex hâc ergo factorum ex hominibus Deorum ſpecie eſſe illum cujus numerum, aut nomen ex numero divinandum mox proponet, indicat Joannes ſcribens: *numerus enim hominis eſt*.

Et numerus ejus, ſexcenti ſexaginta ſex.

Inter decem Cæſares Chriſtianorum perſecutores, qui omnes, vel jam in vitâ, vel ſaltem poſt mortem, divinis ſunt affecti honoribus; & ſimul univerſi unam Beſtiam Symbolicam conflant, hoc Apocalypſeos capite tertiodecimo deſcriptam, ut ſuperiùs oſtenſum eſt, nullus reperitur cujus nomen ad iſtos numeros quadret, præter Trajanum. Tribus is, more Romano appellatus eſt vocabulis Marcus Ulpius Trajanus. Ex his *Marcus*, prænomen eſt, *Trajanus*, cognomen; nomen *Ulpius*. Experiamur in hoc Græcis literis ſcripto quam ſummam ejus elementa conficiant.

Ο	70.	ο	70.
Τ	400.	υ	400.
Α	30.	λ	30.
Π	80.	π	80.
Ι	10.	ι	10.
Ο	70.	ο	70.
C	6.	ς	6.
	666.		666.

Obſervandum hîc ultimo loco poni in majuſculis quidem figuram *C* in minuſculis ς. non autem in illis Σ. in his σ. quod ſi fieret conturbarentur calculi, & in ſummam 860. numerus creſceret. Notum eſt enim in Græcorum Arithmetica τὸ σίγμα *ſigma* octodecimum Alphabeti elementum, ducenta valere ſi ſcribatur majuſculè Σ, minuſculè vero σ. Unde S. Irenæus, qui in voce λατεῖνος, Victorinus Martyr, qui in Ἀντεμος, Andreas Cretenſis, qui in Βενέδικτος, Aretas qui in ὁ νικητὴς & in καικὸς ὁδηγὸς numerum 666. repererunt τὰ σίγματα in iis omnibus vocabulis finalia eâ expreſſiſſe formâ intelliguntur, quæ ducentis æquivaleret: abſque quo vitioſâ uſi putatione forent. Sunt enim uſitatæ Græcis aliæ formæ τῶν σιγμάτων; in majuſculis quidem *C* pro Σ: in minoribus vero ς vice σ. quæ etiam vulgari ſcribendi uſu ſolet in fine vocabulorum poni. Duo porrò iſta ſigna *C* & ς, etſi æquipollent aliis in literâ *ſigma* exprimendâ; longè tamen diverſam ab iis obtinent ἀριθμητικὴν δύναμιν *numeralem vim*: Nam ſex tantum unitates valent, & totis centum nonaginta quatuor calculis à duarum aliarum formarum Σ. & σ, poteſtate deficiunt. Id ſic inſtituere Grammaticis Græcis veteribus placuit; quod demonſtrandum eſt, ne quis ad præſentem uſum confingi à nobis autumet. Docet eruditè Hugo Grotius ad hunc locum, nomen ΟΤΑΠΙΟ*C* cum *C*. non cum Σ in fine ſcribi olim ſolitum: idque probat ex inſcriptione quam exhibet Gruterus pag. LX. collectionis ſuæ. Addit, eandem figuram *C*. Græcè poſitam, pro ſigno *Senarii* ſcriptam

cerni in Inſcriptione facta in honorem Datonis, Philonis filii, quæ refertur pag. cccxxviii. Gruterianæ Collectionis, idemque ſe vidiſſe affirmat in plurimis aliis Inſcriptionibus antiquis ſibi oſtenſis ab Iſaaco Voſſio Gerardi filio. Hæc certo conſtant de figmâ majuſculo finali *C*. de minuſculo finali *ſ* non minùs evidens eſt, id à veteribus pro Senarii figurâ poni conſueviſſe. Nam in Canone Paſchali Hippolyti, ubique apparet *ſ* pro ſigno ſex unitates indicante; idemque in manuſcripto Ptolemæi cernitur. clarè id docet Beda; *Prima* (inquiens) *eſt ſ, quæ dicitur epiſemon: & eſt nota numeri* VI. In Alphabeto veteri poſt Catalecta Virgilii, ubi tres numeri à quinto ad ſeptimum continué locantur, ſic ii exprimuntur E, *ſ*, Z In ſummâ: ubicumque Senarius ad numerum deficit, is aliter, ex uſu Antiquorum, ſignari non poterat, quàm vel per *C*, in majuſculis, vel in minuſculis per *ſ*. & rectè in fine numerorum eadem ponitur nota, quæ poni ſolet in fine nominum. hæc ferè ex Grotio: poſt quæ nullus ſupereſſe cuiquam poteſt ſcrupulus circa veritatem ſupputationis, quo nomen ΟΥΛΠΙΟC vel ΑΛΠΙΟΣ, ſummam *666*. conficit. Addo ex hoc peculiarem allucere rationem, cur à ſacro Vate is numerus, ſimul *numerus hominis*, ſimul *numerus beſtiæ* dicatur. numerus hominis eſt quia hominem deſignat: Numerus beſtiæ, quia ex vulpe beſtia ductum eſt id quod per hunc numerum indicatur nomen. *Ulpius* quippe, quaſi *Vulpius* eſt, nec abhorrebant Romani à ſimili nominum forma, utique apud quos nobiles erant familiæ Porciorum, Aſiniorum, Vitelliorum, Caniorum, ſive Caniniorum, & ſimilium his. Quamquam verior cauſa cur *numerus beſtiæ* dicatur, eſt quia deſignat nomen idoli, falſi Dei; hominis nimirum mendaci & adulatoria credulitate pro Deo culti. Deinceps occurrendum cenſeo dubitationibus quorumdam, quibus cauſa forte non videbitur eſſe idonea, cur Trajanus præ cæteris hîc indicetur, qui perſecutorum Chriſtianiſmi non fuerit omnium ſæviſſimus. Tres ejus rei rationes afferam, quæ ni fallor non inveriſimiles æquo æſtimatori videbuntur.

Prima eſt: Ioannem unum exemplum proponere volentem falſi Dei cujus nomen per numeros expreſſum Idololatræ inurebant manui, Trajanum ad hoc ideò elegiſſe, quia plurimi ſe iſtius clientelæ tali ſuperſtitione devovebant. Cum Auguſti poſtquam à morte conſecrati per apotheoſin erant, pari cum Diis antiquioribus honorificentiâ dignarentur, Templis, votis, ſacrificiis, credibile eſt, invitatos hortatibus Magorum Romanos, ut ſe Dei cujuſpiam, quem mallent, peculiari obſequio dicarent, prætuliſſe in hoc ſuos Cæſares jam jure quam optimo, ut putabant, divinitatis compotes Diis Græcis aut peregrè adſcitis, quorum antiquas fabulas multi naris emunctioris, haud quaquam pares veritate ac claritate ducerent, Hiſtoriis ſplendidis & teſtatiſſimis Cæſarum ſuorum, quorum ipſi potentiam & magnificentiam oculis ſuis ſpectaſſent; quare his potiùs confidere, hos patronos adoptare maluiſſe. Haud crediderim omnium qui Romæ tunc viverent, ſingulariter ſolum fuiſſe Valerium Martialem in eo ſenſu quem declaravit Epigr. xcii. libri ix. ſic ſcribens.

Ad

Ad cœnam si me diversa vocaret in Astra
Hinc invitator Cæsaris, inde Iovis:
Astra licet propiùs, Palatia longiùs essent;
Responsa ad Superos hæc referenda darem:
Quærite qui malit fieri conviva Tonantis,
Me meus in terris Iupiter ecce tenet.

Cum ergo clarissima esset & honoratissima Trajani memoria; & hunc Apollonii discipuli præcipue commendarent, ac spem felicitatis humanæ, quæ in eo fuit maxima, ejus veneratione peculiari participandæ, hominibus nihil nisi terrena sapientibus passim certissimam facerent, quis dubitet plerosque optione ipsis permissâ, cujus mallent Deorum omnium sese addicere cultui, Trajanum delegisse; ac numerum *666.* nominis ejus notam, inustum carpo gestasse. Quare jure suo Ioannes commemoratâ superstitione plerorumque, suasu Magorum, characterem, nomen, aut numerum alicujus falsi Dei inustum cuti gestantium, paradigma rei ejus in falso Deo cui frequentissimè is honos haberetur, posuerit, nominis ΟΥΛΠΙΟΣ numerum exprimens.

Altera Joannem ad id movere causa potuit: quod utcumque non immanissimus omnium Cæsarum in Christianos persecutor is fuerit, fuit tamen primus qui autoritatem æquitatis probitatisque persecutioni Christianorum adjecit, quam ei detraxerant horrenda & exosissima cunctis probra dudùm priorum qui Christianismo bellum indixerant, Neronis & Domitiani. Ergo non istorum, sed Trajani exemplum apud posteriores Augustos, qui idem attentarunt, valuit. Proponebatur Cæsaribus cunctis in eorum inauguratione sanctitas Trajani, solemni, quam refert Eutropius lib. VIII. acclamatione Senatus singulis optantis: ut esset *felicior Augusto, melior Trajano.* Trajani ergo æmulatione credibile est motos ad persequendum Christianos Hadrianum, Severum, Decium, Gallum, Valerianum, Claudium, Aurelium, Diocletianum & alios, qui quamquam in hoc longè ultra ejus exempla processerunt, tamen Institutori & Autori rectè imputatur, quidquid ex ipsius est magisterio secutum. Præsertim cum in hoc capite Joannes, ut sæpe dixi, omnes persecutores qui à Trajano ad Diocletianum Christianos vexarunt, in unum symbolicum Bestiæ mysticæ corpus compegerit, cujus cum membrum primarium & veluti caput Trajanus fuerit, non mirum si in eum conferatur tota invidia malignitatis in eo genere etiam majoris, in quam contigit excedere, conatos ipsum imitari successores.

Tertia causa est, quia cum Antichristi futuri essent multi, ut disertè Ioannes asserit Ep. I. cap. II. 18. Et ex his unus omnium postremus longè immanissimus, quem cap. Apocalypsis XI. 7. vocat *Bestiam quæ ascendit de abysso*, quam dicit *bellum facturam adversus* duos Dei testes electos, Eno-

chum & Eliam, illius nomen (quod quale futurum sit, homines sub mundi finem nascituri primi scient: Divina Providentia noluit tam longè anteprodere) studuit Ioannes aliquatenus adumbrare, significans tale fore, ut ἰσόψηφον nominis ΟΥΑΠΙΟC sit, hoc est, ejus literæ in numeros relatæ summam sexcentorum sexaginta sex faciant. Hoc ita fore, primùm suaderi potest autoritate veterum Patrum, & Apocalypsis Interpretum, Irenæi, Hippolyti martyris, Andreæ Cretensis, Arethæ, Victorini, Primasii, Bedæ, Ambrosii Ansberti, Haimonis, Ruperti, & aliorum qui omnes magno consensu, fidem præferente traditionis Apostolicæ, in hunc locum affirmant: illius ultimi & sceleratissimi Christi hostis nomen his à Ioanne fuisse numeris *666.* præsignatum. Deinde confirmatur experimentali quadam inductione. Post hunc enim quasi primum Antichristum à Ioanne in hoc capite ex novem post Domitianum Christianismi persecutoribus Romanis Augustis in unum corpus Bestiæ conflatum, alii sine dubio digni hoc nomine ad nostram memoriam extiterunt: inter quos quis non videat in Genserico valde conspicuum Antichristi characterem. Floruit is Vvandalorum Rex sub extrema tempora Romani Imperii Occidentalis, paulò ante deletum illud funditus in Augustulo. Fuit bello felicissimus, qui Africam, Siciliam, Italiam, armis subegerit, cui uni contigerit duas famosissimas Orbis universi civitates, Romam & Chartaginem vi capere. Idem peculiaris Christi hostis, cui divinitatem adimebat, eum in creaturarum censum redigens, ex placitis Arianæ, quam totâ potentiâ propugnabat & promovebat, Hæreseos: eo nomine Christianos Catholicos crudelissimè persequens, diuturnitate etiam & prosperitate, Regni, annorum ferè quadraginta, in paucis inclytus. Ergo hujus nomen, quod juvat experiri, expressum hîc à Ioanne numerum reddit exactissimè.

Γ	3.	γ	3.
Ε	5.	ε	5.
Ν	50.	ν	50.
Σ	200.	σ	200.
Η	8.	η	8.
Ρ	100.	ρ	100.
Ι	10	ι	10.
Κ	20.	κ	20.
Ο	70.	ο	70.
Σ	200.	σ	200.
	666.		*666.*

Alter ab hoc apparuit Antichristus teterrimus ducentis ferè post annis Alcorani conditor Maometis, etiam Genserico pernicioſior, si reputetur quot Gentes per orbem universum à quanto jam tempore pervertat:

quàm insuperabile obstaculum hodiéque opponat propagationi Evangelii. Exploremus quid valeat ejus nomen græcis expressum literis.

M	40.	μ	40.
A	1.	α	1.
O	70.	ο	70.
M	40.	μ	40.
E	5.	ε	5.
T	300.	τ	300.
I	10.	ι	10.
Σ	280.	σ	200.
	666.		666.

Idem usuvenisse postea quoque, observarunt ingenioſi scriptores etiam in quibusdam aliis, qui ætate huic nostræ citimâ, maleficiis Hæreseon exitialium susciandarum ad summam Christianismi perniciem, in Classem Antichristorum referri meruerunt. Horum enim quoque nomina reperiunt in fatalem istam *666.* summam ad amussim quadrare. De quo vide-sis, lector caput XVII. libri VIII. Operis de Antichristo à viro pererudito Thomâ Malvendâ è sacro Prædicatorum Ordine accuratè conscripti: quæ enim alia attuli sufficiunt ad informandam pro satis verisimili sententiam opinantium; nomen, qualecumque demum futurum est nascituri sub hujus mundi finem Antichristi postremi & pessimi omnium, sex ac sexaginta & sexcentorum summam, relatis in numeros ejus literis, daturum. Quod si est, apparet ratio jam idonea cur Ioannes ex omnibus Romanis Cæsaribus Christianismi persecutione famosis, Ulpii solius nomen selegerit quod in summam relatum exhiberet: quoniam id æquipolleret numerorum calculis vero hactenus ignoto, & quoad nascatur ignorabili, nomini supremi Christi Hostis & Christianorum persecutoris, *quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* Paulus II. ad Thessalonic. II. 8. Adjiciam his ἐπίμετρον *Epimetrum* brevissimum: nec, spero, importunum; Sibyllæ veteris lib. Sibyllinorum Oraculorum I. relatum Vaticinium venturi Dei Filii nomen per numeros indicantis *octo & octoginta supra octingentos.*

I	10.	ι	10.
H	8.	υ	8.
Σ	200.	σ	200.
O	70.	ο	70.
Υ	400.	υ	400.
Σ	200.	σ	200.
	666.		666.

Senarius videlicet, res mundi sex diebus creati fluxas caducasque signi-

ficat, quarum affluxu gaudentes Antichriſti, ſenariis gloriantur. Chriſti veri Regnum æternitatem ſpectat, Octonarii ſoliditate deſignatam : unde in ejus nomine (ut vetus habet Adagium) *Omnia octo* ſunt.

AD CAPUT XIV.

COMPLECTITUR hoc caput totum idem ſpatium in quod extenditur, ut diximus, Prophetia capitis præcedentis, ſed ut illa prædixit quæ dura & acerba in Religionem Chriſtianam eventura erant per annos ferè ducentos, à Domitiano uſque ad Conſtantinum, decem Romanis Cæſaribus totâ Imperii potentiâ conantibus defendere & propagare Idololatriam, & hujus contrariam Chriſti Religionem exſcindere ; Magia quoque in ſubſidium Idololatriæ veniente, & vi artibuſque Diabolicis, Mundum univerſum in Chriſtianos inſtigante : ſic Vaticinium hoc XIV. capite præſcriptum diverſa colligit ſolatia quæ oppreſſam per id tempus malis ingentibus Eccleſiam recrearunt firmaruntque, ut in fide perſiſtens, non duraret tantùm, ſed etiam creſceret & proficeret. Horum auxiliorum primum fuit multitudo, puritas, perfectio & ſalubria miniſteria Cleri Eccleſiaſtici. *De his agitur quinque primis verſibus capitis.* A ſexto ad octavum, aliud ſolatium memoratur, continuatio nuſquam interrupta Prædicationis Evangelicæ, quæ mira fuit in tantâ potentiâ & tam obnixo conatu Cæſarum & Magorum ipſi obſtantium. Verſu octavo tertium ſolatium ponitur, certiſſima denunciatio ſeveriſſimæ punitionis decretæ in Romam Idololatram, Chriſtianiſmi Perſecutricem. A verſ. 9. uſque ad 12. armandis Martyribus adverſus terrorem pœnarum, proponuntur longè atrociora, & æternùm duratura Inferni tormenta Idololatris & à fide deficientibus parata. Hinc ad verſ. 14. oſtentatur ingens gaudium, gloria & felicitas morientibus pro Chriſto reſervata. à verſ. 14. ad 17. repræſentatur ſucceſſus admirabilis prædicationis Evangelicæ per illa tam infeſta tempora, perſpectus converſione ad Chriſtum hominum innumerabilium in cunctis Gentibus ; etiamque in ipſis locis ubi maximè flagrabat Perſecutionis flamma. Sextum ſolatium à verſ. 17. ad finem capitis extenditur, ſitum in commemoratione atrocium malorum, quæ rebellis Deo & Chriſtianis ſemper infenſiſſima Judæorum natio per illa tempora paſſura erat, ſub Trajano, Hadriano, Severo.

℣. 1. Et vidi : Et ecce Agnus ſtabat ſuprà Montem Sion :

Mons Sion hîc ſymbolicè deſignat Eccleſiam Catholicam in terris à Chriſto fundatam, majori ex parte ex Gentibus : prout indicat Iſaïas cap.

11. 2. sic scribens : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium : & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes, &c.* Et infrà vers. 5. addit : *Domus Jacob venite & ambulemus in lumine Domini* : quæ ambulatio intelligitur ascensus in istum montem, ex iis quæ paulò antè erant dicta vers. 3. *Et ibunt Populi multi, & dicent : venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob : & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus.* Cujus rei mox reddens rationem, subdit : *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem :* quasi diceret : fuit tempus quo ex Jerusalem, ex monte Sion, & ex Gente Israëlitica petenda erat lux spiritualis, & salutis via : sed jam illa ex monte Sion exierunt ; ita ut ipsa domus Iacob debeat ad istum novum montem venire, si salva velit fieri. Unde causa subindicatur, cur novus iste mons dicatur *Sion*, quia successit monti Sion in sorte servandi apud se fontem veræ doctrinæ ac salutis Mundi. Suprà hunc porrò *Montem Sion*, hoc in summo ejus vertice, qui symbolicè significat supremum Ecclesiæ Ordinem, sacros nempe Ministros, videt Ioannes *Agnum stantem*, hoc est, Christum adimplentem id quod promisit Mat. XVIII. 20. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et ejusdem Matt. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* : quod, præter assistentiam per fidem, qua Christus *inhabitat corda credentium*, ex Paulo ad Ephes. III. 17. peculiariter designat præsentiam Christi sacramentalem in Eucharistiâ semper in Ecclesia servanda, sub cura custodiaque Sacerdotum, aliorumque sacrorum Ministrorum, de quibus consequenter addit :

Et cum eo centum quadraginta quatuor millia.

Hic numerus, ut supra docuimus ad vers. 4. cap. VII. exprimit nomen Patriarchæ Abraham : & ut per illum ibi significata tota collectio Iudæorum, qui ante Hierosolymorum eversionem Christi fidem susceperunt, ostendit eos solos fuisse veros Abrahæ filios, semen in Isaac vocatum, natos è Sara libera ; cum alii sua contumacia degenerare maluissent in carnalem Abrahæ propagatam ex Agare ancilla stirpem : ita nunc hoc loco idem numerus adaptatus Ordini sacrorum Ministrorum, in Ecclesia ex Gentibus vocata servientium Christo, demonstrat illos imitatione fidei & devotionis Abrahæ, supplevisse generis defectum ; & verè profeciisse in dignitatem spiritualium ejus Patriarchæ filiorum, quâ benedictionum ejus hereditatem, naturalibus illius Posteris ereptam, in se jure quàm optimo transtulerunt. Etsi enim, ut Sabato sancto canit Ecclesia, *Deus fidelium Pater summus promissionis suæ filios diffusâ* per omnes promiscuè Mundi populos *adoptionis gratia multiplicat ; & per Paschale Sacramentum*, hoc est Christi Baptismum, *Abraam puerum suum universarum, sicut juravit, Gentium efficit Patrem.* Unde appellatio filiorum Abrahæ universis quadamtenus aggrega-

tis Eccleſiæ per Baptiſmum convenit: tamen iſtius Abrahæ filiationis peculiaris character in Clericis cernitur: eo quod illi, ſicut Abraam Deo vocante exivit de terra & cognatione ſua Gen. xii. 4. ita & ipſi parentibus & patrimoniis relictis, ſequentes Chriſtum, in partem ac ſortem hereditatis ſuæ, Deum in cerimonia primæ tonſuræ ſe profeſſi accipere, ipſi toto vitæ tempore caſtè ſanctéque, miniſteriis ritè fungendis Eccleſiaſticis famulantur.

Habentes nomen ejus & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.

Chriſmatis inunctione in fronte per Sacramentum impoſitionis manuum conferri baptizatis omnibus ſolita: multòque magis unctionibus ordinationum ſacrarum, Dei ſanctioribus obſequiis ita palàm autorati & mancipati, ut non minùs quàm ſervi, nomina Dominorum inſcripta frontibus geſtantes, ad quos pertineant ſtigmate conſpicuo præferunt: & ipſi Dei ſe vernas & famulos eſſe aſpectu ipſo cunctis obviis liberrimè ac glorianter oſtentent.

℣. 2. Et audivi vocem de Cœlo tamquam vocem Aquarum multarum; & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audivi ſicut Citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.

His verbis Symbolicè declarantur tria præcipua Miniſteria, quibus in Eccleſia Viri Deo dicati & in Clerum adſcripti, Dei gloriam & ſalutem Hominum procurant. Hæc ſunt, Hymnorum & Pſalmorum publica decantatio in choro: increpatio vitiorum ad conciones de loco ſuperiore perorata; qua Peccatores ad pœnitentiam urgentur, intentatis Dei minis: denique Catechiſmus, ſive familiaris inſtitutio Neophytorum, , qua rudibus traditur neceſſaria & elementaris notitia myſteriorum Chriſtianæ Religionis. Ea permixto ordine deſignantur in hoc verſu; nam citharæ melodia Hymnodiam Eccleſiaſticam indicat. Tonitru autem, prædicationem vehementem & terrificam. Poſtremò *vox aquarum multarum*, quaſi dicas, ſonus uberis, ſed lenis pluviæ in herbas cadentis, ſymbolum eſt Catechetici magiſterii: etiam ex Moyſe Deuteron. xxxii. 2. ſic loquente: *Audiat terra*, tenera ætas & rudis plebs, *verba oris mei: concreſcat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum; quaſi imber ſuper herbam; & quaſi ſtillæ ſuper gramina.* Paulus quoque Apoſtolus i. Cor. iii. 6. irrigationis metaphorâ catecheſim Chriſtianâ indicavit: *Ego*, inquiens, *plantavi*, perſuadenda Infidelibus Chriſtianæ Religionis veritate, catechumenos feci: *Apollo rigavit*: Apollo autem familiariùs per otium, Dogmatum variorũ partes enucleatè declarando coſdẽ erudivit. aptè autem in tonitru diverſitas explicatur ſedatæ ac pedeſtris ex plano docentium dictionis à ſublimi & figurato dicen-

di genere perorantium è pulpito ; præsertim dum in scelera invehuntur. Nam &apud Ciceronem in Oratore sect.199.id agens Pericles olim Athenis, ab Aristophane Poëtâ : *fulgurare, tonare, permiscere Græciam dictus est.*

℣. 3. Et cantabant quasi Canticum novum ante sedem & ante quatuor Animalia & Seniores.

Inter cantilenas (ut ex Homero dici solet) illæ maximè placent, quæ novæ, atque adeò recentissimæ sunt. Indicat ergo sacer Vates illa mentione *quasi Cantici novi*, Hymnodiam Ecclesiasticam Psalmorum, antiquissimi usûs in Ecclesiâ, & Deo gratissimam fuisse, & hominibus Sanctis Apostolis, Episcopis, Patriarchis, Doctoribus Ecclesiæ, eo semper nomine commendatissimam, parique studio atque attentione quotidie frequentatam, ac novæ à Musicis cantitari cantilenæ solent. Quid *Sedes* quid *Quatuor Animalia, & Seniores*, indicent, petendum è superiùs Annotatis ad caput IV. Alia porrò duo Ministeria increpationis vitiorum, & institutionis tranquillæ, accommodari cum proportione ad Symbolum Cantici debent, intelligendo significari hîc à Joanne, gratissimam fuisse primis Fidelibus auditionem Verbi Dei in Concionibus & Catechesibus. Eas vero affectu & propensione magnâ à Viris Apostolicis exerceri solitas ; planè quali studio & voluptate Citharœdi novum carmen apud cœtum nobilem & avidum audiendi modulantur. non omittam his addere Expositionem in hæc verba, Anonymi Auctoris Concionis Exegeticæ in solemnitate Sanctorum Innocentium, cujus hunc ipsum Apocalypsis locum tractantis hæc verba sunt : *Canticum vetus fuit* : crescite & multiplicamini & replete terram Gen. 1. 28. *itemque* : *non erit infœcunda nec sterilis in terrâ tuâ.* Exod. XXIII. 26. *Nam id temporis ut creseeret humanum genus, & propagaretur Populus unum colens Deum, necesse erat nuptiis ac liberis operam dare. & ea res hoc animo susceptа habuit tunc benedictionem Dei. adeò ut etiam sterilis maledicta diceretur. At in gratiâ novi testamenti, quando jam appropinquavit regnum cœlorum, & ad perfectiora à Christo vocamur, jam novum depromunt canticum mente ac corpore Virgines.* Hactenus ille : cui non ægrè assenserim, cœlibatum Clericorum istâ *novitate cantici* significatum opinanti.

Et nemo poterat canere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor milia.

Docere, Evangelizare, Prædicare, hierarchica sunt officia, iis Solis convenientia qui manuum impositione, aut cæteris legitimis ritibus, ad ea ordinati sunt ; nempe Diaconis, Presbyteris, Episcopis, vel ex commissione inferioribus aliis Ecclesiæ ministris, qui generali Clericorum nomine comprehenduntur. Iisdem etiam proprium est Deo laudes in Ec-

cleſiâ cantare, Pſalmis & Hymnis antelucanis diurniſque, more antiquiſſimo, voce pangendis. Etſi enim admittitur interdum Laicorum vox in recitatione Publicâ Pſalmorum aut Carminum Sacrorum, ita id fit tamen, ut Clerici chorum ducant, & cantico præeant; Plebs verò precariò duntaxat & per indulgentiam ad partem complendi concentûs admittatur. Ergo hic locus antiquiſſimæ Eccleſiæ Diſciplinæ teſtimonium habet notabile, quâ ſemper cautum diligentiſſimè fuit, ne ſacra Miniſteria, niſi ad ea initiati congruiſque præparati cerimoniis, attingerent. contra quàm hodiernis Hæreticis viſum eſt, apud quos Prædicare, Pſalmos canere, Sacramenta conficere ac miniſtrare, promiſcuè conceditur omnibus: immane quantum perturbatâ & abſurdâ ratione.

Hi empti ſunt de terrâ.

Hi ſunt quaſi peculiares Dei Servi, ſegregati ex omnibus, velut ad intimum miniſterium. quorum ſanctitatem & perfectionem efficaciori applicatione meritorum ſanguinis & mortis ſuæ Chriſtus Redemptor quodammodò ſtudioſiùs aſſeruit.

V. 4. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; Virgines enim ſunt.

Ab initio Eccleſiæ inſtitutum & obſervatum fuiſſe, ut omnes Eccleſiæ Miniſtri, quos Clericos dicimus, Caſtitatem colerent, antiquiſſima & notiſſima Traditio demonſtrat. Ætate tamen Apoſtolorum non poterant ſemper ad ea miniſteria legi qui cœlibes à pueritiâ vixiſſent. quippe cum nullus tum eſſet uſus cœlibatûs perpetui, nemoque ferè reperiretur ætatis maturæ, qui uxorem non habuiſſet aut haberet. quia igitur ex his qui converſi, Chriſtianam vitam idoneâ perſeverentiâ probaſſent, legendi Presbyteri aliique ſacri Miniſtri erant, neceſſe fuit plerumque aut Viduos, aut matrimonio implicitos, ad id deligere. duplici tamen ſemper obſervatione adhibitâ. nempe primùm, ut qui ordinaretur, deinceps uſum à ſe conjugii in perpetuum abdicaret: deinde, ut ne cum iſtâ quidem conditione quiſquam admitteretur, qui aut viduam primis nuptiis duxiſſet, aut priori uxore mortuâ aliam ſibi junxiſſet. Adulto poſteà & latè propagato Chriſtianiſmo, inducta conſuetudo eſt in cunctis Eccleſiis, præſertim autem in Romanâ, quam hæc prophetia potiſſimùm reſpicit, ut educarentur à puero qui Eccleſiaſticis ſe functionibus vellent addicere, cum propoſito colendæ perpetuò caſtitatis, Juvenes magno numero, ex quibus, ubi ætate proceſſiſſent, Presbyteri & Epiſcopi ferè ſemper legerentur: etſi poſſent certis caſibus, qui Doctrinâ & probitate morum in conjugio eminerent, in eas promoveri dignitates. De hoc ſic inſtituto Cleri corpore, cujus uſus apparuit ſecundâ maximè poſt Apoſtolos ætate, hiſce Trajani Hadriani

Hadriani, Antoninorum &c. temporibus hoc vaticinio signatis, agit hoc loco Joannes. Nam Virginum masculini tantum sexus hic esse mentionem, illa manifestè monstrant verba: *hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* unicè quippe his signatur integritas perennis Clericorum. quæ conditio, virilis sexûs semper propria in Ecclesiâ fuit; neque enim feminas ullius propriè dicti Ordinis capaces sacra Doctrina vel usus Canonicus umquam agnovit: etiamsi ad sacrorum custodiam vasorum, aut similia captus muliebris ministeria quædam olim adhiberentur quæ Diaconissæ vocabantur. Quas fortasse respicit versus XIII. ps. LXVII. *Rex virtutum Dilecti Dilecti & speciei domus dividere spolia.* postquam enim verbis prioribus indicavit, totum corpus Ecclesiasticæ militiæ, cujus Imperator Christus est, è viris illibatæ à primâ ætate pudicitiæ, quos *dilectos* vocat, ad similitudinem Discipulî *dilecti*, qui Virgo electus à Christo Virgo in ævum permansit (cum etiam apud exteros Scriptores *dilecti* dicerentur Ephebi Regum, quorum integritas summâ Præfectorum custodiebatur cura) addit deinde de *specie domus* hoc est de feminis, aliqua eas aspergi functione, non militari, sed œconomica, *dividendorum spoliorum.*

Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.

Quid sit *sequi Christum quocumque ierit*, docet nos Matthæus. cap. VIII. 19. sic scribens. *Et accedens unus scriba, ait illi* (Christo) *Magister, sequar te quocumque ieris. & dicit ei Jesus: vulpes foveas habent: & volucres Cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* Hæc ibi. quibus indicatur *sequi Christum quocumque ierit*, esse: profiteri paupertatem exemplo & consilio Christi. significat ergo hoc loco Joannes, Clericos bonorum possessionem abdicasse, id quod ipsorum nomen indicat, inde ductum quod *sortis* Græcè κλήρου *cleri*; hoc est, hereditatis & peculii loco Deum habeant. constat autem vel ex ipso Evangelio tales omnes ab initio fuisse. Nam utique Ministri Ecclesiæ omnes ad genus Discipulorum Christi pertinebant, quem in numerum adscribi qui vellent, iis dicebat: *vade vende universa quæ habes & veni sequere me* Mat. XIX. 21.

Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.

Cur *empti* dicantur, explicatum est superiùs v. 3. Primitiæ sunt pars illa frugum ac fructuum quæ lecta segregatur ex qualibet copiâ messis aut vindemiæ totius, largitori Deo in testimonium grati animi sacranda. In ea delibatione res ipsa exigit observari debere, ut isti Deo destinati fructus, primi sint & tempore & præstantia. Porrò ut aliarum opum, ita sobolis quoque, quæ magnum Dei donum est, ei primitiæ debentur. Itaque à Mundi originibus invaluit, ut primogeniti Deo sacrarentur, & Sacerdotes essent. In lege quoque scripta *omne primogenitum adaperiens*

vulvam Sanctum Domino vocabatur Luc. II. 23. Exod. XIII. 2. quando verò contigit primogentios virtute non præstare: quin potiùs vitiis & sceleribus sordere: tunc primogenitorum & alia jura, & in primis Sacerdotium, in alios sunt translata. Ita Rubeni ablatum Sacerdotium, Levi attributum est. Et loco primogenitorum è cunctis Israëlis Tribubus, omnes qui nascebantur è Tribu Levi, ac stirpe præsertim Aaron, à Deo satis accepti. ac quia primitivorum locum tenebant,& ipsi *Primitiæ* vocati.cum è duobus qualitatibus requisitis, anteceſſione temporis & excellentia virtutis, alteram hanc tantum obtinerent.Sic panis primitiarum&vinum libaminum interdum indicant panem ex flore tritici, & vinum optimum, licet neutrum ex veris primitiis factum sit', aut libaminibus impensum Pari sensu primitiæ hominum vocabantur Clerici ab infantia in castitate Deo sacri. sed latet hîc producenda in lucem emphasis, occultè innuens præcellentiam Ecclesiæ ex Gentibus supra Synagogam, & Ecclesiam ex circumcisione. hujus enim Messis universa numero centum quadraginta quatuor millium signatorum supra cap. VII. æstimata est: quam summam solæ hîc Ecclesiæ Gentium primitiæ adæquant. argumento non dubio incomparabiliter majoris hujus ubertatis, cum nota sit proportio primitiarum ad totam Messem.

Et in ore eorum non est inventum mendacium.

Sanctissimè vivunt, & perfectioni studeni; leves etiam & vix evitabiles maculas diligentissimè caventes; præsertim vitia linguæ; quam divinis laudibus propriè dicatam, dolis & mendaciis non patiuntur inquinari. Vide Clementem Alexandrinum in Pædagogo, de usu linguæ sanctis proprio indicatur ergo his verbis summa Vitæ Clericorum, puritas & perfectio: siquidem, ut ait Iacobus Apostolus Epist. Cathol. cap. III. 2. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* unde statim addit Joannes.

Sine maculâ enim sunt ante thronum Dei.

Hoc est: Deum ubique præsentem attentione mentis interna semper spectant: & ejus judicio se parant. ideò maculas vitæ omnes diligenter cavent; & si quas contraxerint, statim eluunt: in hoc quoque se genuinos Abrahæ filios probantes, exequentis mandatum sibi factum Gen. XVII. 1. *Ambula coram me & esto perfectus.* Mentio hîc facta *throni Dei*, juxta id quod notavi ad v. 5. capitis XII. significat perpetuam cogitationem Judicii Dei, severè repetituri ab unoquoque rationem omnium per vitam actorum. unde oritur in justis, Dei timor initium sapientiæ, & immaculatæ efficax artifex puritatis.

℣. 6. Et vidi alterum Angelum.

Mirari subit, quò pertineat vox *alterum*: cum hactenus hoc capite

ac ſuperiori Angeli ullius non meminerit. Nimirum quos deſcripſit Eccleſiæ Clericos in virginali puritate, ſine ullâ vitæ maculâ Deum aſſiduè laudantes, intelligi vult eſſe Angelos; virtute ſcilicet, non naturâ: ſic Joannes Baptiſta *Angelus* à Chriſto dicitur Mat. XI. 10. Videtur porrò ſacer Vates hoc loco in duas claſſes partiri univerſam multitudinem Clericorum: & partem unam aut claſſem unius Angeli appellatione ſignare. Nimirum alii eorum, exercitatione vitæ contemplativæ ad functiones olim exercendas activæ parabantur: alii jam maturi miniſteriis curandarum Animarum, quoquoverſum ad id dimittebantur, tali quodam Divini Spiritus præcepto quale perſcriptum legitur Iſaïæ XVIII. 2. *Ite Angeli veloces ad Gentem convulſam & dilaceratam* &c. Hi ſimul univerſi unum hic memoratum *alterum* conflant *Angelum*, multitudinem omnem præconum Evangelii, Doctrinam ſalutis per Orbem diſſeminantium; unâ perſonæ ſingularis myſticâ fictione colligente hîc Prophetâ noſtro.

Volantem per medium cœlum.

Apoſtoli & horum diſcipuli ac ſucceſſores Viri Apoſtolici per Orbem vagantes prædicandi causâ, nubibus comparantur Iſ. LX. 8. Hinc Dan. VII. 13. *Filius hominis cum nubibus cœli venire* dicitur; quia Chriſti notitia per Apoſtolos illata in mundum eſt. Præterea *medium Cœli* publicam lucem innuit, in quâ eſt Evangelii prædicatio facta, juxta illud Chriſti *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine.* Mat. X. 27. doctrina enim Chriſti adeò conſcientiam hominum non vitat; ut contra, vulgari, omnibuſque paſſim prodi ambiat.

Habentem Evangelium æternum.

Evangelium è Græco ſonat, bonum & fauſtum nuncium. Talis erat ſalus æterna hominibus oblata per Chriſtum. Hunc nuncium Præcones Evangelici in cujuſque nationis ac ſingularis hominis notitiam portandum habent. Ita dicebat Paulus apud Antiochiam Piſidiæ ad Judæos prædicans: *viri fratres vobis verbum ſalutis hujus miſſum eſt.* Act. XIII. 26. diceres, Paulum velut Tabellarium, literas ſibi perferendas datas, ei cui ſunt inſcriptæ, cum fide reddere: hinc mox ſubditur:

Ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem Gentem & Tribum, & Linguam & Populum.

℣. 7. Dicens magnâ voce: timete Dominum, & date illi honorem: quia venit hora Judicii ejus.

Hæc eſt *vox tonitrui* memorata ſuperiùs v. 2. in iſtis enim allegoricis adumbrationibus idem interdum continuè variis modis & verbis pingitur.

ſignificat ſolitos fuiſſe Apoſtolos, quod id in mandatis à Chriſto haberent, admonere homines judicii futuri, quo reddenda eſſet ratio cuivis exacta dictorum, factorum, omiſſorum in vitâ omnium. unum exemplum Pauli ponam, qui primâ protinùs ipſa quam Athenis in Areopago habuit concione, hæc clarè proferre non dubitat: *Deus nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant: eò quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate.* Act. xvii. 30. 31.

Et adorate eum qui fecit Cœlum & Terram mare & fontes aquarum.

Poſt intentationem minarum Dei opportuna eſt hortatio ad eum venerandum, expreſsâ origine juris quod ad id Deus obtinet, ac debiti quo cuncti ad eum adorandum obſtringuntur. Is titulus eſt creationis & conſervationis rerum omnium; unde Religio ſui omnis officii rationem trahit. Infertur ex hoc quoque, autoritas ejuſdem judicialis, inſinuata paulò ante in judicii mentione; cum ſit manifeſtiſſimum, Creatori & Conſervatori competere pleniſſimum jus cognoſcendi ac judicandi res ac cauſas conditarum ab ipſo creaturarum.

℣. 8. Et alius Angelus ſecutus eſt dicens.

Ut multiplex eſt flexus ænigmaticæ dictionis, novus hic memoratur Angelus qui pars ſolùm eſt ejus collectionis quam paulò ſuperiùs dixi, unius proſopopœiâ fuiſſe Angeli figuratam; conſecutio hîc expreſſa ordinem in dicendo adhibitum à Prædicatoribus Evangelicis tantummodò ſignat, juxtà mox dicenda.

Cecidit cecidit Babylon illa magna.

Hoc aliud argumentum eſt in quo plebi jam ad Chriſtum converſæ diſſerendo multi erant Apoſtolici viri, & Paſtores Animarum, eo præſertim tempore quo Trajano, Severo, Decio, & aliis Chriſti hoſtibus univerſam quam tenebant Imperii potentiam ad delendum è terris ejus nomen conferentibus, gemuit ſub malleo perſecutionum horrendarum Chriſtiana Religio. Nimirùm ad ſolatium afflictorum, recitabantur Chriſtianis Prophetiæ quæ deſtructionem Urbis & Imperii Romani, in ultionem fuſi Chriſtiani ſanguinis prædicebant. Hic Angelus priorem ſecutus dicitur, primò quia priori deſignantur Prædicatores qui Gentiles alloquuntur adhuc Idololatras, nondum converſos: poſterior cum iis agit qui jam crediderunt. Deinde, quia non niſi poſt explicata diligenter fidei dogmata, myſteriaque & præcepta magis ſcitu neceſſaria, in iis ipſis orationibus quæ ad fideles & baptizatos habebantur, tranſibatur ad iſtam tractationem vaticiniorum

& denunciationem futurorum eventuum. Cæterum hæc verba : *cecidit Babylon*, sumpta sunt ex Isaï. xx. 9. ubi juxta primum obvium sensum, non excluso alio interiori, indigitant notam illam Metropolim Chaldæorum, Sedem olim Imperii Nabuchodonozoris, quæ Romam, & hujus latissimè fundendam per Gentes orbis plurimas Imperialem potestatem, figurabat idipsum intelligente Isaïâ : sicut idem quæ de Cyro plurima dicit & magnifica capitibus suæ Prophetiæ XLIV. & XLV. ita primo literæ cortice ad illum Imperii fundatorem Persici, & Judæorum è captivitate Babylonica liberatorem refert, ut occultiori, sed magis intento sensu, eadem ad suum Emanüelem Christum dirigat. Babylon ergo etiam ex Isaïæ mente, Roma intelligitur, usu illo vulgari communicandi vocabula inter res similes : quali exempli gratia, Stoicæ severitatis civis, tertius Cato Romanis dicebatur, & Virgilio Amiclæus Pollux, ob similitudinem, vocatur, cui verum & proprium nomen fuit Castor. Inde Petrus Apostolus Babylonis vocabulo Romam designat sic scribens Ep. 1. cap. v. 13. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta.* Idem Patres passim veteres agnoscunt : vide Tertullianum adversus Judæos & III. contra Marcionem, Hieronymum Prologo ad Didymum. fine libri II. contra Jovinianum, ad Isaïæ XXIV. & XLVII. Epistolis ad Algasiam & Marcellam.

Quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes Gentes.

Statuendum ante omnia est, quodnam hîc dicatur *vinum iræ fornicationis*. Certum primo est, quod plurimis sacrorum librorum testimoniis constat, *fornicationis* vocabulo sæpe in Scripturis Idololatriam designari. Ea igitur erat Babylonis Romanæ hoc loco memorata *fornicatio*. studium superstitionis, & peculiaris addictio cultui falsorum Deorum, Jovis præsertim Capitolini, & Martis, quibus ab ipso primo conditu Romana civitas & Respublica sese dicaverat. Alios deinde undecumque allatos Deos cupidè semper excepit, & templis, aris, sacrificiis venerari usque solita, & in hoc verti cardinem felicis sui flatus, victoriarum atque omnis prosperitatis rata. Ad hanc *fornicationem* adjuncta processu temporis *ira* est : quando Religione Christianâ in mundo comparente, in eam sævitum est, propterea quòd Idololatriæ adversaretur ; & aliquamdiù quidem edictis, legibus, judiciis formam aliquam æquitatis retinentibus, & exempla in more majorum habentibus, *ira* exercebatur : quæ in furorem denique excessit : novis & immanibus suppliciis excogitatis, omissâ capitalium cognitionum solemni formulâ, trucidatis sine discrimine ætatis multitudinibus totis, conclamatione insanæ plebis, ad bestias, ad ignem, ad tormenta exquisitissimæ crudelitatis innocentibus damnatis. Hæc ebrietas quædam fuit vino dementante inducta. omnium horum non exempla solùm, sed mandata cunctis sibi subjectis Gentibus Roma dedit ; ideo hîc dicta *vino iræ fornicationis suæ potasse omnes Gentes* : Ac per hoc meruisse prænunciatam hoc

loco, & certò eventuram ſuo tempore ruinam : cujus certitudinis duplex hîc emphaſis notari debet, prior ſita in uſurpatione præteriti temporis pro futuro, dum non dicitur *cadet* ſed *cecidit*; altera in geminatione continuè iteratâ verbi ejuſdem *cecidit cecidit*. Prima innuit tam immutabiliter patrandam Romæ deſtructionem, quàm ſunt extra omnem mutabilitatis aleam poſiti eventûs jam tranſacti : poſterior firmitatis ineluctabilis fidem facit iteratione affirmationis, quæ omnem ex eâ ſententiâ levitatis aut inconſiderationis ſuſpicionem tollit.

℣. 9. Et tertius Angelus ſecutus eſt illos dicens voce magnâ : Si quis adoraverit Beſtiam, & imaginem ejus : & acceperit characterem in fronte ſuâ, aut in manu ſuâ.

℣. 10. Et hic bibet de vino iræ Dei quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum & ante conſpectum Agni.

Tertium hoc argumentum eſt, quod Paſtores Animarum poſt illa priora utiliter tractabant, ad confirmandos Chriſtianos in fide ac patientiâ inter perſecutionum immanium horrores, intentatio videlicet cruciatuum æternorum iis decretorum, & certiſſimè infligendorum, qui aut victi tormentis ad fidei ejurationem conſentirent, aut decepti Magorum fraudibus in aliquam ſodalitatem nomen darent, ſub falſi cujuſpiam Dei patrocinio poſitam; ac conſequenter ejus Idoli nomen aut numerum inuri ſuæ fronti aut carpo ſinerent. Damnatio deinceps æterna talibus ſervata deſcribitur ſymbolis in Scripturâ uſitatis : *bibendi calicis iræ Dei*, cujus *vinum* quòd mox dicitur *mero mixtum*, aliquid in ſpeciem præfert quodam ἐναντοφανείας *apparentis contradictionis* incommodo laborans. nam *mixtum* & *merum* contraria videntur inter ſeſe. Id tamen non ita eſt, nam *miſcendi* verbum non ſemper Latinis ſignat κρᾶσιν *confuſionem* liquorum diverſorum : ſed plerumque unius impermixti & ſinceri affuſionem & propinationem. unico id teſtimonio probare ſatis ſit Ciceronis II. de Finibus : *Dico ergo in eadem voluptate eſſe qui alteri miſceat mulſum, ipſe non ſitiens : & eum qui illud ſitiens bibat.* Quibus in verbis manifeſtum eſt, ſolam infundendi liquoris actionem *miſcendi* verbo exprimi. Ex hâc notione *mixtum* hoc loco ſignificat *adfuſum*, *præbitum* vel potius præſcriptum ad bibendum. Liquor autem hîc *iræ Dei* præterquàm amariſſimus etiam meriſiſſimus indicatur, hoc eſt nullâ tolerabilioris ad guſtum humoris inſperſione temperatum : qui character eſt pœnarum inflictarum iis qui jam ultra viam, hoc eſt vitæ hujus ſpatium, progreſſi, deinceps in termino conſiſtunt, hoc eſt, in ſtatu nullis mutationibus obnoxio. Viventibus quoque calix iræ Dei bibendus offertur, ſed non merus : cuncta enim vitæ malæ immixtum habent quippiam ſolatii, à brevitate, à viciſſitudine, à ſpe, ſimilibuſque levamentis. Solæ animæ in peccatis ſuis mortuæ, & flammis addictæ ſempiternis, cruciatus ſentiunt

nullâ vel minimæ consolatiunculæ stillâ infusâ temperatos. Quod est, merum ipsis propinari vinum iræ Dei additur *ignis & sulphur* ut significetur urendos illos igne inextinguibili & immortali, quippe ferente secum alimentum suum sulphur; unde videmus fornaces Ætnarum & Vesuviorum indesinenter ardere: magna deinde pars tormenti eorum innuitur verbis sequentibus: *In conspectu Angelorum Sanctorum & in conspectu Agni*; gravissimum enim erit pœnæ auctarium Reprobis habere miseriæ & ignominiæ suæ spectatores Angelos Sanctos & totam Hominum Beatorum Ecclesiam triumphantem, quæ universa intelligitur in solâ mentione *Agni* hoc est Christi ejus capitis. Est autem iste *conspectus* duplex, activus & passivus, vident damnati Sanctos in cœlo regnantes. & *videndo turbantur* (ait liber Sapientiæ cap. v. 1.) *timore horribili & mirantur in subitatione insperatæ salutis: dicentes intrà se, pœnitentiam agentes, & præ angustiâ spiritus gementes: hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*, &c. confirmat idem Christus dum Luc. xvi 23. refert de divite Epulone sepulto in inferno: *Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis vidit Abraham à longé, & Lazarum in sinu ejus*, &c. iste porrò conspectus imprimit miseris molestissimũ sensum calamitatis suæ ex comparatione ejus cum alienâ felicitate, à quâ ipsi culpâ & voluntate propriâ jam irreparabiliter exciderint. Nec minoris ipsis erit doloris causa *conspectus* alius passivus, quo suum extremum dedecus sub oculis innumerabilium nobilissimorum testium positum videntes, pudore immenso suffundentur, frustrà optantes abscondi, & ad hoc clamantes, *montibus cadite super nos, & collibus operite nos*, Luc. xxiii. 30.

℣. 11. Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus.

Tangunt hæc duas circumstantias incredibiliter aggravantes pœnam damnatorum, prior est æternitas, nullam finis spem relinquens: altera continuitas, sine ullâ interpositione saltem brevis laxamenti: quippe cum fumus flammæ damnatos urentis *ascendat in sæcula sæculorum* in argumentum κολάσεως αἰωνίας *combustionis æternæ*, ut dicitur Mat. xxv. 46. ut enim rectè notat Augustinus lib. de Fide & Operibus cap. xv. *Erit, sicut æternus ipse ignis; ita æterna quoque ejus operatio, nempe combustio*, sine ullo intervallo vel momentaneæ requiei; qualis obrepit in hâc vitâ febrientibus, & quamlibet acerba patientibus mala, qui aliquando per longas noctes brevi somno connivent, aut torpore aliquo sensuum vim sævam tormenti urentis hebetant, & puncta pœnis continuis interserunt brevium à summo angore cessationum. Hic terror à Pastoribus inculcatus Christianis sub ictu sævissimarum persecutionum trepidantibus, terrorem extinguebat gladiorum & flammarum, & hæc vox tonitrui, *vox* erat illa *Domini* Ps. xxviii. 9. *præparantis cervos* pro quo habet Aquila φωνὴ Κυρίου ὠδίνοντος ἐλάφους

vox Domini parere facientis cervas, & quinta Editio φωνὴ Κυρίου μαιομένου ἐλάφους *vox Domini obstetricantis cervis* : ut enim illud animal naturâ pavidum, & ægrè fœtum emittens, expedit partum fragore terribiliter ingruente collisarum fulminis emissione nubium : ita sancti Confessores, utcumque sexu, vel ætate debiles, Mulierculæ, Pueri &c. metu æternæ damnationis per Ecclesiasticos Oratores utiliter incusso præparati, *parturiebant & pariebant spiritum salutis*, ut loquitur Isaïas cap. xxvi. 18. hoc est, Martyria consummabant, invictâ ad extremum patientia, de qua statim additur.

℣. 12. Hîc patientia Sanctorum est qui custodiunt mandata Dei & fidem Jesu.

Cujus patientiæ merces statim ampla & præsens proponitur his verbis.

℣. 13. Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Etsi *mori in Domino*, generatim dicatur interdum de iis omnibus qui in Dei gratiâ decedunt : & hunc ipsum Apocalypsis locum Ecclesia cunctis Fidelibus defunctis accommodet in officio pro ipsis : tamen hoc loco specialiter signare solas eorum mortes qui vero Martyrio vitam finiunt, sententiæ tota series suadet. Hæc nempe scribuntur ad firmandos Christianos in forti proposito necis subeundæ, quoties sub mortis interminatione jubebuntur à Tyrannis, Christo renunciare, & Idola venerari. *Mori* ergo *in Domino*, hîc idem est ac *mori pro Domino* : ita ut particula *in* sumatur in totâ latitudine notionis hebrææ ipsi æquivalentis præpositionis ב *be* quæ non rarò significat *pro*, aut *propter*. Nam Gen. xviii. 28. ubi Vulgatus noster habet: *quid si minus quinquaginta justis quinque fuerint. delebis propter quadraginta quinque universam urbem ?* In Hebræo quæ respondent illis verbis : *propter quadraginta quinque*, hæc tantum sunt : בַּחֲמִשָּׁה *Bachamisciah.* hoc est ad verbum *in quinque*, sicque legisse & intellexisse Vulgatum, præterque mentem ejus vocem, quadraginta, in contextum irrepsisse apparet inde verisimile, quod duo codices scripti manu bonæ notæ locum hunc vulgatæ sic efferunt : *delebis* propter quinque *universam urbem.* ב igitur cui solet alibi respondere latinum *in* significat ibi *propter*, ex sensu etiam Interpretis ab Ecclesiâ probati. Gen. quoque xxix. 18. Labani Jacob dicit : *Serviam tibi pro Rachel filiâ tuâ minore septem annis* & vers. 20. *Servivit ergo Iacob pro Rachel septem annis*, utrobique in hebræo est בְּרָחֵל *Be Rachel*, quod Vulgatus rectè vertit, *pro Rachel.* Alibi tamen idem τὸ *in* retinuit in versione, sed usurpans illud, ut hîc Joannes, in significatu τῆ *pro.* Nam Oseæ, xii. 12. *servivit Israël in uxorem & in uxorem servivit*, ubi duplex servitium septenne pro uxoribus Liâ & Rachel à Jacobo Labani impensum refertur, quod in Hebræo bis est בְּאִישׁ *Beisciah* : vulgatæ autor Hieronymus

ronymus reddit *in uxorem.* Sic Michææ III. 11. *Principes ejus in muneribus judicabant.* pro *in muneribus* In Hebræo est בְּ שֹׁחַד *Besciachad* בְּ & *in* clarè vice בְּ *pro*, posito. Et hoc ergo *mori in Domino*, est mori vitam paciscendo pro servandâ Dei lege, & in Christum fide. Commemoratur autem his verbis & certò sancitur Privilegium ingens sic morientium; in eo situm, quod sine ullâ morâ post talem mortem Animæ Martyrum æternæ felicitatis plenâ requie donantur, remittente Deo quidquid forte pœnarum pro præteritis culpis expendendum supereset. cujus intuitu commodi vehementer incitatos fuisse Christianos Persecutionum tempore ad necem Christi causâ illatam subeundam disertè prodit Tertullianus Apol. capite XLVIII. ubi declarans quomodo ex Martyrio in aliis viso conversiones in Ethnicis spectantibus fiant, & similis sortis desideria nascantur, sic scribit Gentiles alloquens: *Ipsa illa obstinatio quam exprobratis, Magistra est. quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirend quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit accedit? ubi accessit, pati exoptat, ut Dei totam gratiã redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur: inde vestris sententiis gratias agimus.* Hæc ille. Ex quibus intelligis, & diligenter proponi Christianis solitam, maximè Persecutionum tempore, istam vim peculiarem necis Christi causâ obitæ; & vehementem ex eâ notitiâ impressum iis fuisse stimulum ad desiderium flagrans talis è vitâ exitûs consequendi. Eam puto esse causam cur tam asseveranter, & authenticis quasi formulis, merces ista peculiaris, mortis in Domino proferatur & promulgetur hoc loco, cum mentione *vocis de cœlo auditæ* eam disertè declarantis, prætereáque imperio eam scripto mandandi, sicque ipsi legis æternæ & irrevocabilis autoritatem arrogandi. Unde persuasio ejus indubitatissima semper in Ecclesiâ permansit, testata dicto illo ex antiquissimâ traditione Patrum in hodiernam usque memoriam & usum producto: *injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.* Quia verò inde sciebatur certissimè occisorum pro Christo animas æternæ statim compotes felicitatis esse: corpora reliquiasque illorum religiosè venerandi quos eâ interfectos causa constaret, tanta erat Christianorum veterum & tam ipsis Persecutoribus cum nota, tum exosa contentio. Effectus hujus quasi apotheoseos cujusdam & canonizationis talium à divino spiritu in cœlo factæ, è cœlo per Angelum Joanni declaratæ, à Joanne Dei jussu scripto authentico commissæ.

Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.

In Græco ἀπάρτι quod est, *amodò*, vitiosè connectitur cum membro præcedenti, cum ad hoc sequens satis manifestè pertineat, etiam ex autoritate quorumdam melioris notæ Græcorum exemplarium, ut Complutensis, à Riberâ laudati ad hunc locum. Addunt porrò rectè Græca exemplaria

particulam assertivam ναὶ *ita* vel *etiam*, ante *dicit Spiritus*, cum emphasi studiosioris affirmationis ἀπαρτι, & *amodò* sonant statim, ab ipso separationis animæ puncto. *Opera* ponuntur pro fructu & mercede operum, ut sæpe effectui tribuitur nomen causæ: *sequuntur* autem scribitur per figuram quam vocant λιτότητα, pro *assequuntur*, & perveniunt ad ipsos, citrà dilationem ullam.

℣. 14. Et vidi: & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem similem Filii hominis, habentem in capite suo coronam auream: & in manu suâ falcem acutam.

Deinceps aliud commemoratur solatium quo Christiani in persecutionum ærumnis recreabantur; conversio nimirùm ubique conspecta, undecumque nunciata, plurimorum non solùm hominum, sed & Nationum, ad Christi fidem: qui successus planè mirabilis, &, quod humanæ rationi non congrueret, divinæ potentiæ ei se negotio clàm immiscentis, indubitatum habens characterem, etiam prudentiores Ethnicorum aliquâ interdùm latentis veritatis suspicione perstringebat. *Nubes candida*, ut superius est dictum, Apostolicorum Hominum Evangelicæ prædicationi vacantium sanctas & puras indicat animas, quibus velut Rex proprio solio, aut Imperator currui triumphali, Christus insidere dicitur; universalis in omnes Orbis terrarum Gentes, plenæque in mundum universum potestatis, insigne in capite præferens, *coronam auream*. Nihil enim minus quàm supremum Rerum Dominum esse oportebat eum, qui per missos à se quoquoversùm nuncios, mandata edictaque sua in omnes Mundi partes, Nationes, & Regna promulgabat; cum minis, ni parerent, vindicandi. Ergo hanc ipsam, dum expedivit ad istam legationem Apostolos Mat. xxviii. 19. disertè autoritatem memoravit. *Data est* (inquiens) *mihi omnis potestas in Cœlo & in terrâ. euntes ergo docete omnes Gentes: baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Et, Marcus addit cap. xvi. 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. Falx* deinde *acuta* quam in manu Christus gestat, Prædicantium divinam, & Christi Spiritu instinctam eloquentiam designat, ut constat ex Ephes. vi. 17. Hebr. iv. 12. & hujus ipsius libri ii. 16. xix. 15. quibus in locis verbum Dei *gladius* vocatur. Mutandum enim tali occasione *gladium* in *falcem*, etiam Isaïas prædixerat. ii. 3. & 4. sic scribens; *De Sion exibit lex & verbum Domini de Jerusalem & judicabit Gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.*

℣. 15. Et alius Angelus exivit de Templo, clamans voce magnâ ad sedentem super nubem, mitte falcem tuam & mete.

Quod Angelus conversionem Gentium prædicens exivisse de Templo

Hierosolymitano dicitur, significat, non nisi postquàm desperata est conversio Judæorum; ipsis contumaciâ se suâ involventibus, & fundendo Christianorum cruore per immanissimam crudelitatem, suam ipsorum à Deo desertionem & ultimum per Romanos importandum exitium promerentibus, totis viribus incubuisse Prædicatores Evangelicos in conversionem Gentium, jam tum ante bellum Romanum & destructionem Urbis & Templi, ut Docet Lucas in Actis. quæ causa est cur hic Angelus *exiviſſe de Templo* dicatur; adhuc videlicet stante: cùm alius memorandus infra v. 17. quia de re illic agitur gestâ post Hierosolymitanam cladem, & Templum eversum, dicatur *exiviſſe de Templo quod est in Cœlo*. quamquam & hic *exitus Angeli de Templo*, videtur aliud innuere. nempe id quod retuli superius ex Josepho, inter ostenta cladis futuræ Judæis edita, fores Templi repentè patuisse, auditâ eodem momento voce dicentium: μετα βαίνωμεν ἐντεῦθεν, *Migremus hinc*. Hi sine dubio Angeli fuere, illorumque unus is quem hoc loco Joannes exhibet.

Quia venit hora ut metatur, quoniam aruit Messis terræ.

Hæc respiciunt illud Christi dictum Joan. IV. 35. *Ecce dico vobis: levate oculos vestros & videte regiones quia albæ sunt jam ad messem* ubi manifestè indicatur conversio Gentium.

V. 16. Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, & demessa est terra.

Ingentes & planè stupendi successus Evangelicæ prædicationis in conversione Gentium, qui Orbis universi admirationem in se verterunt, sub ea maximè tempora quæ respicit hujus & superioris Prophetia capitis, à Domitiano ad Diocletianum, his verbis adumbrantur: ii tanti fuerunt, ut cum jam in Orbe noto pars aut Gens nulla restaret, quæ promulgationem Evangelii non audivisset, ac magnâ ex parte suscepisset: Viris Apostolicis in remotissimos ultrà usum & commercium Populos longinquæ peregrinationes essent suscipiendæ, si novos Evangelicæ Doctrinæ auditores quærerent. Propterea enim imperante Commodo, Pantænus Alexandrinus in extremam Indiam prædicandi causâ se contulit, ut testatur Eusebius Hist. Eccl. lib. v. cap. x. quod S. Hieronymus lib. de script. Eccl. in Pantæno, & ad Magnum. contigisse ait, idcirco quod Brachmanes missa ad Demetrium Alexandriæ Patriarcham honorificâ legatione, postulassent, destinari ad ipsos aliquem qui Christianam eis doctrinam exponeret. Non est opus hîc describere quæ multa in veteri Ecclesiasticâ leguntur memoriâ de conversionibus Gentium ad Christum eo potissimum tempore factarum quo Romani Cæsares totam imperii potentiam ad Christianos extirpandos conferebant. Delibabo tantùm quædam in specimen. Superius ex Luciano retuli,

Alexandrum Pſeudomantin, ſceleratiſſimum ex Apollonii Schola Magum, queri ſolitum, confines Abonithico, ubi reſidebat, Regiones, Pontum, Galatiam, Cappadociam, plenas Chriſtianis eſſe. vivebat autem principatu M. Aurelii Philoſophi. Tertullianus in Apologetico cap. I. refert querelas Paganorum ſub Severo Principe, de multitudine Chriſtianorum Romæ & per Italiam in dies magis magiſque invaleſcente : *Obſeſſam* (aiens) *vociferantur Civitatem. In Agris, in Caſtellis, in Inſulis, Chriſtianos. omnem ſexum, ætatem, conditionem, & jam dignitatem, tranſgredi ad hoc nomen, quaſi detrimento mœrent* quod adeò non inficiatur Apologiſta, ut ultrò etiam diſertiùs prædicet; & terrorem Ethnicis è numero Chriſtianorum, quos tam atrociter vexarent, intentare audeat. En ejus verba Apol. cap. XXXVII. *Si enim & hoſtes exertos, non tantùm vindices occultos, agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirùm Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantacumque, unius tamen loci, & ſuorum finium, Gentes, quàm totius Orbis. Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus: Urbes, Inſulas, Caſtella, Municipia, Conciliabula, Caſtra ipſa, Tribûs, Decurias, Palatium, Senatum, Forum. Sola vobis Templa relinquimus. Cui bello non idonei non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur; ſi non apud iſtam Diſciplinam magis occidi libêret, quàm liceret occidere? Potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantummodò diſcordes, ſolius divortii invidiâ adversùs vos dimicaſſe. ſi enim tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet utique Dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſſio Civium; imò etiam & ipsâ deſtitutione puniſſet. Proculdubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quemdam quaſi mortui Orbis. Quæſiſſetis quibus imperaretis. plures Hoſtes quàm Cives vobis remanſiſſent: nunc enim pauciores hoſtes præ multitudine Chriſtianorum.* Hæc ibi Tertullianus imperante Severo ſcribens quæ videbat, & ex fiduciâ publicæ conſcientiæ liberè profitens. qui etiam inferiùs cap. XLVIII. aliquid addit magis mirum; nempe eo ipſo multiplicari Chriſtianos quod Ethnici adhiberent ad eos extinguendos. *Nec quidquam tamen* (inquit) *efficit veſtra crudelitas. illecebra eſt magis ſecta. Plures efficimur quoties metimur à vobis. Semen eſt Sanguis Chriſtianorum.* Ex his patet quàm largam Meſſam fecerit memorata hoc loco falx Chriſti : & ſatis intelligitur quantam vim habere potuerit animadverſio & experientia tam mirabilis ſucceſſûs, ad corroborandos in fide conſtantiâque Chriſtianos ferreis illis temporibus furentium adversùs ipſos Deciorum & Diocletianorum.

℣. 17. Et alius Angelus exivit de Templo quod eſt in Cœlo.

Novum hîc tangitur delinimentũ ærumnæ Chriſtianis oblatum ſub Perſecutionũ continuatâ tot Principatibus feritate gementibus, à cõparatione ſuæ qualiſcumq; ſortis, cum longè triſtiori ac miſeriori Iudæorum per iſta eadem

tẽpora. Dicitur hic Angelus Clades Judæorũ nuncians *exiſſe de Templo quod eſt in Cœlo*, ut ſignificetur Templum Hieroſolymitanũ non extare amplius, neque umquam futurum in terrâ. Et ea circa quæ verſatur Prophetia capitis hujus & præcedentis, pertinere ad tempora excidium Templi ſecuta, ut diximus. in cujus rei ſignum, ſub finem capitis XI. ubi deſinit vaticinium deſtructionis Templi Hieroſolymitani, ſic ſcribitur v. 19. *Et apertum eſt Templum Dei in Cœlo* &c. quæ indicant: ſanctitatem illam veterem rituum & ſacrorum Judaicorum à Deo, unde prodierat revocatam atq; ſe retractam eſſe, nunquam iterùm illi perditæ ac ſceleratæ nationi reſtituendã. Porrò dum hæc vel permiſſio, vel decretum, novi ſupplicii de Judæis abundè jam miſeris, ſed peccare non ceſſantibus, per Trajanum & Hadrianum repetendi, *exire de Templo quod eſt in Cœlo* dicitur (cum in Cœlo aliud Templum non ſit, niſi Deus ipſe, ut infrà docet Joannes cap. XXI. 22) indicatur id juſtè fuiſſe ſtatutum ab eodem illo Deo Hieroſolymitano à Judæis ipſi olim charis, cum aliis eſſent moribus, nunc exoſis, quoniam poſt Chriſtum occiſum, adeò tam horrendi ſceleris pœnitere nollent, ut tunc ut cum maximè pergerent maledicere Chriſtianis eoſque crudeliſſimè perſequi.

Habens & ipſe falcem acutam.

Idem ſymbolum in diverſos, & penè contrarios ſignificatûs aliquando diſtrahitur. Sic Gen. XL. Piſtor & Pincerna Pharaonis non admodum diſſimilia ſomnia viderunt: quorum tamen uno, Pincernæ liberatio, & ſalus: altero exitium Piſtori prænunciatum divinitùs vidit ſomnii utriuſque Interpres Joſeph; eventis mox conjectori fidem adſtruentibus. Ad iſtud exemplum prior *falx* converſionem Gentium: poſterior, carnificinam immanem Iudæorum deſignat hoc loco, ut mox videbimus,

℣. 18 Et alius Angelus exivit de altari qui habebat poteſtatem ſupra ignem.

Indicatur his verbis hunc Angelum præfuiſſe conſumptioni holocauſtorum. quod ad Allegoriæ rationem eſt trahendum. ſolent enim qui extremo & irrevocabili ſupplicio divinitùs afficiuntur holocauſtis comparari, & ignis gehennæ talibus ſuccenſus adumbrari ſymbolo ignis perpetui, qui, ut ex Levitici VI. 12. & 13. intelligitur. diù noctuque ſine ullâ ceſſatione ardebat in eo altari Templi Hieroſolymitani quod *altare holocauſtorum* appellabatur, cujus deſcriptionem habes Exod. XXXVIII. Docet hoc clarè Chriſtus ipſe Marc. IX. ubi cum verſ. 45. & 46. intuliſſet mentionem *gehennæ ignis inextinguibilis* & bis deinceps iteraſſet καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται *& ignis ille non extinguitur*, mox v. 49. quaſi reddens ejus dicti rationem, addit: *Omnis enim igne ſalietur & omnis victima ſale ſalietur.* quæ

ceptum extat Levitici II. 13. uti, juxta id quod præhanc habent ſententiam : *quidquid obtuleris ſacrificii ſale condies*, quidquid holocauſto abſumebatur ſecundùm ritũ legis veteris, ſale conditũ erat, ita gehennæ addicti, qui ſunt holocauſta juſtitiæ divinæ, condiuntur & ipſi, quò à corruptione præſerventur, non tamẽ ſale quia ſal vim non habet præmuniẽdi corpora quibus aſperſus eſt à putrefactione, niſi tantum ad tempus: ſed igne divinitùs vim habente alendi & conſervandi rem ipſam quam urit. Hæc proprietas eſt ignis gehennæ, in eâ diverſiſſimi ab igne noſtro elementari, qui conſumit & perimit ea quæ depaſcitur: cum ignis inferni ſit Damnatis vice ſalis, eos vegetans ſimul & crucians. ita ut, quemadmodum inextinguibilis ignis ille eſt, ita qui eo uruntur immortales ſint. Hoc ſonant illa Chriſti verba πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται *omnis enim igne ſalietur.* ubi lector quivis videt, ex paulò ante à Chriſto dictis τὸ *omnis* denotare addictos gehennæ ignis. quod ergo nunc dicitur hic Angelus *habere poteſtatem ſupra ignem* ſymbolicè accipiendum eſt; intelligendaque ignis mentione deſignari ſumma ira Dei, quâ extremâ damnatione perculſos æternùm cruciat, cujus hic Angelus Miniſter aut præco inducitur. Ad hanc autem claſſem Reprobatorum in perpetuum, referendus eſt per accommodationem quamdam Populus Iudaicus in ſuâ infidelitate perſeverans poſt everſum Templum. ideo ad iis inferendum & declarandum novum infortunium, quo extorres jam licet, ac malè mulctati, ulteriùs tamen ob nova ſcelera affligendi erant, adhibetur opera iſtius Angeli.

Et clamavit voce magnâ ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt uvæ ejus.

Vinea proprium ſymbolum eſt Synagogæ, ſive Gentis Iudaicæ; ex Iſaiâ ℣.7. *vinea Domini exercituum domus Iſrael.* vide etiam Ier. II. 21. Matt. XXI. Luc. XX. Marc. XII. Hanc vineam quod egregiè culta fructum afferret nullum, Dominus, ut locis citatis dicitur, deſeruit & omni cultu præſidioque deſtitutam in perpetuum abjecit. Illæ minæ Prophetarum & Chriſti ipſius in rem deductæ ſunt quando bello Romano per Veſpaſianum & Titum univerſa Iudæa, Urbſque ipſa Hieroſolyma cum Templo deſtructa eſt. quo tempore multis Iudæorum myriadibus occiſis, qui ex iis ſuperfuerunt ſpoliati, ejecti, malis & cladibus obruti, vivere tamen in ſervitute miſerrimâ permiſſi ſunt. quâ utcumque tolerandâ, quieverunt annis ſex & quadraginta. totidem enim numerantur ab anno Veſpaſiani 2. quo capta eſt & everſa Hieroſolyma, ad Trajani 16. quo Iudæi Cyrenis exulantes Duce quodam Andreâ, ut narrat Dio lib. LXVIII. erumpentes ex illis latebris, Romanos & Græcos innumerabiles occiderunt, tantâ rabie, ut trucidatorum viſcera depaſcerentur, tum ſanguine ipſorum obliti, & pellibus quorumdam excoriatorum induti, glorianter incederent; plurimoſque excogitatis novis tormentis

excarnificarent. Nam quosdam à vertice serrâ dissecabant, alios objiciebant bestiis; plurimos sese mutuo conficere gladiatorio commissos certamine cogebant. Hos inter vario feritatis genere consumptos quin Christiani multi fuerint, dubium non est. Nam & alius Iudæorum iterùm rebellium Dux famosissimus Barchochebas, ut Eusebius in Chronico, Iustinus martyr in secundo Apologetico, & Paulus Orosius lib. VII. cap. XII. & XIII. disertè tradunt, exquisitissimis suppliciis Christianos afficiebat, ni Christo renunciarent: his nempe sceleribus novas istas commeruere Iudæi clades. Quod symbolicè significatur hîc memoratâ *maturitate uvarum*. Sicut enim maturæ uvæ vindemiatorum quodammodo operam vocant; sic barbara ista & impia facinora Gentis sceleratissimæ, divinam in eam vindictam provocarunt; cujus instrumentum fuere, Trajani primùm, deinde Hadriani, postremò Severi Romanorum Augustorum arma; ut paulò post dicemus.

℣. 19. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram & vindemiavit vineam terræ.

Hujus hîc secundò repetitæ mentionis *vineæ terræ* semel reddenda ratio est. Ad discrimen omninò istius *vineæ* ab aliâ quapiam *vineâ* hæc vocabuli *terræ* adjectio pertinet. *Vinea*, ut est suprà relatum ex Isaïa, *Domini exercituum domus Israël est*. Sed, ut Paulus admonet I. Cor. X. 18. est *Israël secundùm carnem* & est *Israël Dei*, ut idem ait Gal. VI. 16. Unde *non omnes qui ex Israël, ii sunt Israëlitæ*, scilicet *veri*, qualem Christus prædicat Nathanaëlem Ioan. I. 47. En igitur duas domos Israël, & duas vineas: quarum quæ carnalium Iudæorum, hîc vocatur, *vinea terræ*, per quod ipsum indicatur, aliam esse vineam *cœli*; ex *veris* nimirum conflatam Israëlitis, hoc est Christianis.

Videamus deinceps, ad expositionem propositorum verborum, quæ fuerit ista *falcis missio*, quâ ultor *Angelus vindemiavit vineam terræ*. Ea fuit immissio Romanorum exercituum in Judæos facta primùm à Trajano, deinde ab Hadriano, denique, à Severo Imperatoribus. Fuit & quarta Romanorum in Judæos irruptio ævo & jussu Constantini Magni. Sed eam non amplectitur hic locus, qui (ut sæpe dixi) res solùm spectat intrà spatium persecutionum, à Domitiano ad Diocletianum gestas. Dicendum ergo nobis est de tribus tantùm primis. Anno ergo Trajani 18. irritatus is Imperator auditis quæ Judæi Cyrenenses atrocia patrarent, paulò ante ex Dione relata, qui & adjungit: facilè ducenta Romanorum aut Græcorum millia sic ab iis fuisse perempta in sola Cyrenensi Regione; ac cum ex eâ Judæi processissent in Ægyptum, cui tunc erat Præfectus pro Romanis Lupus, prodeuntes obviam Romanas & Ægyptias copias primo impetu fuderunt, magnâ cæde; in cujus ultionem Alexandrini, quotquot erant in civitate ac ejus finibus, Judæos trucidarunt: quod fuit initium vindemiæ hîc memoratæ, *vineæ terræ*. Cæterùm irritati clade illa Judæi rebelles sub alio

duce, cui nomen erat Lucua, per Ægyptum arma clademque circumtulere, quin & auſi ulteriùs progredi, Cyprum pervaſere; ubi & Salaminem primariam civitatem everterunt, & ducenta quadraginta hominum millia interfecerunt, quæ pertinent ad ſuprà declaratam *maturitatem uvarum vineæ terræ*: hoc eſt occaſionem & neceſſitatem ea ſcelera ulciſcendi Trajano tunc Imperanti oblatam. Sanè his ille motus. Martium Turbonem cum validis copiis contrà Judæos miſit, qui immenſam illorum ſtragem edidit. In Meſopotamiâ quoque tumultuantes eoſdem Quint. Lucius cecidit. Tum iidem in Cypro occidione occiſi, omnes periere quotquot eò trajecerant: atque ex eo tempore Judæis ad Cyprum appellere, etiam tempeſtate delatis, capitale fuit; prout hæc narrant Dio lib. LXVIII. & Euſebius Eccl. Hiſt. lib. IV. c. II.

Hæc eſt prima *vindemia vineæ terræ* ſub Trajano. Secunda ſub Hadriano haud paulò etiam uberior, hæc eſt. Anno Hadriani ſecundo, excutere iterùm Romanum jugum conati Iudæi, clade ingenti coërciti ſunt à Tinio Rufo Iudææ Præſide, ut Hieronymus habet ad caput IX. Danielis, & Euſebius meminit in Chronico. Sed cum adhùc inquietiſſimè multa ſubinde tentarent; denique anno ejuſdem Hadriani XVI. cum dudùm indomita Iudæorum rebellium contumacia Romanos exercitûs, quod eis tantùm modici opponerentur, fruſtrando variis artibus eluderet, pertæſus morarum Imperator, totis opibus Imperii bellum Iudaicum capeſſere conſtituit; miſſis contrà iſtos perduelles præſtantiſſimis qui tunc erant ducibus, quorum præcipuus Iulius Severus eos penitùs oppreſſit atque obtrivit, Arcibus aut Oppidis ſuprà mille direptis ac dirutis; totâque regione ferro flammâque vaſtatâ: prout iſta fuſiùs Dio tradit, & ex ex eo aliiſque Euſebius in Chronico: & Hiſt. Eccl. lib. IV. cap. VI. ubi & addit: *Ex eo deinceps tempore univerſa Iudæorum Gens in regionem circum Hieroſolyma ſitam pedem inferre prohibita eſt, lege & conſtitutione Imperatoris Hadriani, adeò ut, ne proſpicere quidem è longinquo patrium ſolum ipſis liceret, ut ſcribit Ariſto Pellæus.* In quantam fuſi ſanguinis copiam cruentiſſima hæc vindemia redundaverit, diverſi variè tradunt. Dio quidem affirmat iſto bello interfecta fuiſſe quingenta & octoginta Iudæorum millia. Rabbi vero Ioannes in libro qui inſcribitur *Echa Rabathi*, ait tunc periiſſe Iudæorum octingenta millia. quem numerum adhuc auget alius Rabbinus Salmanticenſis, ſcribens, iſtis Hadriani bellis Iudaicis, bis totidem quot olim ex Ægypto exierant, Iſraëlitas eſſe conſumptos. Conſtat autem ex cap. XII. Exodi verſ. 37. numerum egreſſorum ex Ægypto Iſraëlitarum militaris ætatis fuiſſe ſexcentorum millium, quare neceſſe eſt: ſi Rabbino iſti credimus ſuæ Gentis memoriam, ut credibile eſt, ex domeſticâ traditione callenti, fateri, eo ſub Hadriano Iudaïco tumultu duodecies centena Iudæorum millia fuiſſe interfecta.

Hanc ſecundam vineæ terræ vindemiam, excepit intervallo annorum ſex & ſexaginta tertia vindemia ſub Severo Auguſto. Nam cum ejus tempore in deſperationem

desperationem acti extorsionibus Pescennii Nigri, & Claudii Ducis Romani latrociniis Iudæi, palàm rebellassent, movente contrà eos ipso victore Pescennii Severo, clade ingenti debellati sunt, qui & de iis triumphavit, vetuitque sub gravi pœna; ne quisquam deinceps Religionem Iudæorum susciperet. prout docent Spartianus in Pescennio, & Dio in Severo. Post quæ omnia considerata, nemo, ni fallor, desiderabit manifestiorem scripti hoc loco vaticinii, verissimè ac cumulatissimè perpetrati, notitiam. Expendamus quæ mox addit sacer vates.

Et misit in lacum iræ Dei magnum.

℣. 20. Et calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis usque ad frænos equorum.

Perseverat scriptor sacer in allegoriâ vineæ & vindemiæ, quam expressio liquoris per calcantium insultationem in lacu fieri solitam, & mox prælı tormentum excipit. Hâc autem imagine graphicè depingitur status deploratissimus Iudaïcæ nationis, qualis eo Hadriani bello & post ipsum fuit. Quando non tantùm tam immensus cædium, ruinarum, incendiorum numerus Iudæam universam planè desolavit; sed Urbs ipsa Religionis olim & Regni Arx Hierosolyma, ut ex Eusebio retulimus, ipsis erepta est in perpetuum; suppliciorumque interminatione ingentium sancitum, ne ulli umquam Iudæo liceret pedem in Hierosolymitanum territorium inferre; ac ne ex edito quidem loco solum illud paternum aspicere. Ipsa vero Hierosolyma ex Imperatoris Ælii Hadriani nomine Ælia transnominata, Gentilibus habitanda concessa est. Id hoc loco Ioannes innuit, dum *calcatum lacum extra civitatem* ait. Nimirum ejecti Hierosolymâ Iudæi totam reliquam regionem, ditionis quondam suæ, proprio infelicissimi cruore inundarunt, passim crudelissimè concisi. Quia vero non velut in æquo prælio paribus resistentes viribus, & mutua damna inferentes, ea Iudæi passi sunt: sed victi jam ac fracti, miserâ inermique palantes fugâ has clades à victoribus sunt passi; ideò insinuatur hîc equitum significatio injecta mentione *frœni equorum*: quasi equitatu Romano victoriam jam partam fugacibus assectandis *consummante*, *in hunc* modum conculcati contrucidatique Iudæi fuerint. Multitudo vero sic interemptorum & immanis copia fusi sanguinis, emphaticè innuitur illis verbis *usque ad frœnos equorum*, quæ speciem horribilem præferunt, stagnantis per campos cruoris ad instar fluminis tam alti, ut equitum illud vadantium ad ipsa capita pertingat liquor, eaque non naturali solùm situ extantia, sed in altiorem erectionem attrahente per frœnos equite sursum arrecta; prout in transvadationibus solet fieri. idque.

Per stadia mille sexcenta.

Hoc est per totam Israëliticæ olim ditionis terram: quæ Iudæa & Terra

Sancta vulgò dicta, præcisè in longitudinem patuit stadiis mille sexcentis, quod sic demonstratur. S. Hieronymus, qui diù in Iudæâ vixit, & omnia exploravit accuratissimè, in Epistolâ ad Dardanum testatur: *Terram repromissionis à Dan usque Bersabee, centum sexaginta millium in longum spatio tendi* Hæc tota Iudææ longitudo est, Romanis milliaribus centum & sexaginta definita. Certum autem est, milliare unum quodlibet continuisse stadia decem, genus hoc est Græcæ mensuræ passibus paulò plùs centum constans; quia ergo centum sexaginta multiplicata per decem, summam producunt mille sexcentorum, manifestum est, mille sexcentis stadiis longam fuisse Iudæam terram. quæ propterea istius numeri mentione hoc loco exprimitur.

AD CAPUT XV.

℣. 1. Et vidi aliud signum in Cœlo magnum & mirabile, Angelos septem habentes plagas septem novissimas: quoniam in illis consummata est ira Dei.

NOVA hinc incipit visio, cujus apparatus & quasi vestibulum hoc capite, tota series sequenti explicatur. *Visum in cœlo signum*, dicitur, quia Dei decretum in cœlo editum de re in terris inopinatissimâ, nimirum de Romæ Idololatræ, & Romani Occidentalis Imperii destructione, per hoc *signum* Ioanni declaratur: & gradus per quos ad extremam catastrophen deveniendum esset, sigillatim exponuntur successivis comparitionibus septem Angelorum habentium *septem plagas novissimas*: in Græco πληγὰς ἑπτὰ τὰς ἐσχάτας. *Extremi* & *novissimi* vocabula relativa sunt; & hîc referuntur ad Romanam potentiam tunc Occidente toto dominantem, & omni sua vi incumbentem in extinctionem Christianismi. *Signum* tale hîc vocatur *magnum & mirabile*; quia supra omnem humanam conjecturam erat, tam potens Imperium, quod palàm *æternum* fore prædicabatur, destrui prorsùs (quod in Augustulo contigit anno Christi 476.) ac in nihilum redigi posse. Ioannes infrà capite XVII. visa specie Romanæ potentiæ persecutricis Christianorum sub forma: *Mulieris sedentis super bestiam coccineam, circumdatæ purpurâ, coccino, auro, lapide pretioso & margaritis*, de se fatetur vers. 6. *& miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magnâ.* Quidni ergo *signum* quo hujus exinanitio, dejectio, & omnimoda consumptio demonstrabatur, rectè hîc ab eo dicatur *magnum & mirabile*? quod additur: in his plagis *consummatam fuisse iram Dei*, restringendum est pro subjecta materia ad rem præcedentibus duobus capitibus tractatam; ut per *iram Dei*

intelligatur justitia ultrix persecutionum injustissimè ac crudelissimè exercitarum in Christianos à Cæsaribus Romanis toto spatio quan tum extenditur à Domitiano ad Diocletianum : in quarum pœnam Roma sæpe capta, direpta, conculcata à Barbaris; denique ab Odoacro Herulorum Rege Imperio spoliata est.

℣. 2. Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igne.

Dixi superius ad vers. 6. cap. IV. Populum Christianum designari symbolo *maris vitrei similis Crystallo* : hîc additur *mixtio ignis*, ad indicandam caritatem quam is in persecutionibus ostendit : quia vero paradoxa & naturæ contraria est conjunctio ignis cum aqua, salvo utroque manente, indicatur per hæc divina vis caritatis in frigore odiorum flammam suam vigentem retinentis, juxta illud Cantic. VIII. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Anteà ad vers. 15. capitis XII. vidimus : Persecutionem *fluminis* vocabulo adumbrari.

Et eos qui vicerunt Bestiam, & imaginem ejus & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei.

Tò *qui viceruni* bifariàm potest accipi : ut intelligantur vel spiritus Sanctorum Martyrum cœlesti jam coronati gloria : vel adhuc in vivis agentes Confessores qui exilia, carceres, tormenta perpessi, perseverantes semper in fide, persecutionibus superstites, sanctitatis tenorem inoffensum ad pacem Ecclesiæ sub Constantino secutam pertulerunt. Horum utrorumvis, aut potius utrorumque gratulatio hic exprimitur symbolo *Citharurum Dei* : hoc est citharurum dulcissimè omnium resonantium. Nam phrasi hebraïca Dei mentio rei cuilibet adjuncta præstantiam ejus maximam signat suprà omnes ejus generis. quia vero instrumentum lætitiæ cithara est, per metonymiam ea vox trahitur ad gaudii & exultationis significatum. *Vicisse* porro *Bestiam & imaginem ejus & numerum nominis ejus*, juxtà supra dicta, nihil aliud est, nisi constanter recusasse jussam à persecutoribus adorationem falsorum Deorum, & simulacrorum quæ ipsos repræsentarent. Tum etiam respuisse dare nomen in sodalitia per Magos instituta, accipereque stigmata superstitiosa, devotionem in aliquod numen falsum testantia.

℣. 3. Et cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni, dicentes : Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens : justæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum.

Canticum Moysi hic memoratum descriptum extat Exodi XV. cujus est initium : *Cantemus Domino*, &c. propterea non descripsit illud hoc loco Joannes, contentus affirmasse illud, prout jacet noto isto Exodi loco, à

ſanctis Beſtiæ victoribus, poſtquam è mari perſecutionum ſalvi emerſerunt, ut olim Iſraëlitæ ex mari rubro, fuiſſe cantatum. Nam & rubrum maris hoc loco memorati fuiſſe colorem, admixtio ignis innuit. Non ſolùm autem cecinerunt *Moyſis* canticum : ſed & aliud *Agni*, hoc eſt Chriſti, quod deinceps ponitur. ubi obiter notanda differentia inter Moyſen & Agnum quod illi apponitur adjunctum *ſervi Dei*, Agno autem minimè : quia Filius Dei & Deus ac Dominus eſt. Vide hâc de re agentem Paulum ad Hebr. cap. III.

Sequitur Agni canticum, incipiens ab illis verbis : *Magna & mirabilia*, uſque ad finem verſûs quarti. Non eſt hoc canticum in Evangeliis quærendum, non omnia Chriſti dicta & acta continentibus, ut diſertè profeſſus eſt Evangeliſtarum ultimus ipſe hic noſter Ioannes cap. xx. 30. ſufficit enim id ſcriptum hoc loco exhiberi in Apocalypſi, qui liber non Ioannis, ſed Chriſti ipſius eſt. ſic enim legitur in ejus fronte : *Apocalypſis Jeſu Chriſti*, &c *Magna* dicit *mirabilia* hoc loco prædicta *Dei opera*, quorum poſt effectionem, hoc eſt poſt perpetratam Imperii Romani Occidentalis deſtructionem, canendum hoc erat canticum à ſanctis Martyribus & Confeſſoribus, ſicut antea vocavit *magnum & mirabile ſignum* illa prænuncians : ex eo meritum illa adjuncta, quod res magnas & mirabiles ſignaret, ut ibi diximus. Appoſitè autem additur : *Domine Deus omnipotens* quia per ea Deus & Dominium ſuum in omnia ſupremum, & pleniſſimam omnipotentiam evidenter oſtendit. Nec minùs aptè in rem quadrat quod ſequitur : *Juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ.* Vox *viæ* hîc uſurpatur eâdem notione quâ Iſaïæ LVIII. 2. ubi Iudæis impiis curiosè indagare audentibus arcana Dei conſilia, dicit : *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ juſtitiam fecerit*, quaſi diceret : Amicis iſta revelantur, iſti autem tam ſtulti ſunt ut à Deo ipſis jure infenſo benignè communicandam ſperent notitiam arcanorum ejus ſenſuum. Sunt autem plerumque inopinatæ & inſuſpicabiles humanis mentibus Providentiæ Divinæ rationes : de quibus idem Dominus apud Iſaïam paulò ante dixerat Iudæos alloquens : *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ ; neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus, quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* De hoc genere arcanarum, & captum humanæ prudentiæ ſuperantium *viarum*, hoc eſt, cogitationum, fuit mirum illud conſilium Providentiæ Divinæ, quo voluit Deus objicere teneram adhuc ſuam & inermem Eccleſiam furori plurium Imperatorum Romanorum, totâ univerſi Orbis potentiâ, quam ipſe ultro cumulandis victoriis & proſperitate omnis generis augebat, in ejus deſtructionem incumbentium, per annos fere trecentos, tot enim ab anno 2. Claudii quo cepit Romæ Petrus Chriſtum prædicare : ad victoriam Conſtantini de Maxentio, quâ Pax eſt Eccleſiæ data, numerantur. Has vias Sancti perſecutionum victores *juſtas & veras* fuiſſe gratulando nunc, & Deum laudando, profitentur, hoc eſt æquitati & fidelitati Dei, utcumque

contrà quàm carnali prudentiæ videretur, summè consentaneas; atque ad finem propositum solidissimè fundandæ & latissimè spargendæ in terris Catholicæ Ecclesiæ sapientissimè delectas à *Rege sæculorum*, quod statim additur. hoc est ab eo qui non præsentis tantum temporis in decernendo rationem habet: sed cuncta simul intuens & moderans, sæcula vicina longinquis accommodat, *attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter* ut dicitur Sap. VIII. 1. In græco hîc notabilis varietas est. Nam plerique Codices legunt ὁ βασιλεὺς τῶν ἁγίων *Rex Sanctorum*, alii ut apud Andream Cretensem, & Aretham, ac in exemplari Complutensi βασιλεὺς ἐθνῶν *Rex Gentium*, quod & Primasius sequitur. sed Vulgatus noster constanter exhibens *Rex sæculorum*, etiam in Editione antiquâ Complutensi, argumentum dat credendi eum in antiquis & sinceris exemplaribus legisse βασιλεὺς αἰώνων; ex quo per errorem Amanuenses, alii ἁγίων, alii ἐθνῶν formaverint: quæ duo vocabula aliquid præferunt primævæ ac veræ lectionis αἰώνων.

Non omittam hîc obiter monere, ejusdem cum hoc cantico argumenti videri esse Psalmum LVI. cujus est initium *Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus.* Nam si quis volet comparare, in multis cernet, non peculiarem Davidis aut Populi Israëlitici liberationem à periculis magnis in eo celebrari, sed universalis & per omnes sparsæ Gentes Ecclesiæ triumphos. Hoc indicat v. 3. & 4. *Omnis terra adoret te & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, venite & videte opera Dei terribilis in consiliis super filios hominum* quæ sunt ejusdem sententiæ cum illis hîc uersu mox sequenti positis. *quoniam omnes Gentes venient & adorabunt in conspectu tuo: quoniam judicia tua manifesta sunt.* Usurpat ibi quin etiam David eandem maris allegoriam ad Persecutiones denotandas, quâ hîc vates noster usus est, versu enim 5. Psalmus habet: *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso.* An non hoc est quod suprà dicitur: *Stantes super mare victores Bestiæ canere canticum?* Mare quoque illud Psalmi, uti & istud Apocalypsis, *igne* fuisse *mixtum*, ex quo sancti victores enataverint, & se inde ope Dei emersisse gratulentur, clarè testatur versus undecimus, in quo illi gaudentes clamant: *Transivimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.* Sed pergamus.

℣. 4. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum.

Quis viso tam severo justitiæ tuæ exemplo in destruenda funditùs, & Imperio spolianda Roma Idololatra, totius orbis opibus subnixa, non timebit severitatem tuam, non admirans & venerans prædicabit ineluctabilem tuam vim?

Quia solus pius es.

In Græco est ὅσιος, non autem εὐσεβὴς, quo postremo vocabulo græcè solet explicari *Pii* nomen : est ὅσιος *purus*, *mundus*, *inculpatus*, *maculæ omnis expers ac labis quam expiare opus sit* : quæ qualitas Dei singularis est ; nam & *in Angelis reperitur pravitas*. Job. IV 18. & inter homines *nemo mundus à sorde*. Deo ergo verè dicitur *tu solus pius es* : & opportunum erat hîc dici : quoniam permissio tot scelerum in Persecutoribus Ecclesiæ, & derelictio tam diuturna Christianorum, continuata tribus sæculis sub gladio furentium felicium, & mundana prosperitate florentium Tyrannorum, aliquid præferebat quod ægrè absolveret à nævo quodam humana censura : cum reipsa, prout hîc prædicatur, innocentissimum & sanctissimum in Deo fuerit.

Quoniam omnes Gentes venient & adorabunt in conspectu tuo : quoniam judicia tua manifesta sunt.

Cum præcipuum obstaculum conversionis Gentium ad Christum esset potentia Romæ Idololatræ, quamdiù ea in Imperio floruit : postquam ea direpta, destructa, & omni spoliata potestate fuerit (quod futurum prædicunt septem Angeli) pronum est creditu Gentes omnes hoc obice sublato Christi Religionem amplexuras : id faciendum hîc auguratur sacer Vates : imo id quasi jam factum gratulantur Sancti Bestiæ victores, quos inducit hîc canentes hoc Canticum Agni, non tam gratulatorium quàm Propheticum. Ejus eventus apparuit in conversione ad Christianam fidem decem antea Idololatrarum Nationum, quæ Imperium Romanum Occidentale destruxerunt, & subjectas ei Regiones variè occupantes inter sese partitæ sunt. Hi sunt Franci, Ostrogotthi, Vvisigoti, Vvandali, Gepidæ, Heruli, Longobardi, Burgundiones, Hunni, Angloſaxones : quos omnes aut plerosque motos ad id, saltem ex parte, verisimile est : eò quod existimarent, ac penè esset ipsis evidens, destructam esse Romam ulciscente sic Deo Persecutiones ab ea in Christianos motas ; quod Dei judicium justum esse, persuasissimum habebant : hoc sonant illa verba ultima, *Quoniam judicia tua manifesta sunt.*

℣. 5. Et post hæc vidi : & ecce apertum est Templum Tabernaculi Testimonii in Cœlo.

Templum Tabernaculi Testimonii, est ipsum Tabernaculum Testimonii olim in deserto à Moyse Dei jussu erectum : quod tametsi mobile ; Templum tamen sæpe in Scriptura vocatum reperitur : ut I. Reg. I. 7. II. 29. III. 3. & alibi. Diximus autem suprà Tabernaculum istùd symbolicè repræ-

ſentaſſe humanitatem Chriſti : cum eſſet autem jam Chriſtus in Cœlo ſedens ad Patris dexteram ; & ibi exercens ſupremam judiciariam poteſtatem datam ipſi à Patre, qui *omne judicium dedit Filio.* Joann. v. 22. ab eo hîc ſignificatur exiſſe decretum de Roma exſcindenda in ultionem ſuſi ab ea Chriſtiani ſanguinis. Ratio porrò quare potiùs Angeli ſupplicia de Romanis Chriſtianorum hoſtibus ſumenda nunciantes de *Tabernaculo* quàm de Templo (quod & ipſum Chriſtus eſt : nam Joannes infra cap. XXI. 22. deſcribens Civitatem cœleſtem Hieruſalem, ait : *Templum non vidi in eâ : Dominus enim Deus omnipotens Templum illius eſt & Agnus.*) exire dicantur, ea videtur eſſe, quia cum tota Synagoga totius Eccleſiæ figura fuerit : prior ille Iſraëliticæ Reipublicæ peregrinantis in deſerto ſtatus, laborioſus & inops, Eccleſiam ſub Perſecutorum oppreſſionibus gementem deſignarit. Tempus autem Salomonis, quando Templo conſtructo Religio Judaica maximè floruit, Pacem à Conſtantino datam ſymbolicè refert.

℣. 6. Et exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas, de Templo, veſtiti lino mundo & candido.

Inopinatiſſimam hîc diverſitatem lectionum multi Græci codices, & ex iis non pauci Latini, ſaltem olim habebant : nam tales ſe vidiſſe teſtantur Beda, Haimo, & Ansbertus, dum ſic legunt : *veſtiti lapide mundo, &c.* è Græco nempe contextu, quem ſic Andreas Cretenſis, & nonnulli codices exhibent : ἐνδεδυμένοι λίθον καθαρὸν. Sed tam abſurdus ex lapide veſtitus, mera eſt Amanuenſium hallucinatio, quare cum oſcitans quiſpiam λίθον pro λίνον exſcripſiſſet, aliis deinde pluribus cauſam ſimiliter errandi præbuerit. Prævaluit tamen melior & vera lectio in omnibus jam latinis, & pleriſque græcis : nam collatione Apocalypſis græcæ in Bibliis Regiis Antuerpienſibus cum quatuor optimæ notæ M. S. S. Codd. Romæ facta juſſu Urbani VIII. quàm ex Bibliotheca Barberina edidi ad calcem catenæ ad Marcum ante hos annos decem, cuncta illa quatuor exemplaria ſummo conſenſu λίνον καθαρὸν *linum mundum* exhibuiſſe reperta ſunt. Denotat autem *lini munditia & candor* in veſtitu Miniſtrorum juſtitiæ divinæ, innocentiam & æquitatem perſpectiſſimam irreprehenſibilium Dei judiciorum pœnas in criminoſos decernentium.

Et præcincti circa pectora zonis aureis.

Supra ad verſ. 13. capitis I. oſtendi, *zonam ad mamillas*, aut, quod pro eodem hîc ponitur, *circa pectus* ſignificare regiam poteſtatem. *Auream* autem *zonam* divini habere characterem Numinis ex eo ſcitur, quod aurum in ſacris ſymbolis divinitatis eſt inſigne : unde illud in deſcriptione Chriſti Cant. v. 11. *Caput ejus aurum optimum*, meritò Interpretes referunt ad ejus divinam naturam. Miſſi ergo ad puniendam Romam Imperan-

tem Orbi, per zonas aureas demonſtrant: præditos ſeſe poteſtate ſupra regiam humanam eminente, ac per hoc divina. Nam ut etiam Lyricus agnoſcit.

Regum timendorum in proprios greges:
Reges in ipſos Imperium eſt Iovis (Dei)
Clari giganteo tirumpho;
Cuncta ſupercilio moventis. Ode I. lib. III.

℣. 7. Et unum de quatuor Animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem Phialas plenas iracundiæ Dei viventis in ſæcula ſæculorum.

Juxta ſuperiùs dicta ad verſ. 7. capitis IV. ubi quatuor Animalium primùm fit mentio, iſtud Animal de quo hîc agitur, Petrus eſt Romanus Pontifex, non quatenùs univerſalis Chriſti Vicarius, ſed quatenùs ſpecialis Patriarcha Occidentis, hoc eſt Europæ totius & maximæ partis Africæ: quæ Regiones conflabant Imperium Romanum Occidentale, quod à decem priùs memoratis Barbaris Gentibus diù concuſſum & laceratum, denique in Auguſtulo prorſus concidit; quam cladem illi infligendam ob fuſum injuſtè Chriſtianum ſanguinem hi ſeptem Angeli prænunciant. Quare fuit conveniens *phialas plenas iracundiæ Dei viventis*, ipſis in manus tradi à Petro Romano Pontifice, cujus curæ Patriarchali peculiariter ſubditæ, cunctæ per Europam & Africam erant Eccleſiæ; in quarum perſecutionibus oppreſſarum ultionē ſeptem plagæ totidem his phialis ſignatæ intentabantur. Fuit nimirùm ab Apoſtolicis temporibus θεοχύρωτος (ut ibi diximus) Eccleſia, hoc eſt (ſalvo univerſali Romani Pontificis primatu, & Monarchicâ in omnes prorsùs Eccleſias & Epiſcopos qualeſcumque poteſtate) in quatuor diviſa Patriarchatûs, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hieroſolymitanum; quibus deinde Conſtantinopolitanum accrevit mutilatione Antiocheni. Cum autem in iſtas tunc omnes quatuor Diœceſes diffuſum latiſſimè pateret Romanum Imperium: hæ tamen plagæ noviſſimæ in eam potiſſimùm, & ferè tantùm, partem ejus incubuerunt, quæ Romano Patriarchæ propriè in ſpiritualibus parebat, *Occidentis* nomine. Nam deletâ per Gotthos Roma, & Romano Occidentali Imperio per Auguſtuli exautorationem funditùs deſtructo, Nova & Chriſtiana Roma Conſtantinopolis, & in eâ Romanum Imperium Orientale latè adhuc pollens & inclytum perſtitit. Quin & in Occidente, annis ferè quadringentis poſt Auguſtulum, purgatâ jam plenè omni Romanæ Idololatriæ ac perſecutionis Chriſtianorum labe, reſtitutum ſub Carolo Magno Chriſtianiſſimo Principe in priſtinum ſplendorem Imperium eſt, ut appareat mala prænunciata effuſionibus harum ſeptem Phialarum iræ Dei, ob ſolas Idololatriam, & Tyrannicam Chriſtianiſmi oppreſſionem, in Romam veterem intentari.

℣. 8.

v. 8. Et impletum est Templum fumo à Majestate Dei & de virtute ejus.

Oracula Dei obscura sunt, quoad res per ea prædictæ evenerint: ad id designandum inducitur iste fumus religiosas offundens tenebras, & sacrum quemdam horrorem Divinæ Majestatis incutiens; ut illa nubes Sinai verticem tegens Exod. xxiv. 16. & nebula in dedicatione Templi Salomonici per totam Ædem diffusa, cujus est mentio lib. III. Reg. cap. VIII. & II. Par. cap. v. 14.

Et nemo poterat introire in Templum donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.

Cum dicitur *nemo poterat*, omittitur adverbium *facilè* ex mente Scriptoris hic subintelligendum: vult enim significare; non nisi ægrè, & eluctatis laboriosè obstaculis, licuisse tunc ingredi in Templum. Id verò ex allegoriâ in historiam redditum, indicat: numquam pleniſſimè liberam Christianismi professionem, & usquequaque facilem in Urbe Româ & Italiâ fuisse, quamdiù Romanum Imperium in Occidente perstitit. Etsi enim post Constantinum Imperatores Christiani erant, tamen Senatus in erroribus durabat: nec enim fieri poterat, ut si quis Senatorum Christianus fieret, in illo deinceps statu ac gradu persisteret. Cum legibus antiquis juberetur: initio cujuslibet conventûs, aut functionis Senatoriæ omnes Senatores sacra facere Deo illi cujus in Templo Senatus congregabatur (numquam autem non in aliquo Templo hi cœtus habebantur) prout ex Varrone, Suetonio, & Aulo Gellio Baronius demonstrat Notis ad Martyrol. Rom. die XIX. Augusti. Quæ causa fortasse Tertullianum movit ad scribendum: Impossibile esse Christianum fieri Romanum Imperatorem; quippe cujus vel præcipua esset functio Senatui, cujus erat caput, adesse ac præesse, convenire fermè quotidie solito. Quare Constantinus, ut alibi ex Zosimo indicavi, ea necessitate vitandarum superstitionum lege & usu irrevocabili cum exercitio Imperatoriæ dignitatis Romæ conjunctarum, compulsus est novam Romam merè Christianam condere, atque ibi Senatum à ritibus Idololatricis liberum habere: Senatoribus Ethnicis apud Romam interim prisco ritu suos conventus celebrantibus; imitante in hoc ipsos totâ ferè Urbe: nam scribit alicubi S. Hieronymus, se illic degente (id fuit Imperante Gratiano) nullam Insulam, nullum angiportum Idolorum memoriis vacasse. Itaque suus constabat illic superstitioni non solùm locus, sed etiam honor & autoritas: adeò ut venire contra Christianam rem, & judicium experiri Ethnici auderent, prout apparuit sub Gratiano & Valentiniano Christianissimis Augustis: quando Symmachus Idololatra Præfectus Urbi pro Ara Victoriæ & Vestalium mercedibus ingenti fiducia palàm peroravit: refuta-

tus cumulatè tunc ab Ambroſio viva voce, deinde ſcripto à Prudentio. Non negari autem hîc omnem poteſtatem *introeundi in Templum*: ſed ſolùm, ut dixi, facilem, & quovis impedimento liberam, oſtenditur ex loco ſimili, ad quem hîc ſine dubio alludit; ſic enim legitur III. Reg. VII. 10. *Factum eſt autem cum exiſſent Sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini & non poterant Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini.* Hæc ibi: in quibus verbis τὸ, *non poterant* haud eſſe ſimpliciter accipiendum; ſed intelligi debere, *non niſi ægrè ac difficulter poterant*: patet ex re narrata: nam alioqui eorum operam tot mactandis & offerendis victimis, quot numquam anteà vel poſt uno ſimul die ſunt immolatæ, vel maxima & frequentiſſima eſſe debuit. Siquidem *& Rex & omnis Iſraël* (verba ſunt Scripturæ ibidem verſ. 62.) *cum eo, immolabant victimas coram Dominô* (utique per Sacerdotes conſueto ritu miniſtrantes) *mactavitque Salomon hoſtias pacificas quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia, &c.*

AD CAPUT XVI.

℣. 1. Et audivi vocem magnam de Templo dicentem ſeptem Angelis: Ite & effundite phialas iræ Dei in terram.

℣. 2. Et abiit primus; & effudit phialam ſuam in terram: & factum eſt vulnus ſævum & peſſimum in homines qui habebant characterem Beſtiæ, & in eos qui adorabant imaginem ejus.

VULNUS *ſævum & peſſimum* hîc dicitur quod Hebræi vocant שחין רע *Scechijon rah*: cujus extat comminatio Deut. XXVIII. 36. Et Job eo percuſſus ſcribitur libri ejus II. 7. in univerſum vocabulo שחין *Scechijon* exprimunt Hebræi æſtuoſas intemperies viſcerum in tumores & ulcera foras erumpentes: quo ſub genere cum innumerabiles cenſeantur ſpecies malorum, ſatis convenit, doloris, deformitatis & perniciei principatum ſuper omnes alias ſine controverſia competere ſui quam vocant *inguinariam*, notiſſimo & vulgò formidatiſſimo morbo: quem *Peſtem & peſtilentiam* vocamus, cõmuni malorum exitialium nomine ipſi per antonomaſiã velut proprio aptato. Tubera igitur illa ardentia & lethalia peſte contactorũ, virus ſuum in cuncta cominus contigua, dira expiratione propagantia, uſque interdum ad infectionem aëris & corruptionem tractûs cœli: horrendas populorum ſtrages paſſim edentia, *effuſa in terram*, hoc eſt, Roma-

num Imperium hâc primâ *phiala* dicuntur ad significandas Pestilentias quæ sæpe magnæ ingruerunt in Romanum Orbem, immissæ à Deo ulciscente crudelem iniquitatem persequentium Christianos Cæsarum, à Trajani temporibus usque ad Constantinum. Aliquas hîc memorabo. Primò Imperantibus Marco Aurelio & Lucio Vero, qui fuit tertius principatus post Trajanum, refert Eusebius in Chronico, lue magnâ & Urbem & Provincias fuisse afflictas. Eam Galenus Medicus tunc vivens multis locis operum suorum memorat, maximam & sæviſsimam vocans. cujus etiam metu ipse Urbe Româ, ubi ea grassabatur, desertâ, patriam Pergamum repetiit? Vide Baron. Anno Chr. 170. quanta verò strages morientium ex eâ fuerit, satis inde datur intelligi, quod, ut Capitolinus in M. Aurelii vitâ testatur, deficientibus liberis hominibus, ad Exercitûs necessarios supplendos, servos, gladiatores & latrones, contrà leges Romanas, conscribere in militiam opus fuerit. Eam pestem Babylone ortam, operâ Imperatoris Lucii Veri, cum ingenti comitatu eâ infecto inde in varias regiones & Romam venientis, latissimè fuisse vulgatam, idem modo laudatus Capitolinus tradit. De aliâ sub Commodo tam dirâ, ut in solâ Urbe quotidie morerentur hominum duo millia, extrà verò longè plures, testantur Dio & Herodianus: sed ii non agnoverunt, quod observat Eusebius, eam divinitùs immissam, in ultionem interfecti Apollonii Senatoris, Christianæ Religionis causa. Vide Bar. An. 189. Zosimus Pestis alterius non minoris sub Gallo & Volusiano meminit. item alterius sub Gallieno. Eusebius verò Hist. Eccl. lib. VII. cap. XXI. & XXII. uti & in Chronico, ad an. 2. Impp. Galli & Volusiani, refert immanem luem quæ decennio toto Romanum Orbem sæviſsimè depasta est, ex Æthiopia orta, ut Eutropius & Pomponius lætus tradunt. De eâ videndus Orosius lib. VII. cap. XIV. Agunt de eâ præter memoratum Zosimum, exteri alii Scriptores, ut Trebellius in Gallienis sic scribens: *Nam & pestilentia tanta extiterat, vel Romæ, vel in Achaicis Urbibus, ut uno die quinque millia hominum pari morbo perirent*: Non est omittenda pestis ingens sub Valeriano, memorata in Martyrologio Romano prid. Kal. Martii. cujus in Africâ quoque sævè grassantis occasione S. Cyprianus librum *de mortalitate* vulgavit. Fuit & Pestis sub Flavio Claudio, quâ ille Imperator extinctus est. Hæ omnes, & aliæ fortasse, monumentis quæ nunc extent non expressæ, illius spatii quod à Trajano ad Constantinum excurrit Pestilentiæ, hâc primâ effusâ phialâ propheticè signatæ his verbis per syllepsim collectæ uno *vulneris sævi & pessimi* vocabulo colliguntur, exprimente inguinarios bubones, & tubera ardentia ex bile accensâ, quos Plinius alicubi carbunculos, aliàs furunculos appellat, quæ reddunt suprà memoratum Hebræorum שחין רע *ſcechiſon rah*. ubi nota geminari à Joanne epitheton: dum quod Hebræi semel רע *Rah*, hoc est *malum*, dixerunt, ipse vocat *sævum & pessimum*: ea opinor de causâ, quòd Idololatris cum semel per mortem corporis in summo dolore obitam, *sævum* esset, iterùm erat *pessimum* per mortem secundam impœnitentis

Animæ sempiternis Tartari suppliciis statim addictæ. de quâ morte Ps. XXXIII. 22. dicitur, *mors Peccatorum pessima.*

℣. 3. Et secundus Angelus effudit Phialam suam in mare.

Mare in hâc Prophetiâ, ut sæpe ac manifestè ostendimus superiùs, Urbem Romam designat.

Et factus est sanguis tamquam mortui.

Quod egressum est è phialâ fuit liquor similis cruori ex corpore morientis ob vulnera hominis mananti. aptum id symbolum ad indicandam licentiam & frequentiam cædium Romæ factarum, quibus Senatores & Magistratus supremi omnesque passim cives pœnas cumulatissimas dederunt, immanis ac stygii furoris quo Christianorum sanguinem per ludibrium depoposcerant, & fusum per exquisitissima tormenta crudelissimâ voluptate in Amphitheatris & Circis spectaverant.

Et omnis anima vivens mortua est in mari.

Hæc non significant omnes prorsus ad unum homines qui Romæ fuerunt occisos esse istis, quas mox referemus, aut bellicis grassationibus, aut tyrannicis proscriptionibus. talem enim significatum, ut rei veritas, ita & symboli ratio respuit. In mari siquidem cum urbe populosissimâ comparato duo considerantur: aquæ copia, multitudinem promiscuæ Plebis indicans, & pisces aut animantes in aquâ viventes, quæ hîc denotantur mentione *animæ viventis.* quæ, si ex allegoriâ in Historiam procedatur, significant Personas illustres nobilitate, opibus, Magistratu, aut claritate aliâ. Hi enim hominum humilis fortunæ obsequiis utuntur, ut pisces aquâ maris. Istius autem Ordinis omnia genera cædibus cruentissimis deformata Romæ fuisse, ex quo ibi fundi Christianus sanguis ceptus est, hic locus indicat: cui lucem & fidem ex Historiarum monumentis afferre ac conciliare promptum est. Constat carnificinam Christianorum Romæ primùm exercitam sub Nerone. Nam idem ille Gladius, qui cum Urbis applausu odio phanatico in Christum instinctæ, in Innocentes veræ Religionis cultores districtus fuerat, statim in Urbis ac Senatus jugulum rediit, testis Tacitus Annal xv. & Suetonius in Neronis vitâ: cujus libri præter sparsa universo fermè opere vestigia crudelitatis, septem tota capita, à XXXII. ad undequadragesimum, parricidia Neronis & tragicæ cædes implent. ubi, & à Tacito, quæ referuntur non sine horrore legenda, abundè vel sola esse possent ad fidem hujus Prophetiæ sanciendam; Nam verè tunc tota Urbs Roma sanguine inundata est. Cæterum longè latiùs pertinet hujus vaticinii significatio, quia enim symbolo *Animæ viventis in mari*, Personas insignes potestate præ-

sertim publicâ, & Magistratu, designari diximus, quo in ordine primus locum Imperatores obtinent, ad rem vel maximè facit, quod multorum Principum suorum cæde cruentata Roma est. Ac primò quidem Neronis ipsius: qui desertus ab omnibus: hostis judicatus à Senatu; & quæsitus ad supplicium, frustrà imploratâ ope alicujus qui eum mori cupientem occideret, sibi ipsi pugionem in jugulum adegit. vide Suet. cap. XLIX. Brevi hunc secutus est Sergius Galba successor ejus, trucidatus meridie in medio Romano Foro, cum Pisone in Imperium designato, Imperii sui mense septimo, ut narrat idem Suet. hujus Vitæ cap. XIX. & XX. Otho, à quo Equites immissi Galbam occiderant, Imperii sic parti die quinto & nonagesimo, acie victus apud Bebriacum semetipsum interemit. Quod si ad rem quam hîc agimus non facit, quoniam id procul ab Urbe contigit: facit certè vel in primis seditio ingens Prætorianorum Romæ vivo adhuc Othone Senatum universum ad cædem deposcentium. de quâ vide Tacitum Hist. lib. I. Facit iterùm crudelitas Vitellii qui Othoni successit, per omnia mox genera hominum Romæ licentissimè vagata: cujus horribilia exempla compendio perstrinxit Suetonius cap. XIV. libri de ejus vitâ. Faciunt cruentissima prælia paucis post mensibus in ipsâ Urbe mediâ pugnata, vicis ac Templis omnibus civili sanguine restagnantibus, quarum Tragoediarum scenas varias & horrendas catastrophas spectare licet apud Cornel. Tacitum Hist. lib. III. ubi & ipsius Augusti Vitellii crudelissimam & ignominiosissimam necem refert: Tum initio libri IV. sic subjungit: *Interfecto vitellio bellum magis desierat, quàm Pax ceperat. Armati per Urbem victores implacabili odio victos insectabantur. plenæ cædibus viæ, cruenta Fora Templaque, passim trucidatis, ut quemque sors obtulerat; ac mox augescente licentiâ, scrutari aut protrahere abditos* &c. Modica inde quies à cædibus fuit per satis pacatos Principatus Vespasiani ac Titi. post quos Domitianus liberas imperii habenas nactus Neronianas Tragœdias Romæ renovavit, de quibus fusè agunt Suetonius, Tacitus, Dio, & passim alii. ad extremum & ipse trucidatus in Palatio & cubiculo suo. Vide Suet. ejus vitæ cap. XVI. & XVII.

Reddita post Domitiani necem Ecclesiæ pax per Nervam successorem ejus, citò abolita per Trajanum est. à quo sæva & pertinax Christianorum vexatio cepta, per quatuor Principatus, Trajani, Hadriani, Antonini, & M. Aurelii, vicibus variis continuata est. Tunc tandem Christianorum sanguinem suo Roma proprio luit largissimè; immissâ divinitùs cruentâ in ipsam beluâ, Commodo videlicet Imperatore, qui per annos tredecim sævissimam omnis Ordinis hominum carnificinam exercuit, cujus historia non sine horrore legitur apud Herodianum & Dionem. Nos ex Lampridio præsertim, quæ ad Prophetiæ quam tractamus eventum declarandum faciunt paucis delibabimus. Ait is, primò: Commodum ludi & relaxationis gratiâ cædes mutilationesque passim solitum facere. Ita enim quotidie cum Gladiatoribus decertans, ipsos totâ vi repugnare non audentes, occidebat. eoque nomine gloriabatur, non minùs mille à se fuisse interfectos va-

riis pugnis. Greges erant numerosi hominum quibus ille alterum oculum eruerat, aut pedem alterum truncaverat: quos Monopodios & Luscinios suos jocans vocitabat. Debiles pedibus aut simili vitio deformes scopos sagittariis præfigebat. clavâ, quam ad æmulationem Herculis crebrò gestabat, obvios plurimos mactabat. pinguem hominem medio ventre cachinnans dissecuit, multos forte occurentes occidit, alios quod indecenter vestiti apparerent: alios quia nobiles, aut speciosi erant. Si quem audiret mori se velle dicentem, præcipitari jubebat. Ait secundò: Eumdem maximè irritabilem, leviſſimos quasque offensiunculas nece præsenti & sævâ ulcisci consueviſſe. Balneatorem quòd tepidiùs quàm vellet balneum dederat, conjici in fornacem jussit: cum passim ridicula multa faceret, si quos ea cernentes ridere videret, objiciebat feris. Ob tantam immanitatem infensus ei Senatus universus conspiravit in ejus necem; quàm cum inferre ipsi Claudius Pompeianus sororis ejus maritus aggressus, strictâ sicâ proclamasset: hunc tibi pugionem Senatus mittit; in illo conatu est oppressus. ex quo deinde exitiali in Senatum odio ardens Commodus, nullum finem fecit interficiendorum Senatorum; ne Magistratibus quidem supremis abstinens, puta Consulibus; quos statim ab initâ potestate sæpe ad pœnam trahi jubebat. adeò ut quodam anno contigerit viginti quinque Consules sibi continuè succedere, alio subinde atque alio mactato. Præfectos quoque Prætorii, quæ ampliſſima tunc post Imperatoriam erat dignitas, ab uno, & in vitam, obtineri solita, innumerabiles ipse creavit & perdidit; tantâ levitate, ut quemdam non nisi per horas sex eâ frui sineret, alium per dies quinque. Denique nec intimis consanguineis pepercit, Lucillæ sororis interfector: nec deliciis suis, multarum è suis Pellicibus & olim cariſſimarum carnifex.

Tertiò docet idem Autor: Commodum armasse potentiâ suâ totâ homines crudeliſſimos. nempe primò Perennem, quem Herodianus vocat Perennium, deinde Clearchum, qui vacante libidinibus Principe, ipsi in omnes Ordines immani feritate per cædes & proscriptiones grassabantur: donec ipsos, evigilans quasi per lucida intervalla, Imperator occidebat, non solos: sed unà cum ipsorum Domesticis, Amicis, Clientibus ingenti numero.

In his omnibus vel maximè mirabile est tam sanguinarium hominem, aut potiùs feram belluam, initio Principatûs sui persecutionem in Christianos cessare jussisse: & iis toto Imperii sui tempore tranquillitatem maximam præstitisse: atque hoc cum Gentilium Deos irrideret, & omnia eorum Templa stupris & humano sanguine, in summi contemptus significationem, passim pollueret, atq; in Ædituos aut sacrificulos ipsorum variè sæviret. Dio causam inquirens rei tam inopinatæ, eam imputat Martiæ primariæ Pellicum Commodi, quam propè justæ uxoris loco constantiſſimè amavit: quæque illi superstes fuit. Hanc quòd studioſiſſima Christianorum esset, existimat Dio dediſſe operam sedulam avertendæ ab iis iræ Commodi.

sed satius multò est agnoscere in hoc cum Scriptoribus passim nostris, manifestum Dei numen, pœnas ab Idololatrâ & infestâ Christianis Româ repetentis, implendo quod prophetari hoc loco à Joanne voluerat.

Neque tamen tota hujus Vaticini prædictio in Commodi Principatu est exhausta. Eò enim accumulanda insuper venit I. Commodi ejusdem tragica cædes conspiratione Martiæ, Lœti & Electi cubiculariorum ejus facta II. Pertinacis qui Commodo in Imperio successit crudelis, seditione Militum, trucidatio post menses Imperii duos & dies viginti quinque. III. Didii Juliani subrogati Pertinaci obtruncatio post duos item Imperii menses. de quibus vide Herodianum, & Julium Capitolinum in Pertinace & Didio Juliano. IV. Severi, qui post Pertinacem viginti annis Imperium tenuit, perpetuum nec incruentum odium in Senatum. quo instinctus memoriam Commodi Senatoribus exosissimam consecrare studuit: præterea Plautiani & illius Amicorum cædes, detectâ ejus conjuratione. V. Antonini Caracallæ sævissimus item in Ethnicos, Christianis verò pacatissimus Principatus. fermè similis Commodiano, nisi quod barbarâ immanitate aliquantò atrocior Commodo Antoninus Caracalla visus est. quippe qui Patrem palàm occidere conatus, cum perficere nequivisset, Medicis imperavit ut eum ægrotantem veneno clàm dato extinguerent: & de ipsis in hoc sibi exequi recusantibus, supplicium sumpsit, & Getam fratrem Germanum suum atque in Imperio collegam in Matris communis gremio manu propria confodit; omniumque fautorum ejus, numero viginti millium, carnificinam mox horrendam edidit: interempto etiam Papiniano Jurisconsulto celeberrimo, quòd is nollet affirmare cædem Getæ justam & legitimè patratam sibi videri. En quibus Monstris usa sit Justitia Divina, prout erat hîc prædictum, ad puniendam rebellem Christo Mundi Domino Romam. ut quæ mitissimo Filii Dei jugo superbam cervicem inflectere recusaret, amentium atque arreptitiorum Tyrannorum insanas furias cogeretur suo ac suorum sanguine pascere. VI. Denique ad *cruorem*, hic memoratum *maris*, hoc est cædes intra Urbem Romam factas, post Caracallam usque ad Honorium, sub quo primum Roma à Barbaris capta est: imò usque ad Augustulum, in quo Romanum Occidentale Imperium definit: quem ad terminum hæc Prophetia protenditur: Pertinent Heliogabali, vel ut alii appellant, Elagabali, Imperatoris mors, de quâ hæc sunt verba Lampridii in ejus vitâ: *Occisus est per Scurras, & per plateas tractus est sordidissimè, per cloacas ductus, & in Tiberim submissus est.* Pertinent, Maximini absentis Principatu cædes in Urbe factæ per Sabinum Præfectum Urbi, & Vitalianũ Præfectũ Prætorio, ex Herodiano lib. VII. Pertinet & seditio Romæ mota quâ iidem Sabinus & Vitalianus aliiq; Maximini fautores trucidati sunt. Pertinet etiam atrox tunc cõmissa pugna Romani Populi contra Prætorianos: per quam ingenti editâ strage, Urbs ipsa tetro incendio deformata est. eodem Herodiano narrante loco nuper citato. Pertinent quoque cædes Augustorum Pupieni & Balbini post biennium Imperii, militari seditione Romæ

interemptorum, ex Herodiano supra, & Capitolino in Gordiano Tertio: & in vitâ eorumdem Maximi Pupieni, & Clodii Balbini. Pertinet tandem cædes Philippi Junioris Augusti Romæ patrata, eodem tempore quo Pater ejus Philippus senior Augustus, Veronæ occisus est. Autores Cassiodorus, Orosius, &c. Similia non pauca prætereo, ubi unum Maxentianæ crudelitatis specimen hic ex Eusebio posuero. Hæc ejus verba sunt lib. 1. de vitâ Constantini cap. xxxv. *Eum igitur* (Maxentium) *ad ejusmodi facinora cum omni audacia prorumpentem, cuncti reformidantes, tam Plebei quàm Magistratus, tam nobiles, quàm obscuri, gravissimâ tyrannide opprimebantur. Ac tametsi quietè agerent, & acerbissimam servitutem patienter tolerarent, nec sic tamen vitare poterant cruentum tyranni atrocitatem. Denique quadam die leviſſimam ob causam, Populum Romanum Prætorianis Militibus obtruncandum dedit. Atque ita innumerabilis multitudo Populi Romani, non Scytharum ac Barbarorum, sed civium suorum hastis armisque in mediâ Urbe trucidata est. Quantæ porrò Senatorum cædes factæ sint, ut in bona uniuscujusque eorum invaderetur, numerari nullo modo potest: cum quotidie plurimi confictis variis criminibus interficeretur.* Hactenus Eusebius. Hæc tam multa & varia in unum congerens, prænunciat, expressum verbis propositis vaticinium; *missam in mare* secundam *phialam*, *factum* ibi *sanguinem tamquam mortui*: & *omnem animam viventem in mari mortuam*, dicens aggregandis præterea in totam ejus significatûs latitudinem, cædibus Romæ factis in tot variis Urbis Romanæ direptionibus per Alaricum Gotthum, Genſericum Vvandalum, Odoacrem Erulum, Theodoricum & Totilam Gotthos, &c.

℣. 4. Et tertius Angelus effudit Phialam suam super flumina & super fontes aquarum, & factus est sanguis.

Vox *Angelus* hîc in Latinis non comparet; tamen in Græcis extat; & alioqui opportuna est. Unde non est inversimile à Vulgato primùm positam, vitio posteà Librariorum excidisse.

Ut mare significat Urbem Romam: ita *flumina & fontes aquarum* designant Provincias oppida & Pagos Imperii Romani: ex quibus assiduè undique Romam, velut ad centrum Imperii, tum hominum ingens multitudo, tum omnium bonorum affluebat copia: quemadmodum fluminum & fontium aquæ indefinente fluxu mare augent. Prædicuntur ergo hîc cruenta bella, seditiones, cædes, ac strages edendæ per Provincias Romano Imperio subjectas, in ultionem necis Christianorum. Hæ minæ deduci in rem ceperunt statim à primâ Neronis persecutione: post quam illicò crudeliùs exarsit Iudaicum bellum, Romanis etiam funestum; exarserunt bella Civilia, in Galliis, rebellante Vindice, in Hispaniâ, Galbâ. Non multò post secutum Bebriacense prælium Vitellianorum cum Othone, illis victoribus, hoc seipsum occidente, aliáque ingentia Provinciarum mala; ut

Campaniæ

Campaniæ ſub Tito, per Veſuvianum incendium quo plurimi ſunt mortales abſumpti: ſub Domitiano clade Romani exercitûs à Marcomannis accepta; ſub Trajano & Hadriano continuis per Provincias bellis, præſertim Iudaico cruentiſſimo etiam Romanis: & terræ motu quo innumerabiles per Aſiam homines oppreſſi, Trajano ipſo in ſummum inde Antiochiæ periculum adducto. Antoninorum quoque ac M. Aurelii Principatus nec paucis nec parvis Provinciarum fuere cladibus funeſti, Germaniæ præſertim in qua xx. millia Romanorum uno die cæſa ſunt ſub M. Aurelio, ex Luciano in Pſeudom. Quamquam hæc ludus fuere præ atrocibus & cruentiſſimis bellis civilibus pugnatis, à Severo in Oriente contra Peſcennium Nigrum; in Galliis contra Clodium Albinum: quos ambos Severus ærumnoſis & longis expeditionibus, cruentiſſimiſque præliis victos interemit: cumulatâ in cladem vaſtatione opulentiſſimarum Regionum, direptione atque incendio nobiliſſimarum Urbium. Referenda eodem eſt Alexandrinorum cædes ab Antonino Caracallâ, immiſſis improviſò militibus facta: ſeditiones in Caracallam, Macrinum, Diadumenum Auguſtos nece ipſorum cruentatas in Oriente. Item in Alexandrum Mammeæ filium in Galliâ occiſum. Oppreſſio duorum Gordianorum Auguſtorum in Africâ per Capellianum Mauritaniæ Præfectum, & Tertii Gordiani item Auguſti in Aſiâ per Philippum Arabem. Maximini quoque cum filio Auguſtis apud Aquilejam: Philippi ipſius Auguſti apud Veronam. Clades accepta à Decio Imperatore contra Gotthos in Mœſiâ pugnante, proditione Triboniani Galli. Quando ipſe Decius cum filio periit, qui ei ſucceſſit Gallus adſcito in collegam Voluſiano filio, cum eo Interamnæ occiſus, anno Imperii tertio. Spectat hùc vel maximè clades Valeriani Auguſti à Perſis accepta, proditione cujuſdam ſuorum ducum quâ ipſe Imperator à Sapore Perſarum Rege diu ludibrio habitus tandem juſſu ejus vivus eſt excoriatus. Maximè autem Romani Orbis Provinciæ cruore redundarunt ſub infeliciſſimo Principatu Gallieni: quando variis locis triginta Tyranni inſurrexerunt, omnes variè occiſi, bellis interim inteſtinis miſeras Gentes depaſcentibus: Tandem ipſe Gallienus cum fratre Imperii Collega Mediolani obtruncatus eſt inſidiis Flavii Claudii ſucceſſoris ejus: cujus Principatus barbaricis bellis adeo fuit cruentus, ut in quadam ipſe Epiſtolâ, quam Trebellius recitat, glorietur, ſe trecenta viginti Gotthorum millia occidiſſe, Naves bis millies demerſiſſe. quo fere poſt ſeſquiannum peſte extincto, Quintillus frater ejus Imperium arripiens, poſt dies ſexdecim à militibus occiſus eſt. Aureliani quoque Principatus, Zenobiâ Palmyrenorum Reginâ, Orientale Imperium ab Odenato viro ſuo occupatum, poſt viri mortem fortiſſimè obtinente, luctuoſiſſimo Aſiæ bello cruentum habuit initium; nec diſſimilem finem ipſo Aureliano fraude ſuorum occiſo Cænophrurii, qui locus eſt inter Byzantium & Heracleam. Autor Vopiſcus in Aureliano & Tacito. Tacitus medio interregno ſex Menſium Auguſtus declaratus, ſexto Imperii menſe apud Pontum in expeditione Mœoticâ *interemptus eſt inſidiis militaribus* (verba

ſunt Vopiſci) poſt quem Florianus ejus frater occupatum Imperium *vix duobus menſibus tenuit* (ait idem Vopiſcus) *occiſus Tarſi à Militibus*, duas hîc vides Provincias Pontum & Ciliciam Auguſtorum cædibus uno anno cruentatas. Probi deinde quadrienni Principatu cunctæ ferè Orbis Romani, quàm late illo tempore patebat, Provinciæ cruore ſtagnarunt. Primò *Galliæ omnes* (eodem Vopiſco teſte) *occiſo Poſthumio turbatæ fuerant, interfecto Aureliano à Germanis poſſeſſæ.* Eò cum exercitu Probus accurrens, quantum fuderit ſanguinis docet ipſe ſic inde ad Senatum ſcribens: *Quadringenta millia hoſtium cæſa ſunt, ſeptuaginta Urbes nobiliſſimæ captivitate vindicatæ*, &c. Nec tamen idem reprimere potuit incurſiones Francorum, quos à Ponto uſque correptis Navibus, Græciam Aſiamque populatos, & pleriſque Africæ littoribus appulſos, cepiſſe Syracuſas, & inde victores Oceanum intraſſe, docet Autor Panegyrici Maximiano dicti. Sed & ad extremum Probus ipſe Imperator in Illyrico ſuorum militum *inſidiis intereruptus* eſt. Narrat Vopiſcus in Probo. Similia non longo intervallo paſſus eſt Numerianus Auguſtus, interfectus in Oriente à Romani exercitus Duce, cui nomen Apro fuit. Carinus inde contrà Diocletianum multis præliis variè pugnatis, ultimò apud Murgum in Mœſiâ, proditione unius à ſuis Tribunis occubuit. Diocletiani & Maximiani Principatus cruentiſſimus fuit per omnes Imperii Romani Provincias bellis atrociſſimis & perpetuis. Nam eodem tempore Narſes Perſarum Rex imminebat Orienti: & Achilleus Tyrannus in Ægypto purpuram ſumpſerat: & Quinquegentiani Barbari Africam vaſtabant: & Ruſtici, Baſcaudæ dicti, tumultuabantur in Galliis, & Carauſius Britanniam invaſerat, ubi non niſi poſt ſeptem belli annos ab Alecto ſocio interfectus eſt: qui & ipſe Alectus ab Aſclepiodoto Præfecto Prætorio poſt triennium eſt oppreſſus. Cumulanda eodem ſunt, bella Civilia inter Conſtantinum & Maximianum ſeniorem qui ſuſpendio Maſſiliæ periit: inter Conſtantinum & Maxentium tot per Italiam cladibus funeſtum, vincentibus obvia quæque, dum Romam per Italiam feſtinant; Conſtantinianis, & extrà Romam ad Pontem Milvium tantam Maxentianorum ſtragem edentibus, ut horum cadaveribus oppleretur alveus Tiberis, in quo ipſe Maxentius demerſus periit: bello rursùs Conſtantini ejuſdem contra Licinium in Oriente diuturno, & hujus captivitate terminato; quam mors eſt brevi ſecuta, vide dicta ſuperiùs.

Deinceps exiſtimare quis poſſet, cruorem multum plurimis externis Civilibuſque bellis per Romani Orbis Provincias fuſum ad hujus vaticinii eventum non pertinere; quoniam tunc Imperatores Chriſtiani fuerint. Sed res haud ita ſe habet, pœna enim in Romam, impiæ in Chriſtianos crudelitatis annis plus ducentis continuatæ ream decreta divinitùs, uſque ad ultimam & Imperii Romani Occidentalis deſitionem in Auguſtulo, & uſque ad ſupremum Urbis ipſius excidium per Totilam, hâc Prophetiâ prædicta, protenditur. Cujus divini Decreti æquitatem & exemplo, & ratione ſic obiter oſtendo. Addiderat Manaſſes Rex Juda ſceleratiſſimis actis ulti-

mum cumulum peccatis Regum ſtirpis Davidicæ Judæorum. Ergo etſi poſt ipſum nepos ejus Joſias ſanctiſſimè ac religioſiſſimè vixiſſet, rexiſſetque: tamen adeò revocata non eſt Dei ſemel lata ſententia in Rempublicam Judaicam exterminio ultimo captivitatis & exilii Babylonici damnatam, ut ea calamitas & Joſiæ ipſius cæde ceperit, & ſub hujus filiis Jechoniâ & Sedeciâ conſummata fuerit. Audi ſacram Scripturam id clarè profitentem IV. Reg. XXIII. 25. ubi cum de Joſiâ dixiſſet: *Similis illi non fuit ante eum Rex qui reverteretur ad Dominum in toto corde ſuo: in totâ animâ ſuâ, & in universâ virtute ſuâ, juxtà omnem legem Moyſi*: ſtatim addit: *verumtamen non eſt averſus Dominus ab irâ furoris ſui magni, quo iratus eſt furor ejus contrà Judam: propter irritationes quibus provocaverat eum Manaſſes. Dixit itaque Dominus: Etiam Judam auferam à facie meâ, ſicut abſtuli Iſraël: & projiciam civitatem hanc quam elegi Hieruſalem & domum de quâ dixi: erit nomen meum ibi.* Similiter hîc prudens piuſque rerum æſtimator cenſebit de Româ, cui avertere pœnas promeritas ob noxas ſub Neronibus, Deciis, Diocletianis contractas fundendo Chriſtianorum ſanguine: non valuit Conſtantinorum & Theodoſiorum Religio & ſanctitas. Chriſtianæ tamen rei ſatis in hoc quoque conſultum eſt, ſuccenturiatâ in locum Romæ veteris Idololatræ, Româ novâ Chriſtianâ, Urbe videlicet Conſtantinopoli, ubi poſt everſam & Imperio exutam Romam, totis mille annis ſub Conſtantini Succeſſoribus vigens florenſque ſatis ſe ſplendide Romanum Imperium monſtravit; quin Occidentale Romanum Imperium quarto ex quo deſierat, ſæculo, à Chriſtianiſſimo Carolo magno reſtitutum in antiquam Majeſtatem eſt; & in hunc uſque permanet diem, etiam Conſtantiniano ſuperſtes, ſemper integrè Chriſtianum, nullâ Idolomaniæ mixturâ; quale ſub Chriſtianis Conſtantini Succeſſoribus (excepto uno Juliano) in Italiâ regnantibus uſque perſeveravit: magnâ ſemper Romani Senatus & Civium parte ſub Valentiniano, Honorio, & reliquis Chriſtianis Auguſtis, avitos mordicùs errores tenentibus. Non dubitans igitur quin ad poſtConſtantiana quoque tempora extendatur hujus ſignificatus Vaticinii, ad in eo prædictam cruentationem Romanorum Provinciarum confero innumerabiles irruptiones in eas factas plurium Barbararum Gentium, præliaque ac clades mutuas, repellere ipſas conantium Auguſtorum. Quin & bella inter hos civilia, puta Conſtantii contra Magnentium, Maximi contra Gratianum & Valentinianum Juniorem, Theodoſii contra Maximum & Eugenium; quæ ſi quis omnia ex variâ memoriâ in unum congeſſerit, fatebitur profecto ſuam manifeſtè conſtitiſſe in eventibus rerum huic Prophetiæ veritatem, prænuncianti futurum, ut extra Urbem Romam Gentes ac Regiones ejus Imperio ſubjectæ ſanguine hoſtiliter fuſo frequentiſſime redundarent, toto ſpatio quod à primâ Neronis perſecutione patet, uſque ad exautoratum ab Odoacre Auguſtulum, ac per hoc Romam veterem ex Imperatrice Orbis terrarum, in ſervientium ordinem redactam.

℣. 5. Et audivi Angelum aquarum dicentem: juſtus es Domine qui es & qui eras Sanctus, qui hæc judicaſti.

℣. 6. Quia ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere: digni enim ſunt.

Aquas hîc conjungit, de quibus ſeparatim egit priùs, mentione diſtinctâ Maris & Fluminum, Urbem & Provincias indicans, ex quibus junctis unum Imperium conflabatur peculiari curæ unius Angeli commendatum, juxta morem Divinæ Providentiæ, cujus teſtimonium extat in libro Danielis. *Angelus aquarum* ergo hîc intelligendus eſt tutelaris Genius Imperii Romani, Sanctus Angelus iſti divinitùs curationi Præfectus: qui Dei juſtitiam in cladibus per eam in Romanos, tam in Urbe, quam in Provinciis degentes immiſſis collaudat: ex eo quod qui ſanguinem impiè atque injuſtè innoxium fuderant, digni erant qui & ſuum gladiis, exterorum Hoſtium hauſtum fundarent, aut in eos ipſi abripi furores ſinerentur, per quos mutuò ſuum invicem ſitirent haurirentque: quod in illis quæ memoravimus bellis, ſeditionibus, tyrannicis graſſationibus factum eſt. More autem uſitatiſſimo loquendi, qui ultionem crudeliter exercent, dicuntur cruore paſci.

℣. 7. Et audivi alterum Angelum ab altari dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens, vera & juſta judicia tua.

Ut Imperio Romano curando moderandoque præfectus à Deo is de quo diximus Angelus erat: ita Eccleſiæ Chriſtianæ per totum Orbem Romanum ſparſæ ſanctus Archangelus Michaël præpoſitus, ſingulari attentione præſidebat. Hic *ab altari* loqui dicitur; quaſi potiſſimùm, ut par eſt, curans res & loca ſacra; ibique reſidens. Comprobat autem is quoque æquitatem judiciorum Dei. Iam verò & illud reputandum eſt: non tantùm indicari, cœleſtes illos ſpiritus hos qui exprimuntur hîc ſenſus apud ſe habuiſſe: ſed etiam ingeneraſſe ſuggerendo in animis eorum quos curabant; ita ut multi inter Principes & Proceres Romanæ Reipublicæ, agente id clam S. Angelo; ei Reipubicæ invigilante, agnoſcerent & faterentur, ſe meritò tot malis plecti, propter injuſtè vexatos Chriſtianos: & multò magis id clariſſimè ſentirent ac palàm profiterentur Chriſtiani: Sancto univerſalis Eccleſiæ Archangelo cuſtode tales ipſis ſenſus inſpirante.

℣. 8. Et quartus Angelus effudit Phialam ſuam in ſolem.

Sol tempeſtatibus quæ temperant annum, & generationi frugum alimentis hominum ſervientium, præeſt. Ergo ex ejus nimio æſtu ſiccitates oriuntur ſterilitatum cauſæ. Hujus autem æſtûs immodici noxius effectus in eo

præcipuè ſentitur ; quod is vapores ex aquis & terrâ exhalatos abſumit, non ſinens eos concreſcere in nubes & reſolvi in pluvias fœcundaturas arva: quarum defectu intercipitur ortus herbarum & fructuum quibus homines & animalia veſcuntur : unde addit ſacer Vates :

Et datum eſt illi æſtu affligere homines.

Phiala ergo iſta in ſolem effuſa, quâ is calore immoderato accenſus exarſit portendit fames è ſterilitate agrorum in Orbe Romano ſecuturas poſt Domitianum uſque ad ante captam Romam ſub Honorio, & ante deſtructum Imperium in Auguſtulo. Vulgatum eſt ſermone omnium, calorem innatum depaſci aſſiduè humidum radicale, unde quotidiana homines & animantes neceſſitas ſubigit ſuggerendi per alimenta pabuli ſemper ardenti flammæ iſti ; ne aliud non habens quod conſumat, in vitalia ipſa & viſcera propria vim convertat ſuam. *Æſtus* igitur *affligens homines*, cujus hîc mentio, famem indicat, idcirco, ut ſuperiùs oſtendimus ad verſ. 5. cap. VI. nigro colore pingi ſolitam, quòd is color ſit proprius rerum igne aduſtarum. jam quod hîc prædicatur, abundè impletum docet Hiſtoria, dum meminit famis ingentis Imperante Commodo, circiter annum Chriſti 190. de quâ Herodianus lib. ubi poſtquam de peſte tunc graſſatâ, cujus ſuprà meminimus, multa dixit : *Sed & fames eodem tempore civitatem oppreſſerat.* A Commodo uſque ad Galli & Voluſiani principatum per ſeſquiſæculum multas extitiſſe in Romano Imperio fames, docet S. Cyprianus, anno tertio iſtorum Imperatorum contrà Demetrianum ſcribens : locum opportuniori poſtea loco deſcribam. Dionyſius etiam Alexandrinus qui ſub Gallo item & Voluſiano floruit, ab Euſebio relatus Hiſt. Eccl. lib. VII. cap. XVII. de fame Romanum Imperium vexante teſtimonium dicit. Maxentio quoque Romæ dominante tanta fuit caritas annonæ ὥσπερ τῶν ἀναγκαίων τροφῶν ἐν ἐχάτῃ σπάνει καὶ ἀπορίᾳ καταστῆναι ὅσην ἐπὶ Ρώμης ἑτέροτέ ποτε οἱ καθ' ἡμᾶς γενέσθαι μνημονεύουσιν, verba ſunt Euſebii lib. I. de vita Conſtantini cap. XXXVI. quæ ſic latinè ſonant : *Adeò ut ad extremam neceſſariorum alimentorum raritatem & inopiam Urbis incolæ redigerentur, qualem antea Romæ umquam fuiſſe nullus hominum tunc viventium meminerat*, Sub Maximino in primis notabilis fames fuit ut docet idem Euſebius Eccl. Hiſt. lib. IX. c. VIII. de qua quia manifeſtiſſimè immiſſa divinitùs apparuit in ultionem perſecutionis ab illo Tyranno motæ, peculiari propterea nomine ad hunc locum ſpectans, paulò fuſiùs hîc agi convenit. Deſcripſerat capite præcedenti Euſebius edictum Maximini in Tabula ænea Tyri publicè expoſitum contra Religionem Chriſtianam. ubi inter alia hæc legebantur : *Quis enim tam demens, tamque omnis ſenſus expers reperiri poteſt, qui non intelligat, propitiâ Deorum in nos benevolentiâ fieri, quod nec terra credita ſibi abnegat ſemina, ſpem Agricolarum vanâ expectatione deludens*, &c. ſubdit Euſebius : *Deus, qui Eccleſiæ ſuæ ſemper auxiliatur, inſolentem adverſum nos Tyranni ſuperbiam tamquam, injecto in os fræno comprimens, Cœleſtis*

suæ potentiæ nobis opitulantis præsentiam declaravit. Nam imbres quidem ac pluviæ hiberno tempore abundantiùs cadere præter solitum desierunt, & insperata contigit fames ... adeo ut unus fumenti medimnus mille & quingentis Atticis Drachmis venumdaretur. Et innumeri, quidem in Urbibus, plures vero in Agris & vicis passim interibant: in tantum ut censuales Tabulæ olim ingenti Rusticorum numero repletæ, una propè liturâ deletæ fuerint, omnibus ferè aut victûs inopiâ, aut pestilenti morbo simul absumptis. Quidam pro exiguo admodum cibo carissima pignora locupletioribus vendere non dubitabant. Alii distractis paulatim prædiis ac facultatibus suis ad extremam inopiam redacti sunt; nec defuere qui modica fœni segmenta avulsa mandentes, & noxiis quibusdam absque ullo discrimine pasti graminibus, quibus valetudo corporis corrumpebatur, fœdè interirent. Sed & mulieres inter suos non ignobiles, præ summâ egestate ad inverecundam compulsæ necessitatem, mendicandi causa in forum ventitabant, quarum verecundia in vultu, & in amictu modestia olim ipsas liberaliter educatas fuisse satis indicabat. Et nonnulli quidem aridi, ut umbras mortuorum diceres, deficientibus viribus hùc illùc nutabundi ac cespitantes, cum præ imbecillitate consistere non possent, in mediis plateis corruebant: pronique humi jacentes toto corpore expanso, modicum panis frustum sibi porrigi flagitabant: cumque extremum penè spiritum ducerent, laborare se inediâ vociferabantur; ad hanc solùm acerbissimam vocem proferendam satis validi ... Itaque in medio foro per vicos & angiportus nuda atque insepulta cadavera pluribus diebus jacentia, prorsus miserabile spectaculum intuentibus præbebant: quædam etiam à canibus dilacerata, &c. Hujusmodi præmium fuit superbissimæ illius Maximini jactantiæ. Quo quidem tempore Christianorum erga omnes sedulitas ac pietas manifestissimo indicio universim Gentibus innotuit. Quippe hi soli in tot ac tantis calamitatibus, misericordiæ atque humanitatis officia rebus ipsis exhibentes, quotidiè, partim curandis ac sepeliendis mortuorum cadaveribus vacabant (moriebantur autem in dies innumeri, quorum nemo curam gerebat) partim omnibus totâ urbe egenis qui fame opprimebantur, in unum convocatis, panes singulis dividebant: adeo ut cum ejus rei fama celebris hominum sermonibus divulgaretur, cuncti Christianorum Deum summis laudibus extollerent, eosque solos pios Dei cultores reipsa & factis comprobatos esse faterentur. Hactenus Eusebius. Ingentis post hanc famis per Romani Orbis Provincias atrociſſimè grassatæ meminerunt Gregorii duo Nazianzenus & Nyssenus, uterque in laudatione Basilii magni. Alia item anno Christi 370. sæviit fames memorata à Socrate lib. IV. cap. XII. cujus etiam mentionem facit Hieronymus in Chronico, ad annum septimum Valentiniani. Anno quoque 383. ex Ambrosio lib. III. de Officiis constat, tantam annonæ penuriam Romæ fuisse, ut pauperes liberi autoritate publicâ ex Urbe pellerentur, contrà exempla Majorum. Nam anteà sub Augusto, fame Romæ sæviente, non homines liberi, sed Gladiatores & servi tantùm ultrà octogesimum ab Urbe lapidem relegati sunt, ut Dio testa-

tur lib. IV. Multò autem graviſſima penuria ciborum afflixit Urbem Romam anno Chriſti 410. Honorii Imp. XVI. de quâ Zozimus lib. VI. Sozomenus lib. IX. & Hieronymus Ep. XVI. infanda memorant: nempe aliquos fame adactos ad vorandam clàm humanam carnem ait Sozomenus. Zozimus autem affirmat, malo creſcente eò deventum, ut Populus fame tabeſcens palàm in Circo poſceret imponi pretium carni humanæ. Famis præterea immanis per Italiam graſſantis anno Chriſti 451. Valentiniani Tertii 27. indicium extat in ejuſdem Valentiniani Novellâ Tit. II. apud Cod. Theodoſianum: ubi ſignificatur multos parentes miſeros adactos inopiâ filios vendidiſſe ut cibos emerent: ſed & anno poſt tertio Chriſti 454. Famem ſimilem Provincias penè omnes Imperii Romani diriſſimè pervagatam docet Evagrius lib. II. cap. VI. & Gelaſius in Andromachum ſcribens. Quando etiam paſſim contingebat eſurientium corpora interno ardore) ut *æſtum* hîc memoratum agnoſcas) intumeſcentia, præ nimiâ inflammatione, videndi facultatem amittere, & excæcata, tuſſi accedente, die tertio expirare. Fuit hæc clades viginti tantum annis anterior extinctione Occidentalis Imperii per Erulos Romæ Dominos: unde huic magis etiam quàm aliis convenit appellatio *plagæ noviſſimæ*: quales hîc à ſacro Vate prædicuntur.

Et igni.

Effectus Phialæ in ſolem effuſæ non fuit ſolùm *æſtus*, hoc eſt fames: ſed etiam *ignis*. Nam & hic ad ſolem pertinet, ex multorum opinione igneum ſubſtantiâ, & quaſi elementum ac ſphæram ignis: Unde regnum quoddam in cunctos ignes non minori jure Soli competere videri poteſt, quàm Oceano in aquas omnes fontium, amnium & lacuum. Exiſtimo ergo per iſtam hoc loco *ignis* mentionem ſignificari calamitates incendiorum quæ Roma non rarò exitialia & funeſtiſſima paſſa eſt, ex quo cepit Chriſtianum ſanguinem fundere. Jam tum ipſo initio perſecutionis primæ Neronianæ, horrendo incendio penè abſumpta Roma tota eſt, de quo incipiens agere Tacitus Annali XV. ſic ſcribit: *Sequitur clades... omnibus quæ huic Urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior.* Per eam, ut deinde addit, è quatuordecim Regionibus in quas Urbs univerſa dividebatur, ſolæ *quatuor integræ manſerunt: tres ſolo tenus dejectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant lacera & ſemiuſta: domuum, & inſularum & Templorum quæ amiſſa ſunt numerum inire haud promptum fuerit: ſed vetuſtiſſimâ religione quod Servius Tullius Lunæ, & magna Ara fanumque quæ præſenti Herculi Arcas Evander ſacraverat, Ædeſque ſtatoris Jovis vota Romulo, Numæque Regia, & Delubrum Veſtæ, cum Penatibus populi Romani, exuſta. Jam opes tot victoriis quæſitæ, & Græcarum Artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta: quamvis in tanta reſurgentis Urbis pulcritudine, multa ſeniores meminerant quæ reparari nequirent.* Hæc Tacitus. Audiendus quoque Suetonius, in vitâ Neronis cap. XXXVIII. *Per*

sex dies (inquit) *septemque noctes eâ clade sævitum est, ad monumentorum bustorumque diversoria plebe compulsâ. Tunc præter immensum numerum insularum, Domus Priscorum Ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ: deorumque Ædes ab Regibus, ac deinde Punicis & Gallicis bellis votæ dedicatæque: & quidquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat.* Hæc ille. Secutum non longo intervallo incendium Templi Jovis Capitolini per civiles intrà Urbem conflictus Vitellianorum cum Flavianis, de quo hæc Tacitus Annal. XIX. *Lapsus ignis in Porticus appositas Ædibus: mox sustinentes fastigium Aquilæ vetere ligno traxere flammam alueruntque: sic Capitolium clausis foribus indefensum & indireptum conflagravit.* Sub Domitiano & Trajano penè quotidiana fuisse Romæ incendia cum ex aliis multis licet intelligere: tum ex Iuvenale illorum temporum Scriptore apud quem Sat. II. Umbricius causas explicans inopinati consilii quo decreverat Româ Cumas emigrare, inter cætera sic ait:

Nam quid tam miserum tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos & mille pericula Sævæ Vrbis.

Sed præter incendia quæ fortuitis casibus & naturalibus causis plurima Romæ contigerunt principatibus Hadriani, Antoninorum & M. Aurelii, meritò visum est θεῖόν τι *divinum aliquid* habere illud sub Commodo conspectum, quod Herodianus lib. I. his verbis narrat: *Maximum autem nefas cum in præsens dolorem attulit; tum in futurum pessimo augurio universos conterruit. Nam cum neque imbres ulli, neque nubes; tantúmque exiguus terræ motus antecessisset, seu nocturni casu fulminis, sive igni aliquo in ipso terrarum motu velut extrito, totum de improviso Pacis Templum consumptum incendio est; quod unum scilicet opus cunctorum tota Vrbe maximum fuit, atque pulcherrimum. Idem Templorum omnium opulentissimum egregiéque munitum, multoque ornatum auro & argento. Quippe universi fermè suas illùc divitias, quasi in Thesaurum, congerebant: ideoque per noctem debacchatus ignis multos ex opulentis egenos reddidit: quapropter communem quidem jacturam publicè omnes; suam autem quisque privatim, deplorabant: sed ubi Templum omne consumptum ignibus est, plurima quoque & pulcherrima Vrbis Ædificia conflagraverunt, inter quæ etiam vestæ Templum. Sic ut Palladium quoque conspiceretur, quod in primis colunt, atque in arcano habent Romani, Troja, ut prohibent, advectum, ac tùm primùm, postquam in Italiam devenit, conspectum ab hominibus. Quippe raptum id Vestales Virgines mediâ sacrâ viâ in Aulam Imperatoris transtulerunt. Multa præterea pulcherrimaque Vrbis partes combustæ. plurimosque dies pervagatum incendium, non priùs sedatum est, quàm repentinis imbribus extingueretur.* Hæc Herodianus ex interpretatione Angeli Politiani. Fuit & aliud Romæ incendium θεῖλατον, *aliis quàm humanis adscriptum causis*; dominante illic Maxentio,

Maxentio, cujus meminit Zosimus lib. II. his verbis: *Romæ tunc orto igne, incertum ex aëre, antè terrâ, Templum Fortunæ conflagravit*: Nec alia similia non sæpe antea & deinceps ibi visa sunt. Sed hæc in specimen pro præsenti usu sunt nobis satis, præsertim si congerantur eodem incendia quæ tot expugnationibus & direptionibus per Alaricum, Genserícum, Odoacrum, Totilam passa deinde Roma est, in hunc *plagarum* ejus *novissimarum* fascem, è sacri Vatis mente colligenda sub hoc *ignis*, ut arbitror, vocabulo, effusioni quartæ phialæ adjuncto.

℣. 9. Et æstuaverunt homines æstu magno: & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas: neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam.

Ethnici has plagas, præsertim famis, cum debuissent intelligere divinitùs immitti in ultionem injustè fusi Christiani sanguinis: è contrario blasphemantes affirmabant, ulcisci per illas Iovem, aliosque falsos Deos, injurias à Christianis ipsos spernentibus acceptas. Id blasphemantem Demetrianum S. Cyprianus libro contrà ipsum edito his verbis refert: *Cæterùm cum dicas plurimos conqueri, quòd bella crebriùs surgant, quòd Lues, quod Fames sæviant: quodque imbres & pluviæ serena longa suspendant, nobis imputari*, &c. Idem testatur S. Augustinus de Idololatris sui temporis, in hunc modum scribens lib. II. retractionum: *Intereà cum Roma Gothorum irruptione agentium sub Rege Alarico impetu magnæ cladis eversa est; cujus eversionem Deorum falsorum multorumque cultores, quos usitato nomine Paganos vocamus, in Christianam Religionem referre conantes, solitò acerbiùs & amariùs Deum verum blasphemare ceperunt. Unde ego exardescens zelo domus Dei, adversùs eorum blasphemias libros de civitate Dei scribere instituí.* Ante hos scripserat Tertullianus eadem ætate suâ sub Severo Gentilium sensa, Apologet. cap. XL. *Existimant omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit ad mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si Cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem.* Denique audiatur circa hanc propriè proximè memoratam famis plagam disertè blasphemans Symmachus homo deditissimus Idolorum cultui, & eruditione, ingenio & facundiâ illustris; primariæ quoque Romæ dignitatis; quippe Consularis, & Urbi Præfectus. Ausus is est à Christianis Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, Arcadio & Honorio poscere restitutionem Aræ victoriæ in Capitolio, & revocationem legis à prioribus Christianis Cæsaribus latæ, quâ Virgines Vestales honorariis olim ipsis de publico decretis privabantur; & eâ quam luculentam super tali argumento recitavit oratione, inter alia affirmare non dubitat: famem quæ paulo ante sævierat, à deâ Vestâ, Iove & cæteris Romanorum Diis immissam, in ultionem ereptæ Vestalibus annonæ. En ejus verba: *Secuta est hoc factum fames publica: & spem Pro-*

vinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum: nihil imputamus Astris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit. Sacrilegio annus exaruit; necesse enim fuit perire omnibus quod Religionibus negabatur. Quid tale Provinciæ pertulerunt, cum Religionum Ministros honor publicus pasceret? Refutavit hæc fusè, nec minore facundia S. Ambrosius: quo potissimum Autore Symmachus improbæ petitionis repulsam meritam est passus. Addam hîc tantum, ne Blasphemia inficiatione præsenti careat, paucos versus Prudentii, Viri & ipsius per ea tempora clarissimi, & consularis, è longiori poëmate, quod pari accuratione & elegantiâ tunc scriptum Symmachi relationi opposuit: ubi hæc inter plurima egregia leguntur.

Sed si Vestales ulciscitur ista Puellas
Pestis, ab infido quæ gignitur improba Mundo,
Cur non Christicolûm tantùm populatur agellos,
Per quos Virginibus vestris stata dona negantur?
Vtimur & ruris reditu: & ratione colendi,
Exercere manum non pœnitet, &c.

In quibus verè ac fidenter affirmare Prudentium vides: famem illam infidelitatis & contumaciæ Idololatrarum pœnam fuisse, non subtracti à Christianis honorarii Vestalium: eâdemque minus gravatos Christianos, quàm Gentiles: quorum magna, ut hîc ipsis exprobratur, culpa fuit, non agnoscere tot miraculis evidentibus, & innumerabilium Martyrum cruore constantissimè profuso, veritatem ac sanctitatem testatissimam Christianæ Religionis: agendâ simul & profitendâ pœnitentiâ Idololatriæ & crudelitatis ipsorum in veri & unici Dei cultores innocentissimos: ob quæ crimina, & fame istâ, & aliis partim jam enumeratis, partim mox memorandis plagis ipsi justissimè puniebantur.

℣. 8. Et quintus Angelus effudit Phialam suam super sedem Bestiæ: & factum est Regnum ejus tenebrosum.

Sedes Bestiæ hîc dicitur Imperium Romanum, clarum & illustre victoriis, successibus, & latissimè patente Gentium penè cunctarum dominatu: quod *sedes Bestiæ* dici meruit, ob Idololatriam non solum exercitam, sed & defensam & promotam, obtrusamque cunctis Gentibus totâ principatûs potentiâ. *Bestia* enim in hâc plerumque Prophetiâ Idolum aut falsum Deum, sive etiam congeriem universam prophanarum superstitionum signat. Nisi quod etiam interdum sumitur pro singulari aliquo Imperatore Christianos persequente. ut v. 11. capitis sequentis: *Bestia quæ erat & non est*, manifestè, ut ibi monstrabitur, Domitianum indigitat: juxtà hunc secundum sensum *sedes Bestiæ* erit solium Augustale Monarchiæ Romanæ, quoties

qui ei pro tempore præsidet, Christianæ Religioni bellum palàm indixit. quod fecerunt post Neronem Domitianus, Trajanus, Severus, Decius, Valerianus, Diocletianus, & alii ad decem redacti, etsi plures sint: prout exposuimus in Enarratione capitis XIII.

Effusio porrò hæc quintæ phialæ super istam *sedem Bestiæ* ex quâ *factum est Regnum ejus tenebrosum* præsignificabat fore; ut justo Dei ultoris judicio, ob spretam, dehonestatam & crudelissimè obtritam Christianam Religionem, Majestas Romanæ Monarchiæ, ex micantissimo splendore quo per Orbem temporali claritudine fulserat, sui cunctis Gentibus admirationem & venerationem movens, sub Augusto maximè ac Trajano; defloresceret in opinione hominum & in obscuritatem contemptibilem, ac pudendas tenebras obsordescens devolveretur. Initium ejus hîc prædictæ deformitatis post magnificas species Principatuum Trajani, Hadriani, Antoninorum & Marci Aurelii Philosophi, fuit hujus degener filius Commodus, homo insanus, qui qualis jam *à pueritia* fuerat (ait Lampridius in ejus vita) *turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore quoque pollutus & constupratus: jam in his artifex quæ stationis Imperatoriæ non erant, ut calices fingeret, saltaret, cantaret, sibilaret, scurram denique & gladiatorem se perfectum ostenderet*: talem toto annorum tredecim Imperio se præbuit è Palatio in diversoria Gladiatorum migrans, ibi habitans, & quotidie depugnans, occidensque repugnare seriò verentes, eoque nomine glorians, veste ridicula cum clava in manu per Urbem incedens: denique actis probrosissimis Imperium conspurcans, quæ legat qui volet apud Herodianum & Lampridium. Fœdum etiam dehonestamentum Imperii *Romani fuit*, cædes Pertinacis laudabilis Principis à Prætorianis Romæ meridie in Palatio patrata, & post hanc Imperii, tanquam Prædii, per eosdem auctio proscripta, ejusdemque venditio, emente, qui plus obtulerat, Juliano. Post Severum qui hæc vindicavit, recidit in ignominiam Romana res actis infamibus Caracallæ: multoque magis vitâ & principatu contaminatissimis, & suprà omnem tolerabilitatẽ enormibus Elagabali: quæ sine pudore, stomacho & tædio legi nequeunt, ab Ælio Lampridio in ejus Monstri vitâ fusè conscripta, ut in hujus abominabiliter polluti omni nefandarum libidinum spurcitie Pueri, ortu alioqui vilissimi, quippe prolis spuriæ infamis meretricis, Romæ in Throno Augusti sedentis totis annis tribus cum novem mensibus, longè abiectiùs depressisse Deus ultor videatur Romanam superbiam quam olim exequendo in Judæos quod minatus fuerat per Isaïam III. 4. *Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* At multò maxima obtenebratio Romanæ Majestatis contigit in Valeriano, è Senatore & Censore, Catonum veterum, ut sui prædicabant, instar referente, splendidissimè in solium evecto; mox victo & capto, servireque diù coacto Regi Barbaro pro scabello quoties equum inscenderet; & quidem cum vestitu & paludamento Augustali: donec longo tempore circumductus & ostentatus in tam probroso ministerio, satietate sævi victoris ex-

coriatus vivus in diris cruciatibus efflavit animam : non modò ut ille ait

incolumi Iove & Vrbe Româ :

Sed Valeriani sic dehonestati filio ipso & Collegâ Gallieno totis inde octo annis Romæ Imperante sine ulla cura aut conatu Pâtris vel liberandi vel ulciscendi : qua de re totâ hic describere disertum testimonium Autoris veteris sed nuperrimè vulgatum, operæ pretium duco. Sic scribit Lactantius cap. v. libri de Mortibus Persecutorum ad Donatum Confessorem : *Non multò post Valerianus quoque non dissimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit, & multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. At illum Deus novo ac singulari pœnæ genere affecit.... Hic captus à Persis, non modò Imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam cæteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissimè. Nam Rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerat, aut vehiculum ascendere aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat, ac terga præbere, & impositio pede super dorsum ejus : illud esse verum, dicebat, exprobrans ei cum risu ; non quod in Tabulis aut Parietibus Romani pingerent. Ita ille dignissimè triumphatus, aliquamdiu vixit, ut diu Barbaris Romanum nomen ludibrio ac derisui esset* (en factum tenebrosum Regnum Bestiæ.) Pergit Lactantius post pauca : *Posteà verò quàm pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis, & exuta visceribus pellis, infecta rubro colore, ut in Templo Barbàrorum Deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, Legatisque nostris semper esset ostentui : ne nimium Romani viribus suis fiderent, cum exuvias capti Principis apud Deos suos cernerent.* Quid dicam de tunc arrepto à viris plerumque ortu vilibus, etiam à feminis, Imperio, non paucioribus triginta; quorum unius in specimen juvat meminisse ex libro Trebellii Pollionis de triginta Tyrannis : quos inter septimus numeratur Marius quidam è fabro ferrario Augustus triduanus. Is postridiè inaugurationis suæ concionatus hoc principio est *scio commilitones, posse mihi obiici artem pristinam, cujus mihi omnes testes estis. sed dicat quisque quod vult... Ars mihi objiciatur ferraria, dum me & exteræ Gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant* quâ oratione quantum profecisset, apparuit die mox sequenti quâ est interfectus à quodam milite, qui cum ejus quondam, Discipulus in fabrili officinâ fuisset, indignabatur se ab eo contemni, quare admovens ensem Marii jugulo dixit : *hic est gladius quem ipse fecisti.* quamquam inquinati alii natalium sordibus auspicatiùs alias & longiùs Imperio Romano præfuerunt, ut Aurelianus, cujus Patri vilitatem exprobravit etiam uxor, Vopisco referente: ut Maximinus Patre Gotho, matre Alanâ ; iisque plebeis, in vico humili confinium Thraciæ natus, ut Diocletianus libertus quondam Senatoris Anullini, obscurissimo loco natus Dioclea Dalmatiæ oppido. unde à Patria nomen sumpsit, quo à Patre carebat : ut Maximianus prioris conditionis in-

dicium armentarii cognomine præferens : ut hinc quoque, quamquam è morum fœditate multò magis, *effusa sit contemptio*, ut Psalmus CVI. loquitur, *super* plerosque Romanos *Principes*. Præcipua tamen despicabilitas Imperii Romani orta est è victoriis Barbararum Gentium multis locis manifestè prævalentium Romanæ potentiæ, & regna sua constituentium in ejus Provinciis opimis : Francorum in Galliis, Gotthorum in Hispaniis, Vvandalorum in Africâ; unde iis tantus contemptus Sceptri Romani fuit, ut id ante se abjectum non curarent terrâ tollere. sic enim & Alaricus, & Genserícus, ac post hos Turcilingorum Rex Scyros & Herculos auxiliares ducens, captâ Româ, haud tanti duxerunt Imperatores sese dicere, nomen id infra ipsorum fastigium rati. contenti eum titulum quibus vellent concedere, ac pro arbitrio adimere. Tempora igitur hîc prædicta *obtenebrandi* in Occidente *Romani Regni* potissimùm existimo ea esse quæ ab anno Christi, 455. ad 476. protenduntur. nam toto hoc spatio annorum circiter viginti, nomen re vacuum, & umbram tantùm vanam, eamque brevissimam, habuerunt 1. Maximus cujus fraude Valentinianus Tertius occisus fuerat, non plùs ferè sesquimense. 2. Avitus ad triennium. 3. Majorianus ad annos quatuor. 4. Severus item ad quadriennium. 5. Anthemius ad annos quinque. 6. Olybrius ad dies quadraginta. 7. Glycerius ad menses sexdecim. 8. Julius Nepos ad dies paucos. nam hoc statim expulso quidam Orestes tunc in Italiâ potens, filium suum Momyllum sive Momylium vocatum, Imperatorem constituit. Fuit hic nonus & ultimus in istis Augustorum simulacris, *Augustulus*, cognominatus. quem paucis post mensibus Odoacer Turcilingorum & Herulorum Rex, victo & occiso ejus Patre Oreste, Româ potitus, redactum in ordinem contemptim amandavit in Lucullanum Campaniæ Castellum. Haud ergo absurdè quis dixerit, diei Romæ advesperascentis in noctem, crepusculum quoddam fuisse hos annos viginti, regnatos à novem Augustulis arbitrio Barbarorum, præsertim Gothi Ricimeris, ludibundè promotis & amotis. post quos in meras tenebras lux Romana prorsùs evanuit, Occidentali Romæ Imperio prorsus extincto, pro ut hîc fuerat prædictum effusione. *quintæ Phialæ in sedem Bestiæ* unde contigit *fieri Regnum ejus tenebrosum.*

Et commandueaverunt linguas suas præ dolore.

Exprimit his sacer Vates dolorẽ quem maximũ senserunt Idololatræ Romani quando suis quique tẽporibus viderunt memoratas paulò ante depressiones, & obscurationes ipsorum Imperii, anteà tam inclyti, & quanta maxima esse potest in luce Orbis terrarum claritudine splendentis : nunc in tam probrosas delapsi deformitates, & tandem funditùs extincti. μασῶντο τὰς γλώσσας, quod hîc in Græco originali ponitur, est mandere & lacerare dentibus linguam quemque suam, quod vehementissimi & desperatissimi doloris effectus indiciumque est: suprà etiam lacerationem vestium, evulsionem capillorum, percussionem pectoris & frontis, genarum exarationem infestis

unguibus, quæ sunt tragicæ omnes doloris omnium maximi declarationes: qui quando conjungitur cum amarissimo sensu feræ in damno jam irreparabili pœnitentiæ, ob præcautionem omissam; aut impetu ardentissimo iræ, indignantis se præter meritum asperè tractari, solet ad sibi nocendum, per morsus dentium infixos membris propriis, erumpere. Sic in pœnis damnatorum effingendis ingenia Pingentium exhibent miseros, pugnos ipsis sibi ac brachia rabioso scindentes morsu: etiam Græci dicunt, ut Ribera opportunè observat, ad hunc locum ἐσθίειν τὰ χείλη *commordere labra* de impotenter dolentibus, qualis ille apud Aristophanem in Vespis, ἀπ' ὀργῆς πάνυ χειλύνην ἐσθίων *præ indignatione labium mandens.*

℣. 11. Et blasphemaverunt Deum Cœli præ doloribus & vulneribus suis: & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

Quæ hîc memoratur *Blasphemia in Deum Cœli*, fuit per omnes ferè Romanorum Idololatrarum mentes latissimè vagans opinio, per illa extrema Romani Occidentalis Imperii tempora, & in querelas passim rabiosissimas erumpens, quâ sibi persuadebant, & apud quosque obvios lamentabantur Deum Christianorum, qui hoc loco significatur nomine *Dei cœli*, unicam eamque injustam esse causam depressionis Imperii Romani per tot clades à Barbaris acceptas, aliaque mala ingentia priùs à nobis enumerata, & deinceps memoranda. Inde enim illas accidere, quod veteres Religiones Deorum, quorum auspiciis & numine nata, adulta, & in Orbis Imperium evecta Roma floruisset, è scitis novæ Dei cœli Religionis, negligerentur. Jactata hæc ab Ethnicis sunt ad omnes calamitates, quæ post exortam, & celebrari ceptam, Romæ præsertim, ac per Italiam, Christianam Religionem, accidebant: ut ex Tertulliano, Cypriano, aliisque, cum nostris tum exteris constat Autoribus. Invaluit tamen potissimum blasphemus iste sensus, & ex eo natæ voces, sub Honorio quando primùm à Gothis capta Roma est; adeoque vulgò est creditum, ex quo Christianam Religionem Constantinus ad Romanum solium extulisset, ira id improbantium Deorum veterum, & se spretos ulciscentium, dira & exitialia in rem Romanam infortunia immissa. Habemus id scripto mandatum à Zosimo, Græco rerum Romanarum Historico, qui non alio videtur consilio scripsisse, quàm ut hoc persuaderet: cum enim à Constantino suam propriam Historiam, à Libro secundo inchoaret (nam primo velut proœmiali, superioris breve compendium congesserat) magnoperè ostentat culpam Constantini scilicet inexpiabilem, in eo sitam quod superstitiones anni sæcularis tunc recurrentis more Majorum obire neglexisset; nam fato defixam isti cerimoniæ Romani Imperii felicitatem multis conatus ostendere, eodem adjicit quædam ejus sententiæ Sybillina carmina, post quæ verbis hæc totidem subjungit: *Jam quod his omnibus legitimè peractis, sicut Oraculum tradit, & ipsa res exigit, incolume futurum fuerit Imperium Romanum, omnemque nobis cogni-*

tum (propè dixerim) orbem sub potestate suâ perpetuò habiturum ; ludis autem sæcularibus neglectis, Imperio se abdicante Diocletiano, paulatim quasi defluxerit : tacitéque redactum ad quandam majori ex parte barbariem : id quod ipsa nobis res declararunt. Eam verè sententiam nostram veram esse, de ipsa notatione temporum probare volo : nam à Consulatu Chilonis & Labonis, quo Severus ludos sæculares exhibuit, donec Diocletianus nonum, Maximianus octavum Consules facti sunt, centum & unus annus elapsi fuerunt : ac tum quidem privatus ex Imperatore Diocletianus factus est, cujus exemplum Maximianus est secutus. Verùm Constantino & Licinio tertiùm Coss. centum & decem annorum spatium completum fuit : quo jam ludos consueto more celebratos oportuit. Eo neglecto, ad infelicitatem illam res prolabi necesse fuit, quæ hoc tempore nos urget. Hactenus Zosimus, qui deinceps tota Historia non desinit, quò suam adstruat sententiam, Christianis Imperatoribus iniquissimè detrahere, ut Baronius multis locis observavit. Hanc latè fusam Ethnicorum opinionem, ut elideret S. Augustinus, & ipse Opus de Civitate Dei præclarissimum edidit : & autor suo discipulo Paulo Oroso fuit Historiæ extantis hodiéque quæ in idipsum incumberet, scribendæ. Opportunum autem duco ex ejusdem Augustini Præfatione in libros de Civitate Dei novum & domesticum Testimonium prædictæ à nostro Prophetâ Blasphemiæ describere. Postquam ibi retulit multos Paganos diripiente Romam Alarico, in Christianorum & Martyrum memoriis, quibus ille parcebat, tutum asylum reperisse, mox addit : *Sic evaserunt multi, qui nunc Christianis temporibus detrahunt ; & mala quæ illa Civitas pertulit, Christo imputant : bona verò quæ in eos, ut viverent, propter Christi honorem facta sunt, non imputant Christo, sed fato suo : cum potiùs deberent, si quid rectè saperent, illa quæ ab Hostibus aspera & dura perpessi sunt, illi Divinæ Providentiæ tribuere quæ solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere.* Hæc Augustinus : sic enarrans quæ à sacro Vate nostro hîc ponuntur : *Blasphemaverunt Deum Cœli : & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.*

℣. 12. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten.

Romam jam antea cap. XIV. 8. vocavit Babylonem à similitudine felicitatis & morum Urbis Romæ cum illâ Chaldæorum Metropoli. Perseverat jam in allegoriâ, Tybrim Urbis Romæ fluvium, Euphraten vocans. Solent quoties transfertur nomen Urbis unius in aliam, etiam loca nota prioris propriis nominibus adaptari ad similia Urbis novæ : sic Æneid. III. cum Helenus Priami nactus regnum in Epiro ibi urbem condidisset, è Troiæ patriæ memoria Troiam dictam, fluvium qui eum locum alluebat, Simoëta consequenter nominavit : ut verba illa Æneæ testantur :

Ante Vrbem in luco falsi Simoëntis ad undam.

Quia verò prope Troiam antiquam fuerat alius præter Simoëntem fluvius Xantus dictus : hoc quoque vocabulum Helenus transtulit in Rivum pari ferè vicinià propinquum novæ suæ Troiæ. quod significat Æneas idem paulò post sic loquens.

Procedo & parvam Troiam simulataque magnis
Pergama, & arentem Xanti cognomine rivum
Agnosco &c.

Et siccavit aquam ejus ut præparetur via Regibus ab ortu solis.

Hæc plaga penè lethalis Idololatriæ Romanæ, est victoria Constantini quam de Maxentio reportavit, ad Urbem Romam, in ipsa Tiberis ripa ubi post cruentissimum conflictum tanta strages fugientium Maxentianorum fuit, ut totus Tiberis alveus corporibus oppleretur. Hoc est quod ænigmaticè innuitur illa mentione *siccatæ aquæ fluvii* nempe in eum redactæ statum, ut per eam, quasi siccata esset, transiri posset siccis pedibus : mole videlicet injectorum cadaverum, cumulatis super ruinis pontis, ita superato & obruto flumine, ut à ripa ulteriori in citeriorem transire cuivis liceret, nusquam posito in aqua vestigio. Audiendus hîc Nazarius illorum temporum scriptor in Panegyrico Constantini *Non commemorabo*, inquit, *hîc tectas stragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tiberim : & inter congestas altè cadaverum moles agro nisu & vix eluctatis gurgitibus exeuntem.* &c. nec mirum. cum Exercitus Maxentii, ut Zosimus lib. II. testatur, centum & septuaginta Peditum millibus, octodecim Equitum, constiterit : totus autem ferro aut fugâ perierit cum ipso Maxentio, cumulatâ etiam eòdem ruinâ lati pontis, immani materiæ mole superstructi, qui confractus dum ei Maxentius insisteret, se cum illo, aliisque innumeris devolvit in profluentem. Non est igitur nimis hyperbolicum quod his innuitur : super corpora ducentorum fermè millium Maxentianorum, cum ipso Tyranno, Equisque ac curribus eorum, vastique insuper Pontis lignei tignis ac fragmentis, complentium alveum Tiberis, Constantinum ejusque Duces sicco pede in Urbem irruere post victoriam potuisse. Facit etiam ad rem in primis, quod ista tiberini alvei oppletio phialæ iræ Dei ab Angelo cœlitùs infusæ imputatur. hoc est, cæcitati cuidam ac stupori quo Deus Maxentium percusserit, ac quasi dementaverit, tam stultum ei ac pernicioſum consilium obtrudens, ut cum tutissimè citrà Tiberim explicare aciem posset, ac Constantinum transitu arcere ; ipse ultrò fortunam abdicaverit, & loci commoditatem sibi & suis eripuerit, concludens eos inter fluvium & Exercitum hostilem. Hoc, inquam egregiè congruit cum Historiâ rei gestæ hîc ex eodem Nazario, qui præsens spectasse potuit, referendâ. sic ille scribit : *Hic fuit primus liberandæ Urbis gradus; & ad victoriam facilis accessus :*

quod

quod illum (Maxentium) *semper exedendæ Urbis visceribus inhærentem, ex aßuetis latebris vis divinitatis excussit.* Et paulò post: *Non enim casu, non fiduciâ factum putemus, ut ultrò etiam Exercitum educeret adversus eum cujus adventûs stridorem ipsum perhorresceret: nisi animum jam metu devium infestior Dæmon, & pereundi maturitas perpulisset. quod ità ratio disponendi Exercitûs docuit illum mente perditâ implicatoque consilio, cum eum pugnæ locum caperet, ut interclusa fuga, moriendi necessitatem imponeret* &c. Elegantissimũ porrò est quod additur: *ut præparetur via Regibus ab ortu solis.* ubi perseveratur in allegoriâ Euphratis. ad quem amnem, Imperii ortum versùs limitẽ, Romanæ legiones præsidii gratia perennare consueverant in excubiis ad arcendum orientalium Nationum & Regum transitum in terras Romanæ ditionis. Testis Philo, libro de Legatione ad Cajum. ubi de Romano Exercitu apud Euphratem stationem habente loquens: τῆς παρ' εὐφράτην στρατιᾶς, ait, ἥτις διάβασιν τῶν ἐώων βασιλέων καὶ ἐθνῶν παρεφύλαττε: *qui transitum Orientalium Regum & Gentium observat, ut arceat.* Poscit ergo allegoriæ in rem collatio, ut tunc quasi terminus & limes ultimus ponatur Idololatriæ Romanæ Tiberis, non sine ingeniosa emphasi arcanè innuente in quam arctas illa esset angustias contrusa. Regum autem nomine more scripturæ Dynastæ, Magistratus ac viri Principes quivis indicantur. ut non male convenire possit hæc appellatio Ducibus ac Tribunis in Exercitu Constantini militares Præfecturas obtinentibus. qui etsi ab occiduis Romam veniebant Partibus, *ab ortu* tamen *solis* venire dicuntur quia Christo mittente veniebant. Notum est enim, præter speciem Crucis in aëre Constantino oblatam, cum illis verbis: ἐν τούτῳ νίκα *in hoc vince*: Christum ipsum in somnis ei apparuisse, ac jussisse contrà Maxentium pergere certa victoriæ fiducia. id enim Eusebius ex ipso auditum Constantino & quidem jurato refert capite XXIX. libri I. de vita Constantini. Est vero Christi notissimum in scripturis nomen, *Oriens.* Christus enim omnium consensu citra ullam cujusquam dubitationem est ille memoratus Zachariæ Prophetiæ cap. VI. 12. *Ecce vir Oriens nomen ejus.* Et ejusdem Prophetiæ cap. III. 8. *adducam servum meum Orientem* quod Zacharias alter Joannis Baptistæ genitor usurpavit in suo cantico cum dixit de Christo: *visitavit nos oriens ex alto* Luc. I. 78. veniebant igitur ab oriente, qui à Christo veniebant. ut nullus cuiquam restare scrupulus possit, quin rectè ac verè *ab ortu solis* Constantinus, & ejus Exercitûs duces adversus Maxentium Christo mittente venientes, dicantur in hac Prophetia *Reges venientes ab oriente.* Atque istius missionis a Christo publice tunc agnitæ etiam à Paganis (quales erant plerique in Senatu & Populo Romano) testimonium hodiéque vidémus in *Inscriptione* superstite Arcus triumphalis Constantino ob victoriam de Maxentio relatam à S. P. Q. R. erecti. ibi enim legitur: *instinctu Divinitatis* eam expeditionem suscepisse Constantinum. quo genere loquendi aliud omninò quàm Deos veteres, Jovem aut Martem, Christum videlicet Christianorum Deum, quem coli a Constantino sciebant, significare Romanos voluisse, omnes intelligunt.

Nec tamen diſſimulata in ſcripturis propheticis eſt circumſtantia venientis Romam ab occiduis partibus Chriſtianæ Religionis, non jam humilis & impunè calcabilis; qualis prius ex Oriente advenerat; ſed armatæ & Conſtantini Victoris potentiâ ſubnixæ. Nam in Pſalmo LXVII. qui totus, ut fusè alibi demonſtravi, verſatur in prædicandis ſucceſſibus Evangelicæ Prædicationis per Apoſtolos factæ, progreſſibuſque Eccleſiæ, qui poſt Chriſti Reſurrectionem extiterunt, illa verba verſ. 5. *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum Dominus nomen illi*: ad hanc primam Chriſtianiſmi triumphantis, & de Romana Idololatria Victoris Romæ apparitionem ſpectare arbitror. Per eam enim *aſcendit* Chriſtus in lucem ac famam mundi, *ſuper occaſum*, hoc eſt occiduarum Imperii Romani Regionum Conſtantino parentium vires ac robur ſub ſe habens: & ſic ſuæ divinitatis Romanis ipſis Idololatris Senatui & Populo; æterno inſcriptionis monumento inſculptam confeſſionem exprimens quod innuunt illa: *Dominus nomen illi* pro Dominus in Hebræo eſt יה *jah* propriiſſimum divinitatis nomen contractum ex ineffabili יהוה *jehovah*. Obſervare convenit: duas eo Pſalmo memorari Chriſti *aſcenſiones*.: unam quidem v. 34. his verbis: *Qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem.* Hæc eſt illa quam Apoſtoli & Diſcipuli viderunt quadrageſimo à Chriſti Reſurrectionis die, in monte Oliveti: quando *ipſis cernentibus elevatus eſt* ut Lucas habet 1. Act. 9. Alteram hanc v. 5. expreſſam ſine cœli mentione, & cum diſtinctâ commemoratione *occaſus*, hoc eſt occiduarum Orbis Romani partium in quibus facta eſt, cum prior *in cœlum cœli*, directa ſit: & *ad Orientem*; videlicet in Orientali Romani Orbis regione, itemque non in *cœlo cœli*, hoc eſt ſupremo cœlorum: ſed in Arce Imperii terrarum Româ, metam exaltationis ultimam fixerit.

Poſſunt etiam per *Reges ab ortu Solis* hoc loco memoratos intelligi cœleſtes Spiritus à Deo miſſi in auxilium Conſtantini Romam contrà Maxentiũ tendentis, qui ſe hominibus aſpectabiles paſſim per Gallias præbuerint. En Nazarii tunc viventis id teſtantis verba: *In ore deniq; eſt omniũ Galliarũ: Exercitûs viſos qui ſe divinitùs miſſos præ ſe ferebant: Et quamvis cœleſtia ſub oculos hominũ venire non ſoleant: quod craſſam & caligantẽ aciem ſimplex & inconcreta ſubſtantia naturæ tenuis eludat: illi tamen auxiliatores tui aſpici audirique patientes, ubi meritum tuum teſtificati ſunt, mortalis visûs contagium refugerunt. ſed quænam illa fuiſſe dicitur ſpecies? Qui vigor corporum? Quæ amplitudo membrorum? Quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum neſcio quid umbone coruſci, & cœleſtium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant ut tui crederentur. Hæc ipſorum ſermocinatio, hęc inter audientes ferebant: Conſtantinum petimus: Conſtantino imus auxilio.* Hæc Orator coràm Imperatore, in maximo & ſplendidiſſimo Procerum cœtu, tam fidenter dicens, non potuit non ex autoptarum relatu, ex certâ, publicâ, & indubitabili rei tam inopinatæ ac miræ notitiâ dicere, affirmationis utique talis ſuæ fundum ac receptum paratum ha-

bens in conſcientiâ ipſorum audientium : abſque quo nullius frontis homo videretur. Nec novum aut numquam uſquam alibi editum id oſtentum, ut ut è ſolis ſcripturis Canonicis teſtimonia conquiram IV. Reg. VI. 17. videt Miniſter Elizæi, *montem plenum equorum & currum igneorum* in illius Prophetæ à Syrorum exercitu obſeſſi auxilium procinctorum. Maccab. II. cap. v. 2. *Contigit per univerſam Hieroſolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes, aureas ſtolas habentes, & curſus equorum per ordines digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum jactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum.* Mitto innumera ſimilia : cum ergo nulli ſit obnoxia prudenti dubitationi facti fides à Nazario narrati, quidni dicamus iſtos Angelos ſuppetias Conſtantino venientes, qui & ipſi, ut ille ſuprà memoratus in hoc libro cap. VII. 2. *habebant ſignum Dei vivi* : nempe crucem quam Conſtantino oſtenderant, etiam ut eundem *aſcendiſſe ab ortu ſolis* : quippe qui, ut ille alter memorandus infra cap. XIX. 17. ordinariam *in ſole*, hoc eſt ſupremâ Dei luce, ſtationem habeant ; unde cum mittuntur, rectè dicantur *à ſolis ortu venire.* Ac conſequenter hoc loco ſignificentur per *Reges venientes ab ortu ſolis.*

℣. 13. Et vidi de ore Draconis & de ore Beſtiæ, & de ore Pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum.

Hac effuſione ſextæ Phialæ præſignatam fuiſſe cladem Romæ Idololatræ à Conſtantino victore Maxentii illatam, quæ fuit eadem initium triumphorum Romæ Chriſtianæ, cum ſatis, ni fallor, ſuadeant quæ dixi ad verſum ſuperiorem, magis, ſpero, magiſque confirmabunt mox dicenda ; adeò clarum characterem præferunt rerum Maxentii, ac totius ejus cataſtrophes ; ut mihi quidem comparanti quæ veteres ſcriptores de his narrant, cum hoc vaticinio, evidentia quædam oboriatur ex miro Hiſtoriæ cum Prophetiâ conſenſu : nec ferè dubitare ampliùs liceat : quin quæ prænunciare hâc parte Apocalypſis voluit Spiritus Divinus : in iſto ad Pontem Milvium Conſtantinianorum cum Maxentianis cruentiſſimo conflictu veriſſimum manifeſtè eventum habuerint. cognoſcat æquus lector, & judicet.

Draco eſt malus dæmon præſidens Idololatriæ Romanæ, ut ſuperiùs vidimus. *Beſtia* vero ipſe Romanus Imperator perſecutor Eccleſiæ tunc Maxentius : Pſeudoprophetæ denique uno nomine plures ſimul per ſyllepſim errorum Magiſtri deſignantur : Magi videlicet, Necromantæ, Conjectores, Augures, Haruſpices cæterique tunc in uſu & pretio habiti Nundinatores vanarum divinationum. His quantum hoc tempore attenderet & confideret Maxentius, declaratZoſimus hoc bellum narrans lib. II. ubi cum de Conſtantino dixiſſet : *Conſtantinus autem cum exercitu Romam uſque progreſſus, ante urbem caſtra metabatur in campo, qui & latè patet, & equitatui eſt opportunus* : hæc ſtatim addit de Maxentio : *Maxentius intra muros concluſus*

Diis victimas offerebat: & extiſpices de belli eventu conſulebat; ipſis quoque Sibyllinis Oraculis perveſtigatis. Et Euſebius lib. 1. de vita Conſtantini cap. xxxvi. res eaſdem referens hæc ſcribit: *Tandem vero* Tyrannus (Maxentius) *ſceleribus ſuis quaſi quoddam faſtigium magicæ artis præſtigias impoſuit: nunc mulieres gravidas diſſecans; nunc infantum recens in lucem editorum rimans viſcera: Leones quoque interdum mactans; & quædam nefanda peragens ſacra ad dæmones evocandos; & ad bellum quod jam inſtabat depellendum. His enim artibus victoriam ſe adepturum ſperabat.* Hæc Zoſimus & Euſebius. quibus & Lactantius adſtipulatur, ex quibus cernitur: Maxentium incredibiliter ſolicitum de eventu belli contra Conſtantinum ſuſcepti, totum ſe dediſſe inquiſitioni futurorum. Erant autem præcipua divinationum Romanis Idololatris genera tria, Sortes, Augurium, & Haruſpicina. Hi ſunt *tres ſpiritus immundi*, quorum hîc fit mentio. Horum primus, nempè *ſortes*, dicitur *exiviſſe de ore draconis*: intelligebantur enim *ſortium* nomine reſponſa Deorum, quorum falſa oracula certis locis quæri accipique erant ſolita. ad hoc genus referebantur Sibyllini libri quales à Romanis ſervabantur, admixtione falſorum oraculorum corruptiſſimi, quos ſuprà vidimus ex Zoſimo, idem teſtante Lactantio, anxiè à Maxentio conſultos. Augurium peculariter tribuitur *Beſtiæ*, hoc eſt, ex ſæpe jam dictis, Imperatori Romano Idololatræ. Nam hi omnes tales peculiari ſtudio profitebantur obſervationem Auguriorum & Auſpiciorum, hoc eſt, divinationis quæ ducitur ex avibus: idque jam tum à primâ Romanæ Monarchiæ deſignatione in Romulo factâ. Ille enim Urbem auſpicatò condidiſſe primùm; deinde nihil domi aut militiæ momenti paulò majoris, niſi avibus addicentibus aggreſſus eſſe dicitur: quod cunctis deinceps ejus ſucceſſoribus, Ducibus Romanis, Conſulibus, Prætoribus, Magiſtratibus pacis aut belli curatoribus, tam durante Republicâ, quàm per Cæſares Monarchiâ reſtitutâ, commendatiſſimum ſemper fuit; prout omnia docent Romana monumenta: adeò ut univerſa Romana res & religio niti & conſtare augurio videretur; idipſum declarante inſigni Aquilæ, ſymboli notiſſimi Urbis ac potentiæ Romanæ; indidemque ducto Imperatoribus à ſecundo cunctis communi Auguſtorum vocabulo. Appoſitè igitur facer hîc Vates alterum immundum ſpiritum, *Augurium*, exiſſe prodit *de ore Beſtiæ*: hoc eſt Imperatoris Romani, de quo hîc agitur: videlicet Maxentii: quem præter cæteram Auguſtorum conſuetudinem, & ſupra exempla omnia Majorum, ingenti ac inſanâ curioſitate & ſuperſtitione auguriis & auſpiciis inhiaſſe, præſertim inſtante Conſtantini bello ex recitatis Hiſtoricorũ teſtimoniis ſatis conſtat. Poſtremò tertia ſuperſtitioſæ divinationis ſpecies *haruſpicina* per Thuſcos miniſtros, & horum formatos diſciplinâ ſacrificulos exercebatur: ideo *Pſeudoprophetæ* tribuitur, quo ſingulari, ut dixi, verbo Myſtarum, Flaminum, Magorum turba magno ſemper numero latera Maxentii ſtipantium, indicatur. quorum is & conſilio & opera ſuperiùs ex Euſebio memoratas eviſcerationes leonum, infantium, mulierum fœtarum, perpetrabat

insatiabili aviditate futura prænoscendi. Aptè quoque hi *tres spiritus ranis* comparantur, quæ sordidæ, & limo natali demersæ, coaxant importunâ ingratâque voce, imbrium interdum ac tempestatum indicium quoddam Rusticis observatum præferente. Sic enim hæ tres divinationis species nihil nisi vile quiddam ac fœdum innuuntur esse; quippe à dæmonibus impuris vim habentes omnem; & si quid nonnumquam verè præsagiant, non id verâ divinatione, quæ soli Deo convenit, facere: sed observatione naturali causarum, quomodò è ranarum coaxatione imber prænoscitur.

℣. 14. Sunt enim spiritus dæmoniorum, facientes signa & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei.

Esse istos *spiritus dæmoniorum*, manifestum est. cum doceant superstitiones inventas & divulgatas à malis dæmonibus Idololatriæ autoribus. Dicuntur ii *signa facere*: quoniam eventibus operâ malorum dæmonum ad hoc ipsum procuratis confirmabant Gentilium credulitatem in persuasione divinæ cujusdam virtutis ad prænotionem futurorum & præcautionem impendentium malorum. Talia ergo *signa* sunt, successus funesti præliorum initorum contra quàm suaderent auspicia, auguria, & exta victimarum: è contrariò exitus felices bellorum & expeditionum auspicatò, & postquam ritè litatum fuerat, susceptarum: qualibus exemplis plenæ sunt Romanæ veteres Historiæ: unde stulta fiducia, & non magis sanus metus, passim omnes tenebat Romanos: ut nec auderent quiddam non addicentibus auguriis, & responsis Haruspicum gerere: nec dubitarent quidvis aggredi ubi talia favere nunciarentur. Hujus rei exemplum peculiariter hùc faciens suggerit Zosimus in hâc ipsâ Maxentiani contrà Constantinum belli narratione repræsentans Maxentium omnium rituum Romanæ divinationis observantissimum, ejus sedulitatis fructum se magnum percepisse gratulantem; indéque, & se ipsum confirmantem in spe certæ ac plenæ de Constantino victoriæ; & alios, quos in suas partes attrahebat, incitantem ad fidenter ineundam secum societatem in eo bello, cujus in fortunato ipsis eventu pollicendo, oracula, auspicia, auguria & hostiarum exta consentirent: queis ille perfecit artibus ut summo consensu Duces, Gentes, Exercitûs plurimi cum ipso contrà Constantinum conspirarent. Audiamus hæc docentem Zosimum. sic scribit ille lib. II. *Maxentius insidiis hisce liberatus, seque jam constabilitum habere putans Imperium, mittebat in Africam & Carthaginem qui ejus imaginem circumferrent: quod cum fieri prohibuissent eorum locorum milites*, &c. *Commotus Maxentius in Africam navigare constituit, & autores horum facinorum punire. Sed cum Haruspices rem sacram fecissent, nec perlitatum dicerent, navigare veritus*, &c. Navigavit tamen postea: cum videlicet Haruspices prosperiora nunciassent: sic enim aliquantò post Zosimus: *Secundum hæc Maxentius occasiones gerendi adversus Con-*

ſtantinum belli quærebat .... Hæc habens in animo res Africanas prius conſtituendas duxit : itaque coactis hominum copiis in Africam trajicit. Pergit Hiſtoricus dicere felicem Maxentio illam expeditionem fuiſſe ; quâ latè ſibi ſubactâ universâ Africa , Romæ , rediens triumphavit. Unde jactans ſe non minùs faventibus reſponſis Haruſpicum contrà Conſtantinum movere, multos eâ victoriæ ſponſione pellexit ad arma ſecum jungenda nempe : (verba ſunt Zoſimi) *Romanorum & Italorum octoginta millia : itemque Thuſcos quotquot univerſam oram maritimam incolebant. Præbebant & Cartaginenſes exercitum quadraginta millium & præter hos Siculi ; adeò quidem ut totus exercitus centum & ſeptuaginta peditum , decem atque octo millibus equitum conſtaret.* En quot miſerorum millia tres immundi ſpiritus divinationis Romanæ , Sortes , Augurium , Extiſpicium unà Maxentio congregaverint , vana ipſis proſperi ſucceſſus fiduciâ inſpirandâ , ad pugnandum contra Conſtantinum die illo decretorio quo univerſi erant ferro aut flumine perituri ; prælio nimirum ad Pontem Milvium pugnato ; cujus dies hîc vocatur *dies magnus omnipotentis Dei* , quo ſuam nimirum magnitudinem & omnipotentiam Chriſtus , in Crucis ſuæ ſigno vincens , per Conſtantinum , & de omnibus Romanæ ſuperſtitionis ritibus diligentiſſimè à Maxentio tunc victo fruſtrà obſervatis clariſſimè triumphans.

℣. 15. Ecce venio ſicut fur.

Chriſtus per hanc Conſtantini victoriam quodammodò in mundum venit , publicam ei & manifeſtam ſui notitiam ingerens. prædicens autem hoc ipſum ducentis fermè annis antea , dum hæc Joanni dictavit , admonet , tempus : iſtius ſui adventûs ignotum & inſuſpicabile diù forè ; nempe totis , ut dictum eſt , ducentis annis per quos Chriſtiana Religio ſub decem infeſtiſſimorum ipſi tyrannorum crudelitate gemuit : nulli erat humanitùs veriſimile ; extiturum aliquando Romanum Imperatorem , potentem , fortem , felicem , qui altè prælato crucis ſigno , ſibi oppoſitas Romanas Aquilas ſuis auſpiciis auguriiſque vallatas dejiceret victor calcaretque , & in ævum omne cruci ac labaro ſubjiceret. Opportune hîc igitur præmunit experturos illam duritiam infeſtorum temporum Chriſtianos , ſalubri adhortatione ad fiduciam in malis præſentibus tenendam ; expectandumque in illis obſcuriſſimis perſecutionum ſe alias ex aliis excipientium , noctibus , promiſſum exortum ſeræ lucis ; promiſſum autem , non in horam certam , qualis exortus ſolis ſtato ſemper & condicto momento redit : ſed inopinatiſſimo & minimè omnium per humanam ſagacitatem divinabili tempore : quale ſolet fur eligere ad irrumpendum in ædes quas cupit expilare.

Beatus qui vigilat : & cuſtodit veſtimenta ſua , ne nudus ambulet , & videant turpitudinem ejus.

Perſtat in allegoriâ comparante perſecutionum Romanarum tempora

nocti atræ, denſæ, diuturnæ, latronum aſſiduè undique imminentium inſidioſis graſſationibus ſolicitæ; per quam ideò conveniebat, vigilare veſtitos: ne ſi nudi ſomno ſe dederint, veſtes ipſorum rapiantur à furibus; unde ipſos contingat luce tandem exoriente, non habentes quo nuditatem ſuam tegant, publico ludibrio traduci. Hæc ad res è ſymbolis tranſlata quid ſignificent, docet S. Paulus; imagine indumentorum tegentium & ornantium corpora, virtutes animorum Chriſtianis commendatas exprimens. *Induite vos* (inquit ad Coloſſ. III. 12.) *ſicut electi Dei ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.* Ad Eph. VI. 11. *Induite vos armaturam Dei.* I. ad Theſſalon. v. 8. *Induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis.* Antea eodem capite dixerat, quæ peculiariter ad hunc locum facere videntur: *de temporibus autem & momentis*, (in græco περὶ χρόνων καὶ καιρῶν, de duratione perſecutionum & definitis deſitionibus earum, & initiis ſucceſſuræ tranquillitatis) *Fratres, non indigetis ut ſcribamus vobis: ipſi enim diligenter ſcitis* (ἀκριβῶς οἴδατε, vivâ ſcilicet voce de his, propheticâ nondum evulganda prænunciatione; ſermonibus in arcano habitis, edocti; quod indicat Epiſt. ad eoſdem Theſſal. II. cap. II. 5.) *Quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet: dies hic eſt* Domini, quem Joannes verſu ſuperiori vocavit *diem magnum omnipotentis* Dei: cujus exortus, non, ut quotidianus ſolis ſenſibilis conſtitutus ſit in ſtatam cunctis notam horam; ſed ex incerto arbitrio incertæ alienæ voluntatis pendeat: ut furis irruptio in domum, quam & noſter Apoſtolus Propheta hoc loco ſimilitudinem ponit, uti & in illo Paulus, ut mireris conſenſum duorum Apoſtolorum tam diſparatis occaſionibus & locis, idem diversè dicentium. Pergit ad Theſſalonicenſes Paulus v. 4. *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat.... Igitur non dormiamus* (quod fit depoſitis veſtibus) *ſed vigilemus* (adſtricta ſemper mentis artubus virtutum indumenta geſtantes. Quod eſt hic: *cuſtodire veſtimenta ſua.* quæret aliquis quò reſpiciant ſequentia: *ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus?* Reſpondeo: ea ſpectare morem Eccleſiæ antiquiſſimum plurimis SS. Patrum veterum, Conciliorum, & Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum teſtimoniis compertum, citandi ad Tribunal Eccleſiæ lapſos tempore perſecutionum, quam primùm id tutò fieri poterat, poſt pacem redditam. Tales autem convicti ſubjiciebantur pœnitentiæ publicæ, ignominiosè diù tractandi, donec expleto legitimo purgationis ſpatio, per ærumnas & dedecora patienter tolerata, culpis denique per longas lacrymas elutis, communioni redderentur; & quaſi *ſtolam primam* (ut ille rediens ab harâ & fame nudus prodigus Luc. XV. 22.) à paterna benignitate reciperent, reſtituti matris Eccleſiæ domeſtico cum fratribus convictui.

℣. 16. Et congregabit illos in locum qui vocatur hebraicè *armageddon.*

Post brevem paræneticam parenthesim, refert se ad prædictionem victoriæ Constantini de Maxentio sacer Vates, cujus designat locum, adaptato ei nomine sacris è libris sumpto, illi ob similitudinem tum formæ ac situs, tum rerum in eo gestarum, conveniente. Campus pugnæ inter Constantini & Maxentii exercitûs commissæ fuit, ex Zosimo, consentientibus cunctis, lata & equitabilis planities ad multa se millia passuum protendens ultrà Tiberim & Pontem milvium, in ipso Urbis Romæ prospectu, occasum versus: sed habens à meridie seriem collium ex eo monte, qui ad Romam Janiculum dicitur, se in occidentem porrigentium. Nomen hoc *armageddon* est, vox hebraica ex duabus composita, prior est הר *har* montem significans, altera מגדון *Mageddon*: quæ sonat congregationem ingentis armatorum invicem infestorum multitudinis, à radice גדד *Gadad*, quod solet exponi, *turmatim concurrere & de populari.* Nomen *Maggedo* sæpe legitur adaptatum æquori camporum amplissimè in longitudinem & latitudinem patenti, sito in Galilæâ, quod solet vocari *campus magnus & campus Esdrelon* aut *planities Galileę*, quo in loco memorabiles conflictus exercituum magnorum contigisse variis temporibus memorantur in sacrâ Historia, & quidem cum nece illic secuta Regis alterius partium. Josué XII. 21. Rex *Mageddo* ponitur inter victos & occisos à Josué IV. libri judicum narratur: Sisaram ducem exercitus Jabini Cananæorum Regis, Israëlitas tyrannide prementis, acie victum à Baraco, *ad locum Mageddo*, & in fugâ interfectum à Johele fuisse IV. Reg. IX. 27. Ochosias Rex Juda vulneratus in prælio à Jehu fugiens mortuus refertur in *Mageddo*. Denique IV. Reg. XXIII. 29. legimus de Josia: *in diebus ejus ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti.... & abiit Josias Rex in occursum ejus, & occisus est in Mageddo.* Idem repetit Autor Paralipomenon II. XXXV. 22. Zacharias Propheta eamdem Josiæ cladem memorans ן *nun* finale adjicit voci Mageddo, ut prorsus paria cum Joanne hîc nostro faciat, qui *Mageddon* scribit, eleganti allusione sic appellans transtiberinam illam Romæ suburbanam planitiem ubi victus Maxentius interiit in fugâ; sicut Ochosias & Josias Reges Juda pariter olim victi dum fugiunt apud *Mageddon* perierunt. Nec mira hæc transnominatio in tam obscurâ Prophetiâ, quæ & Babylonem ut vidimus pro Româ posuit, & Euphraten pro Tiberi: cum non videatur censuris eruditorum magnoperè futurus obnoxius etiam orator aut Poëta qui campum qualemcumque civilis prælii utcumque à Macedonia & Thessaliâ remotum, Pharsaliam appellasset: sic enim gallicas quasdam *cannas* translato à latiis vocabulo, Ausonius in Mosellâ nominavit, locum ubi magnâ suâ clade Galli pugnassent. Quia vero *Mageddon* seu *campus magnus Esdrelon*, mera & pura planities in Galilæa est nullo interrupta

rupta monte, cum tamen planities tranſtiberina quade agitur, modicis, ut dixi, collibus à meridie diſtinguatur, in quibus ipſis pars Conſtantini Caſtrorum fuit. ad hoc exprimendum ſacer Vates *Montis* nomen, quod Hebræis eſt *Ar*, voci *Mageddon* junxit, & *Armageddon* dixit locum in quem congregati Maxentianorum ducenta millia, à centum Conſtantinianorum millibus conciſa victa fugataque ſunt: mirâ mixtione Gentium: cum à Maxentio ſtarent, ut ait Zoſimus Itali, Thuſci, Siculi, Carthaginenſes: à Conſtantino Galli, Britanni, Germani; ne de nihilo putetur, hùc Congregationis injecta mentio: ubi, quod Propertius de Actiacâ navali pugnâ ſcripſit, *mundi coïere manus.*

℣. 17. Et ſeptimus Angelus effudit Phialam ſuam in aërem, & exivit vox magna de Templo à Throno.

Hic ſeptimus Angelus excidium ultimum non modò Imperii Romani Occidentalis, ſed & Urbis Romæ denunciat. Plaga iſta omnium ut extrema, ita maximè publica fuit; ideò in aëre ac luce meridianâ contigiſſe dicta, nempe in ſtatu atque Imperio illius inclytæ Romæ, quæ, ut ait ejus admirator vetus.

Imperium terris, animos æquavit olympo.

Niſi veriſimiliùs agnoſcimus emphaſim exciſæ jam ac deletæ funditus, non Monarchiæ tantum; ſed Urbis ipſius Romanæ, in eo quod plaga ſeu effuſio phialæ in ipſam directa, in aërem abiit, cum deeſſet corpus in quo reciperetur: quia, inquam, non ſupererat jam locus in potentiâ Cæſarum, & Imperio planè abrogato, & irreparabiliter extincto, in exautoratione ac relegatione Momylli Auguſtuli: in Urbe Româ ſæpe ſæpius direptâ, obſeſſâ, expugnatâ, incenſâ; noviſſimè per Totilam deſtructa, deſolata in *arcam deformium* ruderum & *ruinarum* verſâ, neceſſe fuit Phialam effundi *in aërem.* Imaginem rei declarandæ ſumo ex facto narrato Æneidos quinto, ubi deſcribit Poëta quatuor Arquitarum certamen, in columbam ſummo malo deligatam collimantium. Primus Hippocoon malum tranſverberat. Secundus Mneſteus funem rumpit. Tertius Eurytion evolantem columbam ſub nube figit. Ultimus Aceſtes cum deeſſet quò ſagittam dirigeret, eam in aërem emiſit.

Amiſsâ ſolus palmâ ſuperabat Aceſtes.
Qui tamen ætherias telum contorſit in auras.

Præmittitur ergo in ipſo primo ingreſſu vaticinii, de interitu Imperii & Urbis, indicium eventûs: dum in anteceſſum ſignificatur, utrumque periiſſe. Itaque antea quidem Phialæ irâ Dei plenæ partim in *mare* hoc eſt Urbem

Romam; partim in fontes & flumina, hoc eſt pagos & oppida Provinciarum; partim in *ſedem Beſtiæ*, ſolium ac majeſtatem Imperii, & ſic de cæteris, effundebantur: nunc quando *primum cœlum* (ut dicitur infra cap. XXI.) *prima terra abiit, & mare non eſt jam*, Phiala in vacuum aëris funditur. Non tacebo ſuſpicionem aliam ex illis capitis XXI. verbis mihi ſubortam. Quia enim ibi diſtinguuntur tria, Mare, Terra, Cœlum, ex quibus *Mare* urbem Romam deſignat; *Terra* totam latitudinem Imperii; *Cœlum* ſive aër videtur ſignificare famam ac gloriam; lateque ſparſam, altè infixam in animis hominum admirationem, quadam veneratione mixtam, potentiæ Romanæ: hæc, etiam Urbi per Alaricum & Genſericum captæ quodammodo ſuperſtes; poſt Odoacrem quoque & extinctum per hunc in Auguſtulo Romanum Italicum Imperium; poſt Regnum etiam Gotthi Theodorici durare ac vigere videbatur, primis maximè conatibus Juſtiniani & ſucceſſibus Beliſſarii ad Romam Italiamque Gotthis eripiendam incumbentium. Tum enim adhuc uſu & aſſuetudine ſperabant homines, reſurrecturam ex hoc quoque diſcrimine: ut olim ex tot aliis, Romam, iterùm ædificandam, denuò frequentandam: recuperaturam Auguſtos ſuos; rurſuſque pari ac prius ſplendore majeſtatem ſuam latiſſimè imperando monſtraturam. In *aërem* ergo, hoc eſt in has reliquias opinionis ac ſpei: ultima hæc plaga devolvitur, omne tale augurium perimens; & noviſſimam noviſſimarum hanc ejus futuram cladem, irrevocabili ſupremi omnipotentis judicis palàm pronunciato ac promulgato effato, decernens: hoc ſonat, illa *vox magna de Templo* in Græco additur *cœli, à Throno exiens*, &c.

Dicens: Factum eſt.

In originibus Græcis: λέλυται γέγονε. Fuit Roma: fuit Imperium Latinum; hoc eſt tranſiit, defecit, evanuit; numquam ultrà reſtituendum, ut apud Poëtam.

Fuimus Troes; fuit Ilium & ingens
Gloria Teucrorum.

Durabit adhuc diù Imperium Græcum Orientale in Occidente ipſo poſt annos trecentos renovabitur Gallicum, cui Germanicum ſuccedet: Latinum antiquum numquam reſurget, non erit ampliùs: in cenſu tranſactarum rerum, in ſolâ famæ memoriâ æternùm hærebit: γέγονε, fuit.

℣. 18. Et facta ſunt fulgura & voces & tonitrua.

Hæc quaſi adhibetur ſolemnitas & feralis pompa ultimæ pronunciationi decretoriæ ſententiæ, *voces* ex hebræo קולות *Koloth* ſignificant ſtrepitus immanes & terrificos quales exaudiuntur in ruinis ingentium ædifi-

ciorum, ut ille apud Lyricum Medis ipsis orbe penè toto ab Italia dissitis, tamen *auditus*

Hesperiæ sonitus ruinæ.

Sic enim, nè βαττολογικῶς continuentur merè synonyma, discriminanda est dictio *voces* à statim sequente *Tonitrua*. quæ clara & populari jam notione signat acutissimos, queis latè populi consternantur, bombos ex collidentium se invicem procelloso impetu, typhonibus hinc & hinc præcipitantibus, flictu nubium. Adverte, superiùs cap. XI. 19. pariter post promulgatam in Judæos decretoriam æterni exilii sententiam è *Templo Dei in cœlo* auditam, *facta*, quoque, ut hîc, *fulgura & voces & tonitrua*: quin &, velut hoc ipso loco *terræ motus* de quo mox.

Et terræ motus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus sic magnus.

Factus quidem, ut dixi, & *terræ motus* fertur damnatâ ultimùm & reprobata in ævum omne Synagoga, quo significatur ingens & mira commutatio facta destructione Urbis Hierosolymæ ac Templi, exterminioque totius Gentis Judaicæ ex avitis sedibus; sed illa unius demùm Nationis exciſio fuit: unde illam signans *terræ motus*, illo capite XI. 19. non, ut memoratus hoc loco, dicitur bis *magnus*, & exaggeratur comparatione *magnitudo* ejus, dum additur: *qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram.* Hoc, puto, pertinet, primò ad significandam amplitudinem Imperii eversi; secundò, modum peculiarem insigniter tumultuosum, quo illa eversio perpetrata est. Fuerunt ante Romanum Imperia magna: vetustissimum Assyrium, inde Medorum, tum Chaldaicum, post hoc Persicum & ab hujus eversore Alexandro inchoatum Græcum. Sed hæc cuncta latè se tantùm in Asiâ jactarunt. Europæ & Africæ non ultra citimas delibarunt partes. Imperium Romanum ad totam prorsùs Europam, universam Africam, & Asiæ partem multò maximam & florentissimam adjunxit. Hinc in visione Regnorum terræ sub symbolis Bestiarum quatuor ostensa Danielì, cap. VII. Prophetiæ ejus; quarta Bestia Romanũ signans Imperium (nam sub uno illic Assyrio Medicum & Chaldaicum comprehenduntur) insignis præ cæteris depingitur his verbis: *Et ecce quarta bestia terribilis atque mirabilis & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, dissimilis autem erat cæteris bestiis quas videram ante eam.* Hæc Daniel. Pro mole igitur hujus Imperii majori, strepitus & commotio ejus eversione facta, *terræ motus* non solum *magnus*, sed omnium unquam factorum à Mundi principio *maximus* dicitur. Modus quoque quo est factus singulare aliquid habuit. Tria Imperia priora uno velut ictu conciderunt. Chaldaicum quidem ultima pars Assyrii,

unica expugnatione Babylonis in Cyri fundatoris Monarchiæ Persarum jus atque arbitrium transiit. Dario ultimo Monarchæ Persarum Alexander uno ad Arbellas aut Gaugamela prælio Imperium Græcis deinceps asserendum eripuit. Denique Lucius Scipio Asiaticus una item acie, qua cum Antiocho debellavit, finem Imperio Græcorum imposuit, initium Romano dedit. Non tam brevi aul facili morte defunctum est propriè Romanum Italiæ atque Occidentalium Regnorum Imperium, cum ipsa urbe: longâ miseriâ per ærumnosos gradus ad supremam tam Monarchia quàm Urbs catastrophen pervenit. Imperii quidem depressio à morte Valentiniani Tertii, quæ anno Christi 455. contigit, initium habuit, anno Christi 476. terminata est exautoratione Augustuli. Intervallum illud annorum viginti nihil nisi ignominiosissima traductio Imperii Romani fuit, à decem Barbaris Populis undecumque in illud irrumpentibus; opimis interim Provinciis, & Italiâ ipsâ, spoliatum, quando Ricimer Gotthus, Odoacer Erulus, aliiq; Principes Barbari, producendis velut in scenam miseris Imperatoribus Avito, Majoriano, Severo, Anthemio, Olybrio, Glycerio, Julio Nepote, Momyllo, iisque mox nece aut relegatione amovendis, contumeliosissimè in Orbis oculis illuderent spretæ per ipsos ac conculcatæ solii Romani majestati. Excidium Romæ diutius etiam tractum est. Initium cladium ejus ducitur ab anno Chr. 410. quo ab Alarico capta direptaque est. Anno post hunc quinto & quadragesimo à Genserico Vvandalo iterùm capta: licentiùs etiam avariúsque direpta est, Gazâ omni Imperatoriâ statisque & ornamentis speciosioribus ablatis. occupatur tertiò ab Odoacre Erulorum Rege an. Chr. 475. qui in eâ Regis nomine (nam Augusti titulum sprevit) annis septemdecim supremam exercuit potestatem. quoad victus & occisus locum dedit Theodorico Gottho, & ejus Posteris successoribus, Athalarico & Theodato qui Romæ regnarunt ab anno Chr. 493. ad 537. per hæc tempora spoliata Imperio Roma impunè calcata est ab Erulis, & Ostrogotthis Nationibus Barbaris, fame pulsis à patriis sedibus; ut tunc patratum eventu videatur illud Isaïæ vaticinium cap. xxvi. 5. *Incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem: conculcabit eam pes* (Odoacer Erulus) *Pedes pauperis gressus egenorum*, Theodorici & duorum nepotum ejus Athalarici & Theodati.

Cæterùm hæc præludia duntaxat malorum Romæ fuere: tum enim capta est à Belisario, quem Justinianus contrà Gotthos miserat: quo urbem ingresso, Roma statim à Vitige novo Gotthorum Rege, centum quinquaginta millium exercitum ducente obsessa est. In hac longissima obsidione bello simul ac peste afflicta Roma est: sed præsertim fame tanta, ut plurimi ex eâ morerentur, non pauci, homines ad id occisos comederent. Paulò post iterùm à Gotthis obsidetur Roma, ac tandem capitur à Totila, qui tantum quingentos è plebe homines in eâ reperit, cæteris omnibus, qui non antea fugissent, fame aut lue absumptis. Tum Romam funditùs exscin-

dere, muris ejus cunctis ædificiisque diruendis, aggressus Totilas, plurimis eversis, ut aliquid intactum relinqueret, persuaderi sibi à Belisario per litteras passus est. Urbis tamen solum planè vacuum, recedens cum exercitu reliquit, neminem prorsus passus ibi residere. Hæc nondum fuit ultima Romæ catastrophe: nam hæc à Belisario utcumque restaurata denuò, à Totila capta est. Vide Procop. lib. III. cap. 36. His prudens Lector consideratis, facilè, ni fallor, statuet convulsionem cunctarum Orbe toto humanarum rerum, quæ Imperii Romani Occidentalis & Romæ Urbis eversionem, annorum ferè sexaginta continuo tumultu, comitata est, verè hîc dici *Terræ motum magnum qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram*.

℣. 19. Et facta est civitas magna in tres partes.

Alludunt hæc verba locum Ezechiëlis cap. v. 12. *Tertia pars tui* (alloquitur Deus Hierosolymam) *peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam verò partem in omnem ventum dispergam.* Simile Dei ultoris fuisse de Româ decretum hic videtur Joannes innuere, sanè id eventus comprobavit. Audiatur rem narrans Procopius oculatus penè testis: nam cum ultimò capta est post longam & diram obsidionem à Totilâ Roma, prope is aberat in portu Romano cum Belisario degens. Scribit igitur ille lib. III. de Bello Gotthico cap. XXII. Regiæ Editionis ex Interpretatione Claudii Maltreti nostri, de Totilâ post Romam ex parte destructam, & collocatam in stativis apud Algidum partem exercitus, ut inde ex propinquo prohiberet, ne Belisarius in solum ubi Roma fuerat posset accedere. *Ipse reliquum exercitum adversùs Joannem & Lucanos duxit, Romanos Senatores secum habens: cæteros cives omnes cum uxoribus liberisque in Campaniam misit, nec Romæ quemquam morari passus, Urbem reliquit penitùs vacuam.* En, ni fallor, tres partes Romæ totius; hoc est omnium hominum qui Romam incolebant. Prima eorum est qui tempore obsidionis ferro, fame, aut morbo perierant. Altera Senatorum quos secum Totilas ducebat. Tertia reliquorum omnium Civium cum uxoribus & liberis, quam in Campaniam misit. Quod si cui per Romam muros, domos & ædificia magis placet intelligere, etiam sic *factam* esse *civitatem magnam in tres partes* reperiemus: hæc enim eodem capite idem Procopius paulò superiùs dixerat: *Statuit Romam solo æquare Totilas... Ergo muros diversis in locis diruit: ita ut ruinæ tertiam ferè totius ambitûs partem efficerent.* Græca sic habent: τὸ μὲν ἓν περιβόλου ἐν χωρίοις πολλοῖς ποσῆτον καθεῖλεν, ὅσον ἐς τεταρτημόριον τοῦ παντὸς μάλιστα tertia pars murorum eversa, duæ semirutæ relictæ.

Et civitates Gentium ceciderunt.

Ut Roma *civitas magna* hîc vocatur, quippe omnium Orbis noti tum maxima, ſpatii amplitudine, numero & magnificentia ſtructurarum, operumque inſignium; denique multitudine aut habitantium, aut diverſantium in eâ mortalium: ita *civitates Gentium* dicuntur Urbes primariæ metropoles Regnorum aut Provinciarum Romano ſubjectarum Imperio in Africâ, Hiſpania, Britannia, Galliâ, Germania, Illyrico, Inſubriâ, Sicilia, &c. ad Imperium enim Occidentale, cujus ſolius & Urbis Romæ hîc prædicitur interitus, hæc Prophetia reſtringitur. Significant igitur hæc verba, fore ut per hæc tempora ſeneſcentis & vergentis ad ſuum finem Imperii Romani Occidentalis, & Romæ Urbis à Barbaris ſubactæ, pariter ab iis caperentur Urbes Provinciarum præcipuæ. Id manifeſto perpetratum eventu eſt redactâ in Genſerici & Vvandalorum poteſtatem Carthagine in Africa, Aquileja ab Attila expugnata; & his ipſis ultimis belli Gotthici à Juſtiniano per Duces & exercitus in Italiam miſſos geſti temporibus, Mediolanum à Gotthis regnante Vitige captum & deſtructum eſt: narrante Procopio lib.II.de Bell.Gotth.c.XXI. ubi & urbes univerſæ Liguriæ quæ Romanis præſidiis tenebatur,iiſdē deditas addit.Totila Neapolim capit. Proc. lib.III.c. VII. Tibur idem Totilas cap.Proc.cap. X. Aliæ multæ per iſtū tractum temporum clararū Romanæ ditionis urbium occupationes per Barbaros in Occidente facilè cuivis legenti Hiſtorias occurrent. A nobis hîc memoratæ abundè ſunt ad fidem adſtruendam Vaticinio quod tractamus.

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.

Anacephalæoſis hæc eſt & brevis collectio dictorum, oſtendens quam feverè Deus ultionem juſtiſſimam ſumpſerit de Roma Idololatra Perſecutrice Sanctorum novies illam ab anno Chr. 410. ad 553. mutare dominos decernens, obſidionibus plerumque longis & ærumnoſiſſimis, aut cruentiſſimis expugnationibus. 1. Enim capta per Alaricum eſt. 2. Per Genſericum. 3. Ea potitus Odoacer eſt, cui eam. 4. Theodoricus eripuit. contra Gotthos Beliſſarius veniens quintò eam occupavit, & mox contra Vitigim diù & ſævè oppugnantem defendit. Obſidione attritam diuturna eandem tandem 6. Subegit Totilas & plenè victor muris nudatam deſolavit. Obtinuit eam 7. Beliſſarius & utcumque reſtauravit. Octavo eam iterum Totilas dura & diuturna obſidione domitam ſibi aſſeruit. Sed eam Narſes nonò & ultimo expugnatam Juſtiniano ſubjecit. inter hæc tantis cædium, peſtis, famis, expoliationum, captivitatum, deſolationum, omnis generis cladium extremis miſeriis afflictam: ut omnes fando auditas ab omni ævo urbium & Populorum infelicitates longè una ſuperaverit, ut cujus impietas,

crudelitas, & ſuperbia Babylonis erat veteris ſacrilegia, ſcelera, faſtumque ſupergreſſa; pariter illius pœnas ſuppliciorum atrocitate, iteratione ac diuturnitate tranſcenderet.

℣. 20. Et omnis Inſula fugit.

Inſulæ hîc dicuntur loca, Urbes & Provinciæ adjacentes mari, commoditate portuum ſitu & munitione Arcium cæteraque copia, ac rei nauticæ facultate opportunæ ad quæſtuoſa commercia Navigationum, & claſſium armatarum Expeditiones. Tales erant Africæ ora omnis Mediterraneo imminens: hujus Maris Inſulæ Sicilia, Sardinia &c. Liguria, Campania, & quidquid terrarum Jonio & Adriatico imminet. Gallia Narbonenſis, Hiſpania, Dalmatia, Partes Galliarum Oceanum ſpectantes. Has omnes Provincias iſtis extremis languentis Imperii Romani temporibus diverſæ Gentes Barbaræ Romanis ereptas occupavere. unde illæ hîc fugiſſe dicuntur, hoc eſt dominos mutaſſe, in jura tranſcriptæ Vvandalorum, Vviſigothorum, Erulorum, Gepidarum, Francorum, &c. prout ex Hiſtoricis rerum iſtarum manifeſtè patet.

Et montes non ſunt inventi.

Figurata & hæc locutio eſt Prophetæ noſtri perſequentis allegoriam ſupra nominati *terræ motus magni*, qualibus contingit interdum imis convelli ſedibus Inſulas & aboleri, Montes qui prius eminuerant abſorberi terra dehiſcente. cæterùm ut illic Inſulas non ſtrictè uſurpavit pro circumambitis aquâ terris, ſed incluſit in eum ſignificatum, uſitato ſcripturis more, portuoſos quoque terrarum tractus, ut diximus, ſic hoc loco per *Montes* loca munita & Arces præſidiis validis inſeſſas, clauſtra Imperii & claves Provinciarum, præſertim limitanearum, intelligit: ſignificans eas omnes aut à Barbaris occupatas, aut dirutas, in poteſtate Romanorum eſſe deſiiſſe extremo iſto ſpatio declinantis in interitum Occidentalis Romani Imperii, & Romæ ipſius cum ultimis calamitatibus miſerrimè luctantis. Vide quæ ſupra dixi ad illa verba capitis VIII. verſ. 8. *Mons magnus miſſus eſt in mare.* ubi per *montem* Arcem Antoniam ſignificari demonſtravi. ſanè apud Prophetas ſubſtructiones quaſlibet etiam in plano ſitas, præſertim ad uſus bellicos paratas, *montes* appellari, videre eſt apud Iſaiam XIII. 2. cui Babylon. *Mons caliginoſus* dicitur, utcumque in campo puro & æqua planitie conſtructa.

Quamquam hæc ſint veriſimilia: tamen cum hîc peculiariter agatur de Urbis Romæ ultima everſione per Totilam, qua eam Gotthi planè vaſtarunt, non privatis ſolum ædificiis exciſis, ſed & publicis & ipſis adeò mœnibus: magis propendeo ad nomen Inſularum hic uſitata probis antiquæ latinitatis autoribus notione accipiendum, pro maſſa contiguarum invicem

domuum intra Urbem quam viæ publicæ circumeunt. Tacitus Annal. xv. agens de Urbis incendio ſub Nerone *domuum* (inquit (*& Inſularum .... quæ amiſſa ſunt numerum inire haud promptum fuerit.* Suetonius in Nerone cap. xxxviii. de eodem incendio: *Tunc præter immenſum numerum Inſularum, domus Priſcorum Ducum arſerunt.* Hæ ſunt igitur *Inſulæ* quæ hîc *fugiſſe* dicuntur, uſitatiſſimâ ſynecdoche contenti pro continente: quod qui in iis habitare ſoliti erant, iis direptis, exuſtis, deſtructis, aut ſponte, aut Totila cogente, aliò iverint. *Montes* autem hoc loco memorati ſunt ſeptem celebres urbis Romæ colles, qui deſtructa per Totilam urbe ruinis oppleti, coæquatis hinc inde vallibus agnoſci vix poterant: unde dicuntur *non fuiſſe inventi.*

℣. 21. Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cœlo in homines.

Sicut terræ motus paulò ſuperiùs ſymbolicè memoratus eſt ad deſignandam converſionem & perturbationem ingentem in rebus humanis factam: ita quæ hîc memoratur *grando* ταλαντιαία *Talenti molem & pondus habens*, allegoricè ſumenda eſt, ut ſignificet obdurationem cordium, quæ tempore iſtarum urbis Romæ calamitatum in omnis generis hominibus planè prodigioſa obſervata eſt. Etiam ſupra cap. ix. poſt deſcriptas Hieroſolymæ ac Gentis Judaicæ clades horrendas, tanquam mira res notatur, quod ex tam evidenti demonſtratione divinæ juſtitiæ in Judæos, non profecerint. Gentiles ipſi ad pœnitentiam & emendationem ſcelerum iis parium ob quæ tam ſeverè punitos Hieroſolymitas videbant. Toto ſimiliter iſto Imperio & Urbi Romæ calamitoſiſſimo tempore Barbaricarum Incurſionum incredibilem apparuiſſe Romanorum hóminum obſtinationem in vitiis, Scriptores iſtius ævi teſtantur: præſertim Salvianus, cujus octo inſcripti de Dei gubernatione libri in hoc fermè unicè argumento verſantur. Hanc ergo duritiem cordium prævidens futuram Vates noſter, imagine *grandinis* enormiter magnæ exprimit, quam *miſſam de cœlo* addit, ut ſignificet ultrici Dei permiſſione in cumulum pœnarum additam. Sic paſſim iteratur in libro Exodi Deum induraſſe cor Pharaonis, quia ipſum ſua ſe malitia indurare permiſerit.

Et blaſphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis quoniam magna facta eſt vehementer.

Ex obdurationē, quæ eſt *plaga grandinis magna vehementer*, erumpebant homines in querelas contra Deum impias & Blaſphemas quaſi is Romanos injuſtè vexaret, aut dormitante providentia res humanas agi ferrique temerè ſineret, cum iniquitates ſuas quibus meruerant ſic affligi, agnoſcere & emendare nollent. Videndus præter alios hæc deplorans Salvianus.

AD

AD CAPUT XVII.

℣. 1. Et venit unus de ſeptem Angelis qui habebant ſeptem Phialas.

HIs indicatur, viſionem hoc cap. XVII. referendam priùs ea quæ ſuperiori capite XV. deſcripta eſt, Joanni fuiſſe oblatam: quandoquidem qui eam monſtravit Angelus unus è ſeptem Phialas habentibus, ſuam adhuc, nondum effuſam manu tenebat Phialam. ſanè reſumuntur in præoſtenſis viſione modò enarranda quædam haud paulò anteriora ultimis Imperii Romani temporibus, ut videbimus.

Et locutus eſt mecum dicens: veni oſtendam tibi damnationem Meretricis magnæ quæ ſedet ſuper aquas multas.

Damnationem, in græco κρῖμα *judicium*, videtur hic poſuiſſe Angelus pro cauſa damnationis; hoc eſt criminibus ob quæ juſto Dei judicio damnanda erat. Ea fuerunt Idololatria, non ſolùm exercita, ſed etiam obtruſa Regibus & Gentibus exemplo ejus & Imperio adactis ad cultum falſorum Deorum, denique injuſta perſecutio & cædes Chriſtianorum. quorum ſcelerum aperta præfert indicia ſpecies Joanni oſtenſa, ut ex dicendis patebit. Quid ſint *aquæ* ſuper quas meretrix ſedet, declarat Angelus v. 15.

℣. 2. Cum quâ fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui habitant terram de vino proſtitutionis eius.

Duplici ſymbolo fornicationis & ebrietatis Idololatria deſignatur in his verbis, vehemenſque in ſuperſtitiones ſtudium inſpiratum per Romanos Regibus & Populis eorum Imperio ſubjectis.

℣. 3. Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum & vidi mulierem ſedentem ſuper Beſtiam coccineam.

Hæc eſt Roma vetus, & Romana potentia, inſidens Idololatriæ: Hoc eſt, auſpiciis, auguriis, ſortibus, ac Jovis Capitolini, Martis, Quirini, Veſtæ aliorumque falſorum Numinum favori felicitatem ſuam imputans. Beſtiam dici Idololatriam, aut falſum quemcumque Deum, ſæpe jam viſum.

cur *Bestia* hic coccinea pingatur, causa eadem est, ob quam idem signans Draco supra memoratus capite XII. *Rufus* dictus est: quia nimirum Gentiles Idolorum suorum vultus rubrica fucare consueverant. ut præter innumera Gentilium ipsorum testimonia, etiam testatur Autor Canonicus Libri Sapientiæ cap.XIII.14. ubi de artifice Idolum ex ligno formante ait: *Perliniens rubricâ & rubicundum faciens fuco colorem illius.*

Plenam nominibus Blasphemiæ.

Hæc non ad Mulierem, sed ad bestiam referri patet ex græcis Originibus. ubi cum γυνὴ *mulier* nomen femininum sit, vox verò significans Bestiam, θηρίον, neutro genere signetur, huic aptatur adjunctum, *plenam*, γέμων, neutrius generis formam gerens. *Bestia* significans hîc collectionem omnium falsorum Deorum Idololatriæ Romanæ, dicitur *plena nominibus Blasphemiæ*: quia cum Iupiter vulgò vocabatur *optimus & Maximus*: Mars *arbiter Bellorum & victoriarum largitor*, Minerva *præses sapientiæ*, Neptunus *maris Dominus* & *tempestatum moderator*. Apollo *futuri præscius & Literatorum Pater*, &c. hæ totidem erant blasphemiæ, ademptos Deo vero titulos dæmonibus, & Idolis tribuentes.

Habentem Capita septem.

Participium, *habentem*, ἔχον in græco, neutrius est generis. unde intelligitur ad θηρίον *bestiam* referri. infra v. 9. dicit Angelus *septem capita septem montes sunt, & septem Reges sunt.* Duplex significatus ejusdem unius symboli. de septem Regibus ibi dicemus. nunc videndum cur septem Urbis Romæ Montes *Bestiæ capita* dicantur. Bestia, ut sæpe dixi, in hac Prophetia Falsos Deos, eorumque illicitum cultum, Idola & Idololatriam signat: septem autem Romæ colles suis quique Idolis & superstitiosis eorum ritibus prophanati erant. Nam Palatinus dicatus erat Apollini; Capitolinus Jovi, Aventinus Dianæ & Herculi, Quirinalis Quirino sive Romulo, cujus ibi Templum stabat: Viminalis à Vimineo Jove ibi peculiariter culto in Ara luci viminei, nomen invenit, ut docet Varro. qui & de Esquilino tradit, peculiare huic numen fuisse Iunonem Lucinam, cujus illic Ædes erat, & juxta eam residens Æditumus. Denique septimus Coelius, omnium Etruscarum superstitionum sedes quasi patria, & officina aut schola propria fuit. Nam in eo, permissu Tarquinii Regis, Coele Vibenna, Dux Etruscorum, cum suis habitavit. Præter quæ variis subinde occasionibus multa diversorum & peregrè accersitorum Deorum Fana, Delubra, Simulacra, Aræ cum suis Flaminibus & religionibus, posita sunt in aliquo septem montium. Quin, ut publicâ professione constaret septem Romanos Montes totos deorum esse, celebrabatur quotannis id indicans Festum, cujus Plutarchus meminit Quæst. Rom. Problemate LXIX. & Varro lib.III.

de lingua Lat. *Dies* (inquit) *ſeptimontium nominatus ab his ſeptem montibus, in queis ſita Urbs eſt*, & Feſtus eam religionem diſtinctius exequens: *ſeptimontium dies appellatur menſe Decembri, qui dicitur in Faſtis agonalibus, quod eo die in ſeptem montibus fiunt ſacrificia.* En cur *Beſtiæ*, hoc eſt, Romanæ Idololatriæ, *capita* ſeptem Romæ colles hîc dicantur.

Et cornua decem.

Cum in ſeptem prius memoratis capitibus prophetica Syllepſi, ut declarat ipſe loquens Angelus infra verſ. 9. præter montes etiam totidem Imperatores Idololatræ, & Idololatriæ ſtudioſi promotores comprehendantur: qui ſunt, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Veſpaſianus & Titus: vice ſubjectorum Imperatoribus Regum, quales antea decem numeraverat cap. XII. 3. ut ibi declaravimus, hoc loco per idem ſymbolum decem cornuum, decem in anteceſſum deſignat nationes, ſuis ſubjectas Regibus, quibus juſtitiæ ſuæ miniſtris Divina Providentia uſura erat ad delendum Imperium Occidentale, in ultionem impiæ crudelitatis jam tum exerceri ceptæ perſecutione prima Neroniana, quæ cum hæc Ioanni monſtrabantur, jam evenerat; & ſubinde continuandæ vel iterandæ per Domitianum, Trajanum, Severum, Diocletianum & alios. Hi decem populi hujus viſionis oſtenſæ tempore adhuc Idololatræ omnes erant; & Romano Imperio utcumque ſubjecti; ſaltem nondum palàm rebelles: propterea hîc ſubjunguntur *beſtiæ*, & quaſi cornua capiti ejus adhærentia, repræſentantur.

℣. 4. Et mulier erat circumdata purpura & coccino & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis.

Hæc indicant opulentiam Romanam Orbis totius deprædatione congeſtam.

Habens poculum aureum in manu ſuâ plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ſuæ.

Fornicatio, ut diximus, Idololatriam in ſcripturâ deſignat, quia verò Roma ſuis legibus & exemplis Populos ſibi ſubjectos & Reges fœderatos inducebat ad cultum falſorum Deorum, quos ipſa venerabatur, & ad uſurpationem earumdem quas ipſa exercebat, ſuperſtitionum, dicitur hic propinare ſuum iſtud venenum in *poculo aureo*, quo ſignificatur autoritas ex antiquitate conciliata falſis erroribus, adjuta exteriori magnificentiâ Templorum, accedente opinione altè infixâ mentibus: è Deorum ſic cultorum favore oriri felicitatem ſucceſſuum bellicorum, totamque proſperitatem Imperii.

℣. 5. Et in fronte ejus nomen ſcriptum : Myſterium, Babylon magna : Mater fornicationum & abominationum terræ.

Vox, *myſterium* videri poteſt, non pertinere ad nomen mulieris : ſed poni per parentheſim, ad indicandum : id quod ſubjicitur vocabulum : *Babylon magna*, non, ut ſonat, ſed ſymbolicè, aut per accommodationem accipiendum. Veriſimilius tamen arbitror applicari Romæ hoc nomen in propriâ notione, quæ ſignat conſilium agentis ignotum circa rem notam : ſic enim libri Judith cap. 11. 2. Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum dicitur : *vocaſſe omnes majores natu, omneſque Duces & Bellatores ſuos, & habuiſſe cum eis Myſterium Conſilii ſui. Dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, ut omnem terram ſuo ſubjugaret Imperio.* Palàm cernebantur expeditiones bellicæ Ducum ab eo miſſorum, ut Holophernis in Regnum Iuda. Sed verus earum Scopus, cum varii in ſpeciem prætexerentur, in arcano erat ; & id vocatur *Myſterium*, conferamus hoc ad rem propoſitam. Proſperitas opes & ſplendor Imperii Romani figurata, veſte, auro, gemmis cæterâque magnificâ ſpecie mulieris hîc Ioanni oſtenſæ, omnium oculis cum admiratione obverſabatur. Sed nemo ſcire poterat quem ad finem quove conſilio Divina Providentia, quæ res mundi moderatur, civitati tam addictæ Idolis, & tam aliis omnis generis vitiis infami, tantam & tam conſtantem felicitatem indulgeret. Apparuit autem ex eventu poſtea iſte finis à Deo ſpectatus, & iſtud conſilium, expoſitum à S.Leone Papa ſerm. 1. in Natali SS. Apoſtolorum Petri & Pauli his verbis : *Ut autem hujus inenarrabilis gratiæ* (Redemptionis humanæ per Chriſtum) *per totum modum diffunderetur effectus, Romanum Regnum Divina Providentia præparavit : cujus ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum undique Gentium vicina & contigua eſſet univerſitas. Diſpoſito namque divinitùs operi maximè congruebat, ut multa regna uno confœderarentur Imperio ; & citò pervios haberet Populos prædicatio generalis quos unius teneret regimen civitatis.* Hactenus S. Leo. Igitur ille flos ac nitor, illa potentia Romanæ Reipublicæ, & inoffenſo victoriarum curſu ad cunctarum fere nationum Dominium progreſſa fortuna, neſcientibus cur adeò creſcere ſineretur, ænigma erat, tunc cum Angelus iſta monſtrabat, nondum enodatum : unde propterea mulieri ſic ornatæ, idem qui eam oſtendebat Angelus verum nomen impoſuit : *Myſterium* reliqua duo nomina, *Babylon magna*, & *mater fornicationum & abominationum terræ*, quomodo Romæ conveniant, in ſuperioribus declaratum eſt.

℣. 6. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu.

Hæc imperante Veſpaſiano, ut mox demonſtrabitur, Ioanni oſtendeban-

tur, paulò postquam Roma gaudens plaudensque spectaverat ingentem numerum Martyrum prima persecutione Neronis immanibus necis generibus absumptum; de quo audiendus est Tacitus, eò quod in ejus verbis cernitur, ipsam etiam Romam odio in Christianos proprio conspirasse cum sævitia Neronis, hausisseque & ipsam approbando & applaudendo Tyranni crudelitati, Sanctorum sanguinem, ut rectè illo ebria diceretur. *Ergo* (verba sunt Taciti) *abolendo rumori* (de incendio per Imperatorem procurato) *Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat.... Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis convicti sunt. Ea pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & circense ludicrum edebat habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo insistens: unde quamquam adversus sontes & novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publicâ, sed in sævitiam unius absumerentur.* Hæc ille: exquibus vides jure dici potuisse Romam *ebriam de sanguine Sanctorum & de sanguine Martyrum Jesu*, quem & sui capitis Neronis immanitate, & civium suorum præjudicato contemptu, & odio in Christianos, quos *sontes*, & *novissima exempla meritos*, & *odio humani generis convictos* existimabat, inhianter spectasse dum funderetur, & quodammodò avidè bibisse videri posset.

Et miratus sum cum vidissem illam admiratione magnâ.

Etiam Daniël, ut mihi videor alicubi superiùs annotasse, oblatam sibi sub aliâ quartæ Bestiæ specie Romanæ potentiæ imaginem præ cæteris se admiratum indicat, cap. VII. 7. videtur autem hîc expressæ *admirationis magnæ* Joanni causa fuisse, quidam excessus inopinatissimæ speciositatis ac pompæ, tantus visu deprehensus quantum exprimere verba non possent. fortassis etiam his indicatur Joannem, cui nondum Deus revelasset causam superiùs ex S. Leone relatam, concessæ divinitùs claritatis ac felicitatis in rebus humanis summæ Populo ac Urbi tam addictæ Idololatriæ, tam infensæ veræ Religioni, & aliis omnibus vitiis tam corruptæ, ejus fortunæ fulgorem attonito animo spectasse, venerantem cum stupore divinorum judiciorum abyssum.

℣. 7. Et dixit mihi Angelus: quare miraris? Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, & Bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem.

Pro voce *Sacramentum* hîc iterùm in Græcis Originibus est μυστήριον *Mysterium*, ut intelligatur, juxta expositionem paulò ante propositam,

ideo *Mysterium* vocatam, triumphantem Romam, quod finis ob quem tantam ei prosperitatem indulgeret Deus, & quamdiù hæc esset duratura, homines non intelligerent. admiratio, stupor est animi suspensi, dum effectus intuetur quorum causæ latent: quare hic ad amotionem admirationis à mente Joannis, congruè ab Angelo promittitur *expositio Sacramenti*, hoc est, retectio arcani sub quo abscondebatur humanæ notitiæ, finis ac terminus Romanæ felicitatis.

℣. 8. Bestia quam vidisti fuit & non est: & ascensura est de abysso: & in interitum ibit.

Omen ac specimen non æternæ futuræ, uti prædicabatur: sed maturè defituræ Romanæ potentiæ proponitur ab Angelo in personâ ac fortunâ Domitiani: qui cum Cæsar antea fuisset, immediatus Vitellii successor; tunc sub Vespasiano Patre privatus agebat: verum aliquantò post ascensurus denuò erat in solium; ac secundam post Neronem persecutionem in Christianos moturus: sed paulò post tragico exitu periturus. Bestia vocatur Domitianus, quia hoc nomen, ut antea diximus, Idolo, sive falso Deo, tribuitur. & ipse se Idolum fecit, dicens, & credi jubens se filium Virginis, natum è Pallade; ac dum Imperavit adorari pro Deo volens: refert enim Suetonius in ejus vitâ cap. XIII. præcepisse ipsum suis Procuratoribus, ut mandata ejus hâc præmissâ formulâ publicarent: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Vide quæ supra dixi ad vers. 3. capitis XIII. & quæ paulò post dicam. ad vers. II. hujus capitis. Quod dicit hanc bestiam *ascensuram de abysso*, significat malis & diabolicis artibus perventurum Domitianum ad Monarchiam, interempto per fraudem fratre majore post Patrem Imperante, Tito. Denique in interitum ituram; quia confossus in Palatio septem vulneribus interiit, vide Suetonium cap. XVII.

Et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam quæ erat & non est.

Inhabitantes terram quorum nomina non sunt in libro vitæ, sunt Pagani, quos omnes admiratos fuisse felicitatem domûs Flaviæ in evectione ad solium tertii ex eâ Cæsaris Domitiani, etiam anteà declaravit Vates noster cap. XIII. v. 3. causam insuper assignans peculiarem ejus admirationis & gratulationis, quòd eam prosperitatem existimarent rependi à Iove illi familiæ in præmium pietatis, quâ Templum Iovis Capitolini bello Vitelliano incensum, magnificentissimè restauraverat; quod opus à Vespasiano ceptum, à Tito continuatum, tandem à Domitiano perfectum est: aut saltem ejus perfecti fama latè per orbem est vulgata Imperium auspicante Domitiano. *Liber vitæ* dicitur hic Catalogus Deo notus omnium quorum animæ habi-

tuali sanctificante gratiâ ornantur : quales nulli præter Christianos erant. hic liber sive notitia præsens, in Dei mente jam tum ante *mundi constitutionem* fuit : quia Deus tunc & ab æterno clarissimè prævidebat, quinam consensuri libere forent vocationi & gratiæ omnibus offerendæ Prædicationis Evangelicæ. quos propterea ex tunc *ad vitam præordinasse* Deus scribitur act. XIII. 48.

℣. 9. Et hîc est sensus, qui habet sapientiam.

In Græco : ᾧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν. ex quo apparet τὸ *hîc* in latino, non pronomen masculinum, sed adverbium esse. Provocatur his verbis solertia perspicacis mentis ad intelligentiam enodandi mox gryphi, ut supra cap. XIII. 18. *hîc sapientia est, qui habet intellectum computet numerum*, &c.

Septem capita septem montes sunt super quos mulier sedet ; & Reges septem sunt.

De septem montibus abundè dictum ad vers. 3. Restat, quod in hunc condixi locum, de septem Regibus agendum. Hi sunt septem Imperatores qui rebus Romanis præfuerunt ex quo Romæ prædicari cepit Evangelium. S. Petrus, ex omnium veterum consensu, Romam venit anno Claudii secundo, Christi 42. & ibi prædicans Ecclesiam fundare anno sequenti Æræ Christianæ 43. cepit. numerentur à Claudio septem, summa desinet in Tito. Hos septem Reges hîc memorat Angelus agens de successibus rei Christianæ per istum temporis tractum annorum omnino undequinquagiata. nam an. Christi 81. mortuus est Titus.

℣. 10 Quinque ceciderunt.

In Græco : οἱ πέντε ἔπεσον. tam πίπτειν Græcè quàm *cadere* latinè de morte violentâ dicitur. narrat igitur historicè Angelus quinque primos Cæsares, ex his septem, nece illatâ periisse. Id verissimum testatissimumque est. Nam Claudius veneno sublatus est : Nero se ipse interemit, Galba Romæ trucidatus est, Otho victus Bebriacensi prælio seipsum jugulavit. Vitellius prævalentibus in Urbe Flavianis, occisus ibidem est.

Unus est.

Haud dubiè Vespasianus, quo imperante se hæc Ioanni ostendere clarissimè Angelus affirmat, & hinc incipit Prophetia : nam quæ hactenus sunt dicta, ex præteritâ memoriâ, aut præsenti statu, prolata sunt.

Et alius nondum venit :

Venire hic significat *inire possessionem Imperii*, quod Gallicè dici solet

l'avenement à la Couronne. Agitur hic manifestè de Tito Primogenito Vespasiani. Is *nondum venerat*, hoc est nondum Principatum capessiverat, quia Vespasianus adhuc erat, & imperabat cum ista dicerentur : hunc enim indigitat illud modò positum, *unus est.* non fuit autem Titus collega, sed heres & successor Patris, & non ante mortem hujus ad Imperium pervenit.

Et cum venerit, oportet illum breve tempus manere.

Cepit Titus Imperare Patre mortuo an. Christi 79. mense Iunio. desiit morte sublatus an. Christi 81. mense Septembri, cum regnasset annos duos, menses duos & dies 20. prout hæc constant omnia ex Dione, Suetonio, Eusebio in Chronico, &c. Pater ejus regnaverat annis decem, frater ejus Domitianus Imperavit post illum annis quindecim, biennium comparatum cum decennio, aut quindecennio, *breve tempus* est.

℣. 11. Et Bestia quæ erat & non est : & ipsa octava est, & de septem est : & in interitum vadit.

Subauditur hîc quod supra vers. 8. positum fuerat, *ascendit de abysso*, hoc est, malis & stygiis artibus, fratris Titi morte procurata, in augustale solium ascendit : non enim potest dubitari quin Domitianum hæc designent. is cur bestia dicatur, supra exposui ad vers. 8. quod additur : *quæ erat & non est* : declarat, quando hæc dicebantur, non fuisse Imperii compotem Domitianum : tamen anteà Imperasse ; quod verissimum est. Nam statim à nece Vitellii, Flavianarum partium jam planè Romæ victricium Duces, ne per absentiam Vespasiani & Titi adhuc in Asia aut Ægypto morantium, alius vacui principatus possessionem inire conaretur, secundo-genitum Vespasiani filium Domitianum adhuc adolescentem è paternis produxerunt Ædibus, qui statim acclamatus Cæsar est. En ejus facti testes. Tacitus sub finem lib. III. Hist. aliàs Annal. XIX. *Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum, & Cæsarem consalutatum, miles frequens, utque erat in armis, in paternos penates deduxit.* Idem initio libri sequentis : *Nomen sedemque Cæsaris Domitianus acceperat.* Posteà referens novi Cæsaris primum ingressum in Senatum : *Quo die*, inquit, *Senatum ingressus Domitianus, de absentiâ Patris Fratrisque, ac juventâ suâ pauca & modica disseruit, decorus habitu, & ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestiâ accipiebatur. referente Cæsare de restituendis Galbæ honoribus*, &c. Iosephus scriptor illorum temporũ, cui res domûs Flaviæ notissimæ fuerunt, ut qui ejus Familiæ intimus haberi voluerit prænomine Flavii assumpto, cap. XLII. libri IV. περὶ ἁλώσεως sive *de bello* juxta edit. Græcam pag. 828. edit. Basil. narrata Vitellii cæde sic infert. τῇδε ὑστεραίᾳ Μουκιανὸς εἰσιὼν μετὰ τῆς στρατιᾶς καὶ τὸν σὺν Ἀντωνίῳ παύσας τοῦ κτείνειν, καὶ προαγαγὼν τὸν Δομετιανὸν συνίστησι τῷ πλήθει μέχρι τοῦ πατρῴου ἀφίξεται ἡγεμόνα. *Postridie Mucianus*

cianus ingreditur cum Exercitu, & cohibitis à continuanda cæde Antonianis, productum Domitianum commendat Populo principem futurum usque ad adventum Patris. Suetonius in Domitiano cap. 1. *Post victoriam* (nempe de Vitellianis plenè, Vitellio cæso, reportatam) *demùm progressus, & Cæsar consalutatus .... omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut jam tum qualis esset futurus ostenderet .... atque uno die viginti officia urbana atque peregrina distribuit : mirari se Vespasiano dictitante, quod successorem non & sibi mitteret.* Hæc Suetonius, cui concinens Dio in Epitome Xiphilini recitat Epistolam Vespasiani ad Domitianum tunc scriptam, his verbis. χάριν ἔχω σοι, τέκνον, ὅτι με ἐᾷς ἄρχειν. καὶ οὐδέπω με ἐξήλευκας. *Gratias tibi habeo, fili, quod me finis imperare, & nondum me exautorasti.* Voluntas quidem ipsi ad hoc non defuit, si Tacito credimus : nam is sub finem libri IV. refert Domitianum *occultis ad Cerealem* Exercitui Gallico præfectum, *nunciis fidem ejus tentavisse, an præsenti sibi Exercitum Imperiumque traditurus foret. quâ cogitatione bellum adversus Patrem cogitaverit, an opes viresque adversùs fratrem, in incerto fuit. Nam Cerealis salubri temperamento elusit, ut vana pueriliter cupientem.* Ita ibi Tacitus. Appulso tamen in Italiam, & ingresso Urbem Patri obsequentem se præbuit, affectata simulatione simplicitatis & modestiæ, quod iidem Tacitus & Suetonius tradunt: imputari tamen sibi ad laudem genorosæ pietatis, & heroicæ moderationis volens, quod se ultrò redegisset in ordinem, quando poterat Imperium retinere. Itaque postea *Principatum* jam *adeptus* (verba sunt Suetonii cap. XIII.) *neque in Senatu jactare dubitavit : & Patri se, & fratri Imperium dedisse : illos sibi reddidisse.* Quod ei adulans Martialis Epigr. CIV. libri IX. sic expressit : *Solus Juleas cum jam retineret, habenas Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.* En igitur quàm appositè ad veritatem eventus hîc Prophetia prænunciet : Domitianum, qui Vespasiano imperante, fuerat, sed tunc non erat Imperator, denuò Imperii compotem fore. ac cum in prima sui evectione unus *de septem* fuisset; quippe Vitellio, qui in eo numero quintus fuit, immediatè substitutus : denique successurum Tito fratri, sic *octavum* à Claudio Cæsarem futurum. Postrema verba *& in interitum vadit :* prædicunt eum, ob intolerabilem crudelitatem, à Stephano & aliis conjuratis trucidandum. quod quemadmodum evenerit, vide narratum apud Suetonium cap. XVII.

℣. 12. Et decem cornua quæ vidisti, decem Reges sunt.

Hi *Reges decem* longè aliter hîc memorantur ac paulò superiùs vers. 9. non enim, ut ibi, significant septem personas sibi succedentes in regimine unius Imperii : sed nationes ac gentes diversas decem, monarchica regiminis forma utentes : quæ fama rerum gestarum, & successibus bellicis claruerunt sub extrema Imperii Romani Italici sive Occidentalis tempora. ad hoc enim se præsens Prophetia restringit : agens peculiariter de regno & se-

de Bestiæ, quæ appellatio non convenit Imperio Constantinopolitano Romæ Novæ, ab initio & semper merè Christiano. Eæ decem Gentes, prout ex eventu apparuit, & hodieque è fide Historiarum constat, fuerunt. 1. Vvisigothi, 2. Ostrogothi, 3. Vvandali, 4. Gepidæ, 5. Eruli, 6. Langobardi, 7. Burgundiones, 8. Hunni, 9. Franci, 10. Anglosaxones.

Qui regnum nondum acceperunt.

Nulla earum Gentium regnum Orbi palàm notum proprio nomine obtinebat tempore imperantis Vespasiani.

Sed potestatem tamquam Reges unâ horâ accipient post Bestiam.

Quod dicitur *unâ horâ*, significat, *velociter*, *repente*; ac distributivè sumendum est, ut singillatim conveniat singulis illis Gentibus, quæ variis temporibus subitâ quadam conversione rerum, in aliquâ quæ Imperio priùs Romano paruerat, regione Regnum adeptæ sunt. Bestia hic juxta nuper dicta, intelligitur Domitianus: nullius enim istorum institutio Regnorum ante ipsius finem contigit: convenientius tamen mihi quidem apparet, Bestiam hic sumere qualis supra, capite XIII. memorata est, conflata, ut illic declaravi, in unum symbolicum quasi monstrum uno simulacro connectens omnes Cæsares post Neronem persecutores Christianissimi, contractos in Decadem, quam claudit Diocletianus pro uno numeratus comprehensis in eo Collegis, Herculio, & hujus credito filio, Maxentio, Galerio, Armentario, Maximino, & Licinio. Post hanc bestiam in istos pedes Ursi, Diocletianum, Maximianum cum filio Maxentio, Armentarium, Maximinum, & Licinium desinentem, hi *decem Reges accepisse potestatem*, dicuntur, quia non ante Diocletiani & Collegarum Christo infensorum exitum prævaluerunt hæ Gentes contra Romanos: adeo ut in aliquâ Imperii Romani Provincia Regnum sibi stabilirent. imo nec sub Constantino aut filiis ejus, nec sub Valentiniano primo, aut Theodosio majore: sed tantùm sub hujus filio Honorio, qui Vvisigothis Narbonensem Galliam, & Hispanias condonavit: sub quo etiam Vvandali, Alani & Suevi à Stilicone ejus Socero, Imperium Eucherio suo filio parante, evocati, Hispanias inter se partiti sunt: sed in his Suevi & Alani regnum suo nomine non fundarunt. Vvandali verò inde transeuntes in Africam, ibi diù regnarunt: aliis post hæc subinde atque aliis enumeratarum decem Gentium alias Occidentalis Imperii Provincias occupantibus, donec id totum Romanis eripuerunt ante annum Christi 500.

℣. 13. Hi unum consilium habent, virtutem & potestatem Bestiæ tradent.

Hi Populi omnes singillatim variis occasionibus cum Romanis Imperatoribus Ethnicis, primùm, deinde etiam Christianis inierunt fœdera, copiasque iis subministrarunt, & pro iis pugnarunt. prout videre est apud Marcellinum, Procopium, Agathiam, Jornandem, Paulum Orosium, aliosque Historicos illorum temporum.

℣. 14. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est & Rex Regum. Et qui cum illo sunt vocati, electi & fideles.

Agnus hîc sine dubio Christi nomen est. Christum autem & Christianos decem hæ Gentes ab initio, exosos habuerunt, & persecutæ sunt. quippe Idololatriæ deditæ: sed posteà prædicationem Evangelii auditam susceperunt, & Christi jugo subdiderunt colla. in quo apparuit quantò potentior Augustis Romanis per has Gentes debellatis Christus Rex Regum esset. qui etiam ex iis Populis, Francos magno miraculo vocatos ad fidem, Rege Chlodovæo, singulariter electos & fideles sibi ad Ecclesiæ tutelam habuit.

℣. 15. Et dixit mihi: Aquæ quas vidisti ubi meretrix sedet, Populi sunt, & Gentes, & Linguæ.

Expositio expositione non indiget: clarè hîc profitetur Angelus, Aquarum symbolo Populos designari.

℣. 16. Et decem cornua quæ vidisti, hi odient Fornicariam.

Quin *Fornicaria* hîc dicatur Roma vetus, ut anteà *meretrix* & *mater fornicationum*, propter Idololatriam in se cultam, in alios propagatam, dubium non sinunt cuiquam esse priùs dicta. Quia verò illa Imperii præsidentia *sedens super aquas multas*, hoc est, *Populos, Gentes & Linguas*, Nationes situ, origine, legibus, moribus, sermone diversas, eas opprimebat pondere Principatûs & tributorum, omnibus illis gravis & exosa erat. Sed his præsertim decem ferocioribus, & non paucarum sibi conscîis virium: unde in his usque ad rebellandi audaciam odium erupit: prout futurum hîc prædixerat Angelus. Mira exactione ordinem & quasi gradus eventuum distinguens: nam hæ Gentes, præsertim Vvisigotthi & Ostrogotthi, quæstuosa primùm & utrinque infidâ societate Romanis junctæ, occultis & malè dissimulatis odiis rei semper Romanæ insidiatæ sunt, imminentes opportunitati ejus perdendæ.

Et desolatam facient illam.

Incursionibus hostilibus vastabunt, tum Provincias remotiores, tum ipsam Italiam & Latium, quod Gotthi, Vvandali, Langobardi sæpe fecerunt: denique Totilas illam funditùs desolavit, planè vacuam omni habitatore linquens.

Et nudam.

Prædabuntur opes, aurum, argentum, gemmas, vestes, vasa, signa, supellectilia exquisiti pretii auferent. Vide quæ Procopius habet de expilatione Urbis Romæ, per Alaricum Gotthum, & per Genserícum Vvandalum: illum dicens, nihil omninò alicujus pretii, neque publicè neque privatim reliquisse: hunc autem, quidquid omninò auri atque argenti repertum Romæ est, navibus impositum exportasse Carthaginem, ubi regnabat. Sed ultimam spoliationi Urbis Romæ manum Totilas Gotthus imposuit, dum post bona omnia direpta, domos omnes exinanitas, redactas ad mendicandum ostiatim etiam Senatorias anteà ditissimas familias, cunctis inde civibus, & cujuscumque sortis incolis expulsis, ut ne unum quidem caput ibi hærere pateretur, etiam eandem mœnibus, quæ sunt veluti vestes Urbium, nudavit: circumpositò exercitu qui prohiberet, ne quisquam ad solum desolatæ ac nudatæ Urbis accederet, quæ suprà ex Procopio retulimus.

Et carnes ejus comedent.

Loquitur de Romanâ potentiâ, ut de corpore, cujus caput Urbs Roma fuit; membra, Provinciæ: carnes, Provinciarum opes, proventus, agri, vectigalia. Quæ Gotthi, Vvandali, Franci, Langobardi, alii; in rem suam converterunt, occupantes loca Coloniis, & nova in iis regna constituentes.

Et ipsam igni concremabunt.

Hoc fecit Totilas Ostrogothorum Rex, ut testatur Procopius Gotthicorum IV. ἐπύγχανε δὲ Γωτθικὰς πολλὰς μὲν ἐμπρησάμενος τὰς τῆς πόλεως οἰκοδομίας. *Incendit Totilas multa Urbis ædificia.*

℣. 17. Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi.

Rabies quâ instinctus Totilas decrevit omninò Romam exscindere, ut ne monumentum quidem ejus ullum aut vestigium supereresset, inspirata il-

li à divina juſtitiâ hoc loco dicitur, hunc Miniſtrum adhibente ſuæ de illâ ultionis.

Ut dent regnum ſuum Beſtiæ.

Iſti decem Populi *dediſſe* dicuntur, *regnum ſuum Beſtiæ* : vel quia quodam tempore obſecuti ſunt Romanis Imperatoribus Idololatris, & Miniſtri fuerunt potentiæ ipſorum : vel quia Idololatriam Romanam, hîc Beſtiæ mentione ſignatam, & ipſi aliquandiu coluerunt : quoad in avitis perſtiterunt erroribus ; tandem tamen prava dedocti, Evangelium & Chriſti legem ſuſceperunt.

℣. 18. Et mulier quam vidiſti eſt Civitas magna, quæ habet regnum ſuper Reges terræ.

Civitates effingi formis mulierum uſitatiſſima Sculptoribus, Poëtis, omnis generis Scriptoribus res eſt. Paſſim in ſacris literis Proſopopœiæ tales occurrunt : quoties enim apud Prophetas legimus *Filia Sion*, *Filia Hieruſalem*, *Filia Babylonis*, *&c* ? Romam præſertim (de quâ hîc agitur clariſſimè : quæ enim erat præter illam alia tempore Veſpaſiani, *Civitas magna quæ regnum haberet ſuper Reges terræ ?*) Romam, inquam, ut Matronam, aut Deam, Reginæ formâ paſſim Gentiles, dum ea floreret, figurabant : ut unum è multis Poëtis eâ formâ uſis proferam, vide Claudianum de Bello Gildonico.

AD CAPUT XVIII.

℣. 1. Et poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam.

AD menſuram magnitudinis rei quæ, vel gerenda, vel promulganda, iſti Angelo commiſſa eſt, ſpecies ejus viſque accomodata memoratur his verbis : in hâc enim quaſi quadam Propheticâ ſcenâ, ex majeſtate divini Spiritus eam moderantis eſt, ut omnia quàm aptiſſimè ſibi reſpondeant : ac præſertim veſtes inſigniaque Perſonarum officiis ac moribus ipſorum, negotiorumque quaſi naturis exactè conveniant. Porrò negotium huic Angelo mandatum fuit everſio ultima Urbis & Potentiæ Romanæ, & hujus cataſtrophes per Orbem univerſum, perque omnium poſteritatem ætatum palàm omnibus manifeſtanda notitia. Decuit igitur, quin & oportuit ; non

vulgarem ei potentiam cultu, vestitu, comitatu declaratam (qualis hîc ἐξουσίας *potestatis magnæ* vocabulo exprimitur) tribui: quæ summæ omnium humanarum potentiæ, ac penè humanum supergressæ fastigium, par dejiciendæ ac frangendæ fore, specie ipsâ primâ monstraretur.

Et terra illuminata est à gloria illius.

Idololatria & prava superstitio, adjunctâ perversitate morum, tenebrarum nomine in Scripturis adumbrantur. Hinc *Mundi Rectores*, hoc est, superstitioni ac vitiis omnibus fovendis ac propagandis invigilantes Dæmones, alio veluti *Mundi* synonymo, *Rectores tenebrarum harum*, à Paulo Eph. VI. 12. vocantur, fortè respiciente illud Christi ad milites se comprehendentes dictum Luc. XXII. 53. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Unde Christus idem Luc. XVI. 8. *Filiis hujus sæculi* opponit *filios lucis.* Certum est autem Romanam potentiam quamdiù stetit, etiam sub Christianis Imperatoribus, magnum impedimentum objecisse plenæ conversioni Mundi totius ad Christi Religionem ac probos mores: semper enim sub religiosissimis quoque Principibus, Constantino, Gratiano, Theodosio, Senatus Romanus pertinacissimè avitis superstitionibus adhæsit; & S. Hieronymus suo tempore, nempe sub Theodosio & Honorio, Idololatriam Romæ liberrimè & frequentissimè fuisse exercitam docet in Commentario ad vers. 7. capitis LVII. Isaïæ; *super montem excelsum & sublimem.* &c. sic scribens: *Ipsaque Roma Orbis Domina in singulis Insulis domibusque Tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem Ædium isto appellant nomine: ut tam intrantes quam exeuntes domum suam inoliti admoneantur erroris.* Hæc ibi S. Doctor. & alibi, nimirum Epist. ad Paulinianum fratrem, Romanam Urbem, quantumvis sub Honorio Christianissimo Principe, & sub Damaso sanctissimo Pontifice, tamen ita moribus & superstitione corruptam depingit, ut *purpuratam meretricem* vocare non dubitet: ac se pertæsum impietatem ejus, Bethleemum confugisse significet, ut *ibi sacris studiis & divinarum rerum contemplationi vacaret, quod non posset canere canticum Domini in terrâ alienâ.* Arce autem istâ nequitiæ & superstitionum per Totilam denique funditùs erutâ, magna lux veræ Religioni affulsit: intelligentibus jam palam cunctis, non profuisse Urbi Romæ superstitiones suas, quibus antea Imperii felicitatem acceptam referre Idololatræ consueverant. Itaque hodie quoque unum è maximis argumentis ad credibilitatem Christianæ Religionis afferri solitis, est victoria Christianissimi de Romanâ superstitione reportata, & Diocletianorum ac Julianorum pro hâc contrà illum irriti conatûs.

℣. 2. Et exclamavit in fortitudine dicens: cecidit, cecidit Babylon magna.

Dei actio per verbum cuncta facientis, per locutionem exprimitur in totâ Hiſtoriâ creationis rerum Gen. I. & Pſ. XXXII. *Ipſe dixit & facta ſunt*, &c. Angelus ergo iſte Dei vices gerens non merè aut otiosè clamat, cecidiſſe Babylonem: ſed hunc ipſum ejus caſum operatur; & ſuam actionem clamore iſto ſignificat. Quod ſi loqui Dei facere eſt, clamare Dei erit efficere fortiùs & vehementiùs ſolito: *Clamare autem in fortitudine*, erit quaſi totis viribus contendere in opere maximè arduo, & ſummæ credito difficultatis. Non actionem autem, ut dixi, ſolam, hoc eſt, Everſionem Romæ, clamor hic deſignat: ſed etiam terribilem ejus cladis famam per omnes Orbis Gentes & per omnes ætates ſonorè divulgatam; id ſedulò agente Providentiâ: ut cujus Urbis ſcelera tam publica fuerant, ejus ſupplicia non minùs eſſent manifeſta. Babylonis porrò nomine Romam intelligi, fruſtrà ſit monere: cum id tam clarè tamque ſæpe demonſtratum fuerit ſuperiùs.

Et facta eſt habitatio Dæmoniorum & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.

Loca dira & peſtilentia, habitationi hominum inepta, frequentantur à malis dæmonibus, quos multos Deus errare ſinit per hunc aërem, unde vocantur *aëreæ poteſtates*: & eorum Coryphæus Eph. II. *Princeps aëris hujus*. Id experientiâ conſtat tetrorum ſpectrorum ſæpe in iis locis apparentium: idipſum docent ſacræ literæ; puta illud Chriſti Matt. XII. 43. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, &c.* Illud Tobiæ VIII. 3. ubi Aſmodæus à Raphaële religatus dicitur in deſerto ſuperioris Ægypti. Denique dum aiunt Evangeliſtæ Mat. IV. Marc. I. Luc. IV. Chriſtum *ductum eſſe à Spiritu in deſertum ut tentaretur à Diabolo*, indicant deſertum propriam eſſe ſedem ac regnum Diaboli, cujus rei aſſignari cauſa poteſt, vel μισανθρωπία *odium humani generis*, quo ingenti & implacabili dæmones flagrant; vel Dei nobis conſulentis imperium, quo poteſtates noxias ab opportunitatibus nocendi removet. Obſervatur autem malos dæmones potiſſimùm delectari ſolitudinibus illis, quæ ex frequentiâ, per clades, calamitateſque factæ ſunt. Itaque nihil in communi ſermone frequentius narrationibus lemurum in Ædificiorum olim inclytorum ſemirutis reliquiis præſentiam ſuam præſtigiis monſtriſque teſtantium. Livori videlicet indulgentes ſuo maligni Spiritus veſtigiis humanarum calamitatum libenter inſiſtunt, lætique inſultant infortuniis noſtris: præſertim quando Deus, qui miniſtris illis ad ultionem ſcelerum utitur, juſtè illis adjudicat loca flagitiis maculata, ut hominibus qui ea prophanaverant, inde exturbatis, ea ſibi habeant: ſignificat igitur hîc Angelus, Romam ab

Alarico, Genserico, aliisque captam ac direptam, à Totilâ etiam crematam maximâ sui parte, penitusque desolatam, damnatam iri æternâ solitudine. quod certè hodiéque, non sine admiratione spectantium cernitur. Hodierna siquidem Roma majori ex parte extra pomœria veteris sita est. Priscus autem ambitus Urbis antiquæ, ubi salubris olim infinitæ propè multitudini habitatio fuit, ita nunc ferè totus est pestilens, ut ne unum quidem diem ibi morari sine noxâ putetur posse: passimque ostendantur elegantes alioqui amœnæque villæ, in quibus pernoctasse lethale est. Ad extremum observo, digitum per hæc intendi in duos laudabiles locos Isaiæ Prophetæ. prior legitur cap. XIII. 21. ubi de Babylone Chaldæorum regiâ dicitur: *Requiescent ibi bestiæ & replebuntur domus eorum Draconibus: & habitabunt ibi Struthiones, & Pilosi saltabunt ibi*: Posterior jacet cap. XXXIV. 13. ubi desolatio Idumææ (quæ, ut Rabbini veteres sentiunt, Romanam Gentem appropriato symbolo, in Prophetiis antiquis designare solet,) describitur his verbis: *Et erit cubile Draconum & pascua Struthionum; & occurrent Dæmonia Onocentauris, & Pilosus clamabit alter ad alterum.* In his voci *Pilosus vel Pilosi* respondet in Hebræo שעיר *Sciahir* & שעירים *Sciahirim* quæ Levit. XVII. 7. 11. Paral. XI. & II. 15. usurpatur ad significanda Dæmonia. quamquam in hoc loco Isaiæ modò descripto pro verbo *Dæmonia* in originibus sit ציים *tsiiim* quod Arias *Martes* vertit. significans, opinor, monstrosas species apparentium in locis desertis Dæmonum; quales etiam sunt *Satyri*, vox detorta ex שעיר *sciahir* supra memorato; & quæ mox nominantur ab Isaiâ *Lamiæ*, in Hebræo לילית *Lilith*, formæ muliebres Dæmonum noctu volitantes, quas Serenus Samonicus cap. LIX. ait ubera immulgere labris infantium: quo videtur alludere illud Thren. IV. 3. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, &c.* Aliis *Striges*, spectra item nocturna veneficarum: cujus etiam generis sunt, memoratæ Isaiæ XIII. post verba paulò ante descripta, vers. 22. *Sirenes*: nisi quod harum figuræ tristitiam stygiam hilariori occultant specie: cum sint omnes mali dæmones formis conspicuis larvati.

Et custodia omnis volucris immundæ & odibilis.

In Græco φυλακὴ παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου καὶ μεμισημένου ululas, intelligit, noctuas, bubones, nycticoraces. Aves omnes abominatæ, qualium copiam in triste augurium apparuisse ante Maxentianam cladem Zosimus lib. 2. his verbis refert: *Cum Maxentius ex Urbe copias produxisset; jamque pontem quem ipse junxerat, transtulisset: infinita quædam multitudo Noctuarum devolans muros complebat. Quo conspecto suis Constantinus ut aciem struerent: imperabat.* Hæc ille: Sophonias cap. II. 14. insultans destructioni *Civitatis gloriosæ quæ dicebat in corde suo: Ego sum & extra me non est alia amplius.* Romæ nimirùm; quæ se *æternam* & in perpetuum Orbi dominaturam, passim prædicabat: prædicit ruinis ejus olim destruendæ supervolaturas

pervolaturas funeſtas aves: *Vox*, inquit, *cantantis in feneſtra corvus in ſuperliminari.* Prout quotidie videmus rutis & cæſis maceriiſque reſiduis è domo aurea Neronis, cunctorumque ædificiorum quondam ſpecioſiſſimorum Palatini collis, nunc plane inhabitati & inhabitabilis, Noctuas impune nidificare & ululare.

℣. 3. Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes Gentes.

Merita Roma hanc pœnam eſt, quod ejus exemplo Gentes omnes ipſi ſubditæ tormentis & cædibus debacchatæ ſunt in Chriſtianos quia illi nolebant adorare Idola. *Fornicatio*, Idololatria eſt: *Ira* verò *fornicationis* crudelitas impenſa adigendis ad Idololatriam nolentibus; denique *vinum iræ* furor eſt immanis, excedens modum legitimarum pœnarum: qualis ex Actis Martyrum apparet, per modos torquendi nullis unquam probatos legibus, erga illos ſolos excogitatis & exercitis, uſque ad tauros Phalaridum in Antipa & Euſtachio, aliiſque adhibitos, cæteraque infanda tyrannicæ cruciamenta feritatis, ultrà etiam enormitate ſua viſas fabuloſas Buſiridum & Mezentiorum tyrannides.

Et Reges terræ cum illâ fornicati ſunt.

Ut Romani Senatus ac Populi, Reges exterarum gratiam ſibi utilem emererentur, non ſolùm dona Jovi Capitolino miſerunt: ſed etiam in ſuis terris Templa Urbi Romæ velut Deæ, & Cæſaribus apotheoſi divis factis, quibuſdam etiam adhuc viventibus, exſtruxerunt dicaruntque: quorum exempla paſſim extant. Hoc fuit Reges terræ cum Româ πορνέυειν, quod hic dicitur in Græco.

Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti ſunt.

Pro *de virtute deliciarum*, in Græco eſt ἐκ τῆς δυνάμεως τῆς τρήνες. τρῆνος Græcis vox eſt πολύσημος *varii ſignificatus*: Sed inter alias hanc illi notionem ſubjicit Heſychius declarans vocem τρηνιῶντες, τὸ διὰ πλοῦτον ὑβρίζειν *propter opum abundantiam in contumelias erumpere.* Ariſtophanes in Pluto, de quodam Argyrio, petulante homine & effræni, ait: τρηνιᾷ πλουτῶν *Inſoleſcit cum ſe divitem ſentit.* Ineſt autem huic verbo peculiaris ſignificatus intemperantiæ, ac flagitiorum, præſertim apud ſacros Scriptores. Nam Paulus 1. Timoth. v. 11. de viduis non probis, prurientibus in nuptias, ſcribit: νεωτέρας δὲ χήρας παραιτοῦ, ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ χριστοῦ, γαμεῖν θέλουσιν. *Adoleſcentiores autem viduas devita: cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt*: ubi videtur Apoſtolus verbo καταστρηνιᾶν idem ſignificare quod

paulò ante versu ejusdem capitis 6. dixerat, de viduâ item luxuriosa loquens : ἡ δὲ σπαταλῶσα ζῶσα τέθνηκε, *quæ deliciis est, vivens mortua est.* ut σπατάλη quod τρυφὴ *delicias* Græcis sonat, synonymum videatur τῆς τρήνης hîc positi : nisi quod addit quandam arrogantiam ex opum conscientiâ conceptam ; quæ opes hoc loco, quantùm arbitror, vocantur δύναμις τῆς τρήνης *virtus deliciarum.* quasi diceres : facultas & fiducia sumptum largè faciendi in res jucundas, unguenta, epulas, spectacula, &c. Est id quod uno nomine passim luxum vocamus, qualis in Lucullis, Mecœnatibus, Apiciis, Romæ notatus est. ex quo multa lucri maximi occasio Mercatoribus dabatur, Orbe toto conquisita portantibus Romam, quod illic quanto vellent distraherent ; numquam ibi deficientibus cupidis & prodigis emptoribus talium mercium.

℣. 4. Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem : Exite de illâ Populus meus : ut ne participes sitis delictorum ejus ; & de plagis ejus non accipiatis.

Ut superiùs retulimus ex Eusebio ad v. 4. capitis IX. Fidelibus ex circumcisione conversis paulò ante obsidionem & destructionem Urbis Hierosolymorum, consultum fuisse divinâ providentiâ, per monitum ipsis in*stinctu Dei* datum, inde se subtrahendi, ne clade imminente Judæorum involverentur : Ita similiter Christus prævidens mala ingentia quæ Urbi Romæ ob sua scelera eventura erant, maturè studuit suos iis eximere. Id fecit suggerens Magno Constantino consilium condendæ novæ Romæ longè trans mare apud Byzantium ; & sedis Imperii in eam è veteri Româ transferendæ. Hunc eventum valde inopinatum : & , quando accidit, mirabilem, puto prædici hoc loco. Migratio Constantini Româ Constantinopolim facta est anno Christi 330. unde apparet discrepantia inter utramque subductionem Christianorum Hierosolymitarum & Romanorum ab imminentibus utrique istarum Urbium cladibus, in eo sita quod calamitates Hierosolymæ, tunc cum ab ea Dei monitu Christiani recesserunt, propinquæ erant, ac tantum non mox inchoandæ : Post Constantini verò transmigrationem adhuc floruit longo tempore Roma vetus. Nam ea primum capta est ab Alarico anno demum Chr. 410. totis annis octoginta posteriùs. discriminis causa hîc innuitur à Christo, dum rationes memorat duas ob quas *exire* Româ *Populum suum* vult : priorem, nè *particeps sit delictorum ejus* : alteram, ne *de plagis ejus accipiat.* Ad hanc posteriorem suffecisset amovere Româ Pios paulò ante adventum Alarici : quo modo amotum Roma per causam legationis anno 409. S. Innocentium Papam : divina id agente providentia, ne Urbis mox capiendæ casibus periculisque subjaceret, S. Hieron. Et Paulus Orosius lib. 7. cap. XXXIX. prædicant. Verùm propter priorem oportebat, quamprimùm separari Christianum Imperatorem à Senatu Idololatra, & ab Urbe tota immersâ superstitionibus : in qua functiones

Imperatoriæ, quippe avitis ritibus falsarum Religionum ferè omnes inquinatæ, vix ac ne vix quidem sine contagione impietatis exerceri poterant: quam fuisse Constantino potissimam migrandi causam Zosimus asserit his verbis lib. II. *Cum dies quidam more patrio festus appetiisset, quo die in Capitolium exercitui ascendendum erat: eum ascensum verbis contumeliosis impudenter* (sic homo Ethnicus loquitur) *insectans, re divinâ proculcatâ, Senatûs atque Populi odium incurrit. Cumque profectas ab omnibus, propè dixerim, exsecrationes haud ferret, Urbem quamdam Romæ parem quærebat in quâ Palatium ipse sibi conderet, &c.* pergit enim narrare ædificationem Constantinopolis: & ubi perfecta est, Constantini & Senatorum qui Christiani erant, præcipuorumque religionis ejusdem civium migrationem in novam Romam ex meris Christianis constantem, & nullâ prorsus superstitione paganicâ contaminatam: Unde S. Augustinus lib. v. de civit. Dei cap. xxv. singulari Constantini felicitati imputat: quòd *ei concesserit, Deus condere civitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam; sed sine aliquo damonum Templo, simulacroque.* Hæc Augustinus, quorum similia summo consensu Scriptores alii testantur. Habuerunt igitur Christiani Romani deducti Constantinopolim coloni ubi Christianam libere Religionem exercerent, citra ullum periculum contrahendi noxam è pravis exemplis Idololatrarum suorum civium prophanos suos ritus continuè frequentantium: ut sic maculas animæ vitarent. Præterea vero iidem per eam migrationem libertatem, fortunas, vitamque propriam in tuto posuerunt, subtracti eo modo destinatis olim Romæ veteri cladibus, quà *ignominiosis*, quà *funestis*, amissionis Imperii, direptionum, destructionum, incendiorum, & extremæ tandem desolationis: Quando interim nova Roma tota pia, Romæ veteri per annos viginti supra undecies centenos feliciter superstes, Imperii nomen ac decus in magnâ gloriâ tenuit: dedicatio quippe novæ Romæ Christi Matri Deiparæ Virgini sacratæ à suo conditore Constantino primo & Magno, facta dicitur in Idatii fastis, v. Idus Majas anno Christi cccxxx. Constantinus autem. VIII. Imperatorum Orientis ultimus, anno Christi CIↃCCCCLIII. quinto Kal. Junias occisus in expugnatione Constantinopolis à Muhamede secundo, Turcorum Principe, Successorum Constantini Magni Seriem clausit. En quàm longo spatio Romani Christiani novæ Romæ coloni, fuere malorum ac cladium Romæ veteris immunes, beneficio secessionis eò factæ, Duce Constantino; autore utique Deo, prout hîc disertè traditur.

℣. 5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad Cœlum.

Ingentia scelera, quorum vindictam Dei justitia non vult ampliùs differre, quoniam eorum atrocitas intolerabilis est, *pervenire* dicuntur *usque ad Cœlum*, per hyperbolen emphaticè signantem enormem eorum magnitudinem & audaciam. Etiam hoc schema usurpant Scriptores exteri, ut Homerus Odyss. o. de Procis Penelopes sic scribens.

Τῶν ὕβρις τε βίπτε σιδήρεον ἐρανὸν ἵκει.

Quorum contumelia & vis ad ferreum Cœlum pervenit.

Simili metaphorâ passim dicuntur magna crimina *clamare in Cœlum*, ex illo Gen. IV. 10. de sanguine Abelis per fraternum parricidium fuso.

Et recordatus est Dominus iniquitatum ejus.

Recordandi verbum indicat Dei patientiam sero supplicio longanimiter præmissam. Distulit enim annis supra ducentos post primam à Nerone persecutionẽ pœnitentiã expectans Dominus; adeò frustrà, ut novæ diriores etiam subinde persecutiones frequentarentur: tandem nova simul & vetera crimina finali Romæ desolatione ultus est, recentiora & quasi præsentia priori commatis hujus membro signantur, dum perveniſse dicuntur ad cœlum, & suâ velut præsentiâ vindictam provocasse: recordationis mentio posteriùs posita antiquiorum habet emphasim.

℣. 6. Reddite illi sicut ipsa reddidit vobis

Simile illud Psalmi CXXXVI. 8. *Filia Babylonis misera beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.* Fiunt hîc loquentes Gentes, Urbes, & Provinciæ, quas Romani plerumque injustè diripuerant, deleverant, vastaverant, avarè ac crudeliter; puta Galliæ, Hispaniæ, Macedonia, Græcia, Asia, Ægyptus, Africa, Corinthus, Numantia, Carthago, Hierosolyma, &c. præsertim autem Ecclesia, & Christiana Religio, dirè à Româ & plusquam barbarè vexata, vindictam à Dei justitiâ impetrabiliter poscentes acceptis ab eâ injuriis æqualem. Propriè autem & verè dictum: *Reddite illi, sicut illa reddidit nobis.* Peccata scilicet debita sunt quibus reddi & rependi pondere pari supplicia debent: Redduntur ergo mala, quasi debita scelerum reis. Romani porrò ut ministri fuere divinæ justitiæ in ultione omnium Gentium proper scelera ipsarum: ita vicissim à Gotthis, Vvandalis, aliisque, quæ & Romanum Occidentale Imperium exciderunt; & Romam captam, direptam, everterunt, & penitùs tandem desolarunt, iis Gentibus instrumentis divinæ in eam vindictæ, pœnas debitas recepit.

Et duplicate duplicia secundùm opera ejus.

Duplicia duplicata fiunt quadrupla. Indicatur: calamitates Urbis Romæ quadruplò acerbiores futuras famosis cladibus Corinthi, Carthaginis, Numantiæ ac similium: Quod non ægrè agnoscet qui Historias comparaverit, & Romanæ Urbis toties iteratas expugnationes, direptiones, cædes, fames, servitutes, conculcationes à tot Barbaris tamdiù durantes; denique incen-

dia, everſiones, & extremam à Totilâ deſolationem perpenderit. *Opera ejus* quæ hoc meruerunt fuere præcipuè tot tam immanes, ac cruentæ Chriſtianiſmi perſecutiones.

In poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum.

Vulgatiſſimum eſt, acerbum infortunium, potionis amaræ neceſſariò ſorbendæ ſymbolo in ſcripturis deſignari. Hinc enim illa Chriſti: *Calicem quem dedit mihi pater non vis ut bibam illum.* Joan. XVIII. 11. & *tranſeat à me Calix iſte*, Mat. XXVI. 39. ut innumeros Pſalmorum & Prophetarum veterum locos omittam. concitavit autem eo in ſe maximè iram Dei Urbs Roma, quod ad Idololatriam, ad luxum, ad flagitia; præſertim autem ad impiam & injuſtam Chriſtianorum vexationem, omnes Orbis terrarum Nationes exemplo ſuo, ſubditas etiam mandatis & edictis, impulit: quod ſymbolicè deſignatum eſt ſæpe ſuperiùs *propinatione Calicis*: ut enim in convivio ſodales ſe mutuò ad ebrietatem invitant porrectione poculorum: ita Urbs Roma cæteras Urbes ac Gentes ad ſuperſtitionem, intemperantiam, luxuriam, blaſphemiam, crudelitatem in Chriſtianos impellens, quaſi poculum his venenis plenum illis propinare viſa eſt. per id merita ut duplò amarius, & clade atque acerbitate mortiferâ plenius viciſſim exteræ Gentes ei poculum offerrent, imo ingererent, hauriendum uſque ad fæces vel invitæ.

℣. 7. Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum & luctum.

Pro *in deliciis fuit* in Græco eſt ἐστρηνίασε cujus vim vocis expoſui nuper ad verſ. 3. unde intelligis hoc verbum hic ſonare: per laſciviam in omnes ſe illicitas voluptates, quantovis emendas pretio, effudit. Hinc illi modò juſtiſſimè æquipondium taxatur ignominiæ pro gloriâ, doloris pro voluptate: quod voci *tormentum*, in originibus reſpondet βασανισμὸς, etſi cruciatum ſæpius ac corporis dolorem ſignificat, qualem ſervi ad quæſtionem dati ex equuleis ac flagellis ſentiebant: tamen quia ſervile erat quæſtioni ſubjici, par, & non rarò major in animo liberi ac nobilis, ſenſui flagrorum & ungularum, animi mœror ex ignominiâ & indignitate ſortis mancipiorum injunctæ ingenuo, cum natalium injuriâ, naſcebatur. quare hoc loco, prout antitheſis exigit, vox *tormentum* ad mœſtitiam ex dedecore, & ſtatûs imminutione conceptam, pertinet; potiùs quam ad moleſtiam corporeæ laceratonis: quam ſatis ſignificat vox πένθος *luctus* τῷ στρηνιᾶν *laſcivire indulgendo deliciis*, oppoſita.

Quia in corde suo dicit : sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.

Fiduciam ex longâ felicitate Roma conceperat, se æternam fore : itaque vocabatur *Urbs æterna*. Hoc passim ejus Adulatores prædicabant.

His ego nec metas rerum nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi.

Ait Jupiter Virgilianus de Romanis.
Ejusdem Salivæ est illud Claudiani.

Simili bacchatur crimine quisquis.
Aspirat Romæ spoliis, & solis habenis.

Qui tamen poëta videre potuit sui dicti vanitatem in Alarico Romam capiente & diripiente dum ipse viveret sub Honorio. Recitatæ hoc loco Romæ jactantiæ geminam Ninive imputat Sophonias II. 15. *Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentiâ, quæ dicebat in corde suo : Ego sum, & extra me non est alia amplius.* uti & Isaïas Babyloni cap. XLVII. 7. *Et dixisti : in sempiternum ero domina : & non posuisti super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo : Ego sum, & non est præter me amplius : non sedebo vidua & non videbo sterilitatem* : quem locum hîc, ut apparet, describens Joannes pro *sterilitate* luctum posuit : quâ voce plerumque significatur parentum mœror ex morte filiorum, & consequenter sterilitas ab Isaïâ vocatur prolis amissio per mortes immaturas, prout statim id declarans addit : *Venient tibi duo hæc subitò in die una sterilitas & viduitas*, hoc est, liberos simul & virum morte subtractos dolebis : quod tamen non impedit quin eodem *luctus* vocabulo in latiori significatu, juxta paulò ante dicta, per syllepsin comprehendatur, etiam sensus acerbus corporei doloris ex torsione ac plagis. Pergit Joannes Isaïam imitari, statim subdens :

℣. 8. Ideo in una die venient plagæ ejus : mors & luctus & fames, & igne comburetur.

Dum ait, *mors & luctus*, orbitatem significat per mortem prolis, sic rectè intelligens Isaïam juxta modò dicta, cum Urbes, ut diximus, mulierum specie repræsententur, vice illis filiorum cives sunt, juxta illud Christi ad Hierosolymam Luc. XIX. 44. *Ad terram prosternent te & filios tuos qui in te sunt. Dies una* illa hîc indicata ea videtur esse quâ Roma capta per Totilam est. refert illum eventum Procopius lib. III. de Bello Gotthico cap. XX. ubi

scribit inter alia, post narratum Totilæ ingressum in Urbem per portam à proditoribus apertam : *E plebe quingenti in Urbe totâ restabant : cæteri partim aliò concesserant : partim fame perierant.* Capite XXI. & XXII. addit Totilam victorem, Senatoribus servituti subjectis, Magistratibus in Isauros Urbis proditores translatis, Romam incendiis domuum & destructione mœnium delere decrevisse ; ac demum prorsùs vacuam reliquisse, collocato prope exercitu qui quemquam ad ejus ruinas & desertum solum accedere prohiberet. An alia quærenda *dies* quâ *plagæ mortis luctûs, famis, & ignis* in Romam *simul venerint*, ut hîc dicitur ? Equidem non puto : mecumque sensurum omnem prudentem confido lectorem.

Quia fortis est Deus qui judicabit illam.

Damnare sceleratos cujus-vis jus & æquum scientis judicis est : pœnam justam infligere reis potentissimis utcumque convictis, ejus solius qui parem sapientissimæ æquitati roboris ineluctabilis vim habeat. Inexpugnabilis omni humano conatui, subnixa Orbis opibus & Imperio Romæ potentia, uni potuit succumbere omnipotenti ultori, qui se *fortem* ἰσχυρὸν, tam ardui specimine facinoris manifestissimè ostendit.

℣. 9. Et flebunt & plangent se super illam Reges terræ qui cum illa fornicati sunt & in deliciis vixerunt.

Exigua est diversitas in græco κ) κλαύσονται αυτὴν κ) κόψονται ἐπ' αὐτῇ, & *flebunt ipsam & plangentur super ipsâ :* hoc est ipsius causâ, in conspectu, & ex commiseratione calamitatum ejus. ad fletum omnibus naturalem in præsenti sensu miseriæ carorum, addit planctum, signatum verbo κόψονται, non ferè hodiernorum in his regionibus morum : cæterùm usûs antiqui, præsertim in Græciâ & Orientalibus regionibus, ut ex monumentis illarum olim gentium videmus. Tundebant enim se ipsos qui lugebant, quod est κόπτειν & κόπτεσθαι, idque ad numerum, threnodo lessi modulatore præeunte : quod innuit adagium à Christo allegatum Mat. XI. 17. *Lamentavimus vobis, & non planxistis.* ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, κ) οὐκ ἐκόψατε, tundebant autem pectus, frontem, caput, brachia etiam & humeros, ut intelligitur è Choro Troadum Senecæ, ubi, Hecubâ næniam præcunte, obsequentes & respondentes Troades dicunt.

Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos,
Tibi nostra caput dextera pulsat.

Non omittam monere, in collatione Romæ factâ jussu Urbani VIII. Græci contextûs Apocalypsis cum quatuor optimis MS. Codicibus, in

duobus eorum hunc locum sic expressum inventum κλαύσουσι καὶ πενθήσουσιν ἐπ' αὐτῇ βασιλεῖς. *Flebunt & lugebunt super ipsâ Reges, &c.* In voce *Reges* notandum, per eam frequenter in Scripturis signari quoslibet illustres, opulentos & potentes, quantumvis privatos, nec proprio regni jure dominantes Populis: quare in hujus vocabuli significatum hoc loco includuntur, præter veros Gentium Reges adhuc Paganos cum Roma destructa est: etiam Romæ ipsius Proceres, Patricii, Consulares, Prætorii, Senatores. his enim cunctis conveniunt quæ hîc dicuntur πορνεύσαι καὶ τρυφήσαι μετ' αὐτῆς *fornicatos esse, & in deliciis vixisse cum illâ*, hoc est, Româ, colendo eosdem cum illâ falsos Deos, & luxum ejus imitando prodigis in voluptates sumptibus.

Cum viderint fumum incendii ejus.

Quadrat hoc in Senatores qui Romæ reperti sunt cum eam Totilas cepit: quos inde abiens Totilas secum adduxit captivos, ut superius ex Procopio retulimus: quadrat & in multos nobiles Romanos qui erant in exercitu Belisarii, tunc in portu Romano castra habentis, ut idem Procopius testatur. Hi enim omnes, magno dolore suo, ut est per se credibile, & hîc affirmatur, fumum ardentis Patriæ viderunt.

℣. 10. Longè stantes propter timorem tormentorum ejus.

Hoc peculariter convenit iis, quos diximus in exercitu Belisarii fuisse, Ducibus & Proceribus Romanis, aut etiam ex Gentibus olim Romæ Imperio subjectis: quorum aliquos adhuc fuisse Paganos satis est verisimile. Hi sic fumum Romæ conflagrantis viderunt è modicâ decem milliarium distantiâ, ut propiùs accedere metu prohiberentur. Docet enim qui præsens aderat Procopius, comes Belisarii, ejus exercitum cum Roma capta est à Totilâ, & postea cum ab eodem destructa, diù in portu Romano hæsisse, eo quod infirmior, se propius admovere non auderet.

Dicentes væ væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam una hora venit judicium tuum.

Una hora hîc dicitur momentum fatale metam ponens felicitati longæ. Judicium pro pœnâ ponitur judicio decreta, aptato effectui causæ nomine.

℣. 11. Negotiatores terræ flebunt & lugebunt super illam.

Ut Roma similis Babyloni fuit magnitudine Imperii, ita & Tyrum æquavit commercii celebritate: unde postquam ei Vates noster adaptavit quæ de Babylone prædixerunt Isaïas & Jeremias: nunc etiam eidem accommoda

commodat Ezechielis in Tyrum vaticinium, quod capite XXVII. in fine legitur his verbis: *Negotiatores Populorum ſibilaverunt ſuper te: ad nihilum deducta es, & non eris uſque ad perpetuum*: Diſcrimen inter Joannem & Ezechielem eſt quod ille flentes in occaſu Romæ negotiatores; hic *ſibilantes* (συριζοντας apud LXX.) in excidio Tyri, repræſentat. Cauſa diſcrepantiæ eſt, quod Tyrii quæſtuoſi & avari lucrum non adeò magnum negotiatoribus dabant, coactis eam adire, quia illùc, ob loci & maris commoditatem, merces undique comportabantur; portoriis & vectigalibus gravatæ à Tyriis magiſtratibus: unde carò emendæ ipſis Mercatoribus, propterea que in exoſæ Urbis infortunio, irritati damnis, & inſtincti æmulatione, Inſtitores riſerunt, ſibilis inſultantes, è contrario Roma divitiis redundans, copioſiſſimè lucrandi occaſionem mercatoribus dabat, theſauris prodigè per luxum luxuriamque impendendis; quæ erat illis cauſa in ejus excidio verè dolendi, ac mœrorem lacrymis teſtandi.

Quoniam merces eorum nemo emet ampliùs.

En flendi ratio Romæ, qualis in excidio Tyri non fuit. Tyro enim deſtructâ, non deerant alia Emporia ſatis commoda quæ ſimilem negotiantibus opportunitatem lucrandi offerrent: at Româ exinanitâ & eversâ, non alia ſupererat in Orbe civitas immenſis redundans opibus, eaſque libenter effundens, è quâ tam quæſtuoſæ ſperari poſſent diſtractiones mercium ad delicias ſolùm utilium.

℣. 12. Merces auri & argenti, & lapidis pretioſi.

Enumerat hoc verſu res ad vitæ uſum ſuperfluas, & tantùm ad luxum, jactantiam, & delicias quæſitas: quales non niſi à copioſè locupletibus, iiſdemque aſotis, intemperantibus, & luxu perditis, carò emi ſolent. Et hi vix alibi quàm in Urbe ex longo imperante, in quam Orbis univerſi opes aſſiduè confluant, reperiri queunt. Pro *merces* in Græco eſt γόμος quo nomine Pollux appellari ait τὰ ἐνπιθέμενα τῶις ναυσί. *onus navium*: ducitur à verbo γέμω quod ſonat, *plenum eſſe*: & peculiariter adhibetur ſignificandis iis quæ reconduntur alveis Navium onerariarum, ut patet ex illis Xenophontis de Navi mercatoriâ: γέμει φορτίων ὅσα νάυκληρος κέρδους ἕνεκα ἄγεται: *plena eſt ſarcinis quantas eò congeſſit lucri gratiâ nauclerus*: ſic ad portum Romanum undique affluebant onerariæ confertæ pretioſis luxuriæ inſtrumentis, quæ hìc enumerantur, præſertim auro & argento plurimo, quanto erat opus in civitate adeò in luxum profusâ, ut faſtidioſi Domini, nec ſupremarum domuum, jam dedignarentur aliis uti vaſis, etiam ad uſus ſordidiſſimos, quàm aureis: quod ſugillans Martialis in Baſsâ, muliere non utique Reginâ, ſic eam increpat Ep. XXXVIII. lib. I.

Ventris onus miſero, nec te pudet, excipis auro.

Afferebantur & Gemmæ, quò immanioribus taxatæ pretiis, eò cupidiùs ab opum immenſarum oſtentatoribus emptæ. ſequitur,

Et Margaritæ.

Ideo ſeorſim à *lapidibus pretioſis*, etſi ejus ſit generis, *margarita* ponitur, quia, ut ſcribit Plinius cap. xxxv. libri ix. *Principium culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent.*

Et byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci.

Hæc ad ſplendorem mollitiemque veſtitus: ſpecies ſat aliunde notas fruſtrà ſit hic explicare.

Et omne lignum thyinum.

In Græci contextûs quodam antiquo codice pro ξύλον quod vulgatus legit, apparet hodie σκεῦος, *vas.* quid ſint hæc ligna thyina, ſemel hîc declarandum eſt. frequens horum eſt mentio in libris ſacris. III. Reg. x. II. ubi dicuntur multa portata Salomoni per Claſſem ex Ophir: Regemque ex iis feciſſe fulcra domus Domini & domus regiæ, & citharas lyraſque cantoribus. additque Scriptor facer: *Non ſunt allata hujuſmodi ligna thyina, neque viſa uſque in præſentem diem*: vide etiam II. Par. IX. 10. Alibi tamen quam in Ophir, aut Indiis, hæc arbor naſcitur: unde & nota Græcis fuit. Antiquiſſimus eorum qui meminerit Homerus eſt: apud quem Odyſſ. E in Calypsûs Nymphæ antro.

Πῦρ μὲν ἐχαρόφιν μέγα κάετο, πόλοσε δ' ὀδμὴ
Κέδρε τ' ἐυκεάτοιο, θύος τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Ignis quidem in foco magnus ardebat, procul autem odor
Cedrique bene fiſſilis, & thyi per inſulam redolebat.

Quæ Virgilius ad Circen transferens Æneid. VII. de eâ canit.

Tectiſque ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Thyum vel omiſit, vel cedri odoratæ mentione comprehenſam voluit, ſunt enim qui id generis nomen putent ſub quo variæ digerantur ſpecies lignorum ſuaviter fragrantium. Theophraſtus in Hiſt. Plant. lib. I. cap. XV. inter δένδρα ἀειφύλλα *arbores ſemper folia ſervantes* enumerat θυίαν *Thyiam*

sive *Thyum*. Nam lib. v. cap. v. ejusdem Operis, ubi eam arborem describit, utrovis modo id efferri nomen ait, his verbis: τὸ δὲ θύον (οἱ δὲ θυίαν καλοῦσι) παρ' Ἄμμωνί τε γίνεται, καὶ ἐν τῇ κυρηναίᾳ τῷ μὲν μορφῇ ὅμοιον κυπαρίττῳ, καὶ τοῖς κλάδοις, καὶ τοῖς φύλλοις, καὶ τῷ σελέχει, καὶ τῷ καρπῷ. μᾶλλον δὲ ὥσπερ κυπάρισσον ἄγριον. πολὺ μὲν καὶ ὅσον νῦν ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ ἐπ' διαμνημονέυουσιν ὀροφὰς πινας τῶν ἀρχαίων ἔσας. ἀσαπὲς γὲ ὅλως τὸ ξύλον. ἀλότατον δὲ τῶν ῥίζαν ἐστὶ, καὶ ἐκ τούτης τὰ σεμνοτατα ποιεῖται τῶν ἔργων. *Thyum (Thyïam quidam vocant) nascitur apud Ammonis fanum, atque in Cyrenaâ, formâ cupressо similis, cum ramis, tum foliis; caudice quinetiam, fructuque: vel potius; sicut Cypressus Sylvestris. Copiosam quidem olim ortam aiunt, ubi nunc Urbs jacet: atque etiam memorant fastigia ibi quædam & laquearia ex eâ priscarum illic ædium cerni. incorruptum hoc lignum est, in radice crispissimum, & ex hac præclarissima operum fiunt.* Hæc Theophrastus: in Ligurum Sylvis, aut hanc, aut ei similem nasci docet Strabo lib. iv. illic reperiri scribens: πολλὰ τῇ ποικιλίᾳ τῶ θυΐνων ὑ χείρω πρὸς τὰς τραπεζοποιίας: *multa Thyinis varietate non inferiora, ad mensarum structuram.* Tangit in his Strabo præcipuum hujus ligni usum, ad mensas, & cæteram elegantiorem ex materiâ supellectilem domestici ornatûs, quò adhibita thyïna à Salomone, illa significant: *fecitque ex his fulcra domus Domini & domus Regis.* Adhuc latet, quid hæc pertineant ad Romanum luxum, de quo qui multa dixere, non solent meminisse Thyïnorum lignorum; quæ mihi causa fuit hæc diligentiùs annotandi. Est autem tenendum mente quod Plinius nos docet lib. XIII. cap. XV. & XVI. hanc arborem à Romanis dictam *Cedron* aut *Citron*. Unde quæ illis famosissimæ mensæ *Cedrinæ* vel *citrinæ*, revera *thyinæ* erant, de his ubi multa Plinius retulit, subdit: *inter pauca nitidioris vitæ instrumenta hæc arbor est: quapropter insistendum ei quoque paulùm videtur. Nota etiam Homero fuit*: θόον *græcè vocatur, ab aliis thya.* Ita ille. postquam retulerat immania pretia mensarum cedrinarum, aut citrinarum: quas Cicero, Asinius Gallus, Cethegus H. S. decies, undecies, quaterdecies emptas habuerint. Quæ profusio quin excreverit locupletioribus Augustorum temporibus, dubium non est: quare non superest causa quærendi cur inter merces ad instruendam Urbis Romæ luxuriam solicitè portatas, prodigè emptas, ligna hîc Thyïna à Joanne memorentur.

Et omnia vasa eboris.

Quam multus esset in instrumento luxuriæ Romanæ eburi locus, abundè notum. Etiam jam tum Varronis tempore, nondum in summas delicias adeò corrupto, lectos ex ebore fuisse usitatos, ipse docet in lib. de linguâ lat.

Et omnia vasa de lapide pretioso.

In his periculum est, ne inoleverit vetus error Amanuensis hodiernis

Editionibus Vulgatæ, cum Græca constanter legant: καὶ πᾶν σκεῦος ἐκ ξύλου πρωτότου. *Et omne vas è ligno pretiosissimo*; quæ præcedentibus & sequentibus cohærent. In lignis pretiosis, tum notis eminuit *ebenum*, crebri apud Romanos usûs, ex quo istam speciem ibi primùm triumpho suo Mithridatico Pompeius ostendit, ut Plinius habet lib. XII. cap. IV.

Et æramento,

Unde lebetes, tripodes, statuæ, &c.

Et ferro,

Hinc arma bellica, venatoria, vectes, seræ, fores, domuum & Templorum supellex splendida: quoties rei natura respuit metalli potioris materiam.

Et marmore.

De usu & copia variorum, & longissimè accersitorum Romæ marmorum, otiosum hîc fuerit differere: cum plena his sint omnia monumenta vetustatis; & quotidie statuas, columnas, &c. ejus generis effodi videamus è ruinis Romæ veteris.

℣. 13. Et cinnamomum, & odoramentorum, & unguenti & thuris.

Quàm largè deliciæ Romanæ in unguentis, aromatibus, omni suffitûum & odorum voluptate peccaverint, doceri hoc loco nemo eruditus Lector expectet, cum testimonia passim oggerat vetus omnis memoria.

Et vini, & olei, & similæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum.

Horum quæ necessarium etiam vitæ subsidium spectant, quantam copiam continuè inferri Romæ regnanti oporteret, satis cuivis suadebit numerus ingens habitatorum ejus ad Myriades sexcentas quibusdam visus ascendisse.

Et mancipiorum & animarum hominum.

Hîc paulisper hærendum est. Græca sic habent: Καὶ σωμάτων, καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων; *& corporum, & animas hominum.* ubi in voce ψυχὰς pro ψυχῶν Vulgatus rectè correxit ἀνθρώπων. Per *mancipia* hîc intelliguntur homines sorte quidem & ortu liberi, mercede tamen pactâ servientes, cujusmodi

conductorum ad opus certum, plurimas eaſque honeſtas & exambitas fuiſſe Romæ conditiones, ſatis cum ex aliis innumeris apparet, tum ex libro Luciani de hoc propriè argumento ſcripto περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Tales pleroſque Græcos aut Syros à Romanis expetitos, ſuis Italis ſpretis, indignatur apud Juvenalem Umbricius Sat. III.

Non poſſum ferre Quirites
Græcam Vrbem: quamvis, quota portio facis Achææ?
Iampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.

Hi vocantur hîc *corpora*, ad indicandam conditionem libertatis: nam *corpus* ſimpliciter, homo liber dicitur. Pollux, σώματα δὲ ἁπλῶς ἐκ ἂν δέλα σώματα. *Corpora ſine addito, haud rectè dicantur de emptitiis, niſi addatur*, ſerva. Hinc Latinus Poëta Æneid. VII.

Excepto laurentis corpore Turni.

Et Horat. lib. I. ep. IV. Albium Tibullum equitem Romanum alloquens.

Non tu corpus eras ſine pectore, &c.

Innuit igitur hîc Scriptor noſter hoc vocabulo σωμάτων, *mancipiorum*, multitudinem ingentem ingenuorum hominum qui ex omni Orbe confluebant Romam, dum ea regnabat, locaturi illic operam ſuam apud locupletes familias varii generis miniſteriis, uberrimo interim ſtipendio; & ſpe profectûs ex gratiâ Patronorum, quam miris artibus pro ſuo quique ingenio captatum ibant: eò plerumque progredientes, ut in maximas opes dignitateſque, partim largitione, partim ſuffragratione, Potentum quos ſic demeruerant, proveherentur: unde multi domi tenues, ex inopibus locupletes, ex obſcuris clariſſimi evadebant.

Hic altâ Sicyone (ait hæc carpens Satiricus ſupra laudatus) *hic*
Trallibus aut Alabandis,
Eſquilias dictumque petunt à vimine collem,
Viſcera magnarum domuum Dominique futuri.

Hinc apparet *Mancipii* nomen haud ſumi hoc loco in vulgatiori notione quâ ſervos bello captos, aut alio jure ſervituti veræ ſubjectos indicat. quo tamen ſignificatu Autor Vulgatæ noſtræ vocem illam uſurpavit Ezechielis XXVII. 13. ubi ſic ait Propheta Urbem Tyrum alloquens: *Græcia Thubal, & Moſoch, ipſi Inſtitores tui Mancipia & vaſa ærea adduxerunt Populo*

tuo. verbo, *mancipia* respondet in hæbreis originibus נפש אדם *nepheſc Adam*, quod LXX. ad verbũ reddunt: ψυχὰς ἀνθρωπων *animas hominũ*: prout hìc Joannes habet: quo loquendi modo ſervos propriè dictos ſine dubio indicare voluit. Hi enim ex omnibus terrarum oris maximo numero Romam, quando ea florebat, ibi vendendi aſportabantur. Videri poteſt uſus hac loquendi formâ etiam Moyſes Gen. XIV. 21. ubi Regem Sodomorum Abraamo victori revertenti poſt ereptam hoſtibus prædam, ſic loquentẽ facit: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* In Hebræo תדלי הנפש *Then li Hanepheſc.* quod Aquila τὴν ψυχὴν *animam*, Symmachus τὰς ψυχὰς *animas* interpretantur. Familiam ſcilicet & ſervos Regis Sodomorum, quinq; Reges ab Abraamo victi abduxerant. Hos ſibi reddi poſtulat, cæterã prædam ſuam ex hoſte receptam ipſi condonans. In Gloſſis Baſilicorũ qui ſervos alienos ſibi furto mancipiant, videmus dici ψυχαγωγὸς *Animarum abductores.* quin & ψυχάρια *Animulas* ſervos dictos legimus apud Conſtantinum Porphyrogentium in Novella V. ὥσὲρ ἀπολωλότος ψυχαρίου, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ θέματι ἐυρεθέντος παρέχει ὁ δεσπότης νόμισμα ἕν. *Pro deperdito ſervulo, & in eodem themate reperto, ſolvit Dominus nummum unum.* Et infrà, εἰ δὲ κὴ τῶν δώδεκα μηνῶν παρελθόντων ὁ᾽κ ἀναζητηθῇ τὸ ἀπολὸς ψυχάριον ὑπὸ τοῦ κυρίου, τότε ἐξεῖναι τῷ ἐυρηκότι διαπωλέσαι αὐτὸ εἰς ἐμφανὲς πρόσωπον. *Si verò duodecim menſibus elapſis non requiſitus fuerit deperditus ſervus à Domino: tunc licere illi qui invenit eum palàm vendere.* Ex quo poſteriori loco videri poteſt fortè prior corrigendus, reſcribendo in eo pro θέματι, ἤματι, aut quid ſimile quod tempus ſignet. Hujus appellationis ψυχῆς *animæ*, ſervis attributæ, veſtigium in Latinis apparet: qui *animalis* inde ductam vocem ſervis interdum applicant. Id intelligimus ex comparatione duorum locorum Iſidori. Primò enim in Gloſſis, vocem *Baſterna* exponit *tecta* (corrigit rectè Meurſius) *lectica manualis*, hoc eſt cella manibus ſervorum portata. Idem deinde alibi, nempe lib. XX. Originum ſic ſcribit: *Baſterna, vehiculum itineris, quaſi viæ ſterna mollibus ſtramentis eſt poſita, à duobus animalibus deportatur.* Non utique jumentis, alioqui non eſſet *manualis*, ſed ψυχαρίων ſervulorum manibus, qui *animalia* dicantur propter ſervitutem, quâ cum univerſum illorum corpus addictum ſit Domino, ſola ipſis unde cenſeantur ſupereſt *anima*, quâ unâ juris ſui ſunt.

℣. 14. Et poma deſiderii animæ tuæ diſceſſerunt à te & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa jam non invenient.

Pro *non invenient* in Græco eſt: μὴ εὑρήσῃς *non invenias*, congruentiùs ad ſuprà poſita. Quamquam ultrò fateor, in bono codice MS. reperiri εὑρήσεσι. cujus ſimili uſum Vulgatum Interpretem apparet. Nam alioquí permutatio perſonarum in ſcriptis propheticis crebra eſt. exemplum adeſt præſens initio hujus verſiculi; ubi avertitur ſermo à præcedentibus, & fit

apostrophe ad Romam, quam alloquentes inducuntur qui casum ejus miserantur. Pro, *poma desiderii* in originibus legitur ὀπώρα ἱμέρα *Autumnus desiderii.* græca vox ἵμερος, uti & latina *desiderium*, sæpe amorem venereum designat. Hinc non est inverisimile, quod docto Interpreti video placuisse, inter mala Romæ à Gotthis & Totilâ desolatæ hîc recenseri, ablatam ei facultatem omnem amoribus etiam licitis & nuptialibus vacandi. Sic Jerem. VII. 34. Hierosolymæ desolandæ Deus dicit: *quiescere faciam de plateis Hierusalem vocem sponsi & vocem sponsæ. in desolatione enim erit terra.* Idem repetitur c. XVI. 9. XXV. 10. Baruch. II. 23. è contrario cap. XXXIII. 11. ubi jam placatus Deus promittit Hierosolymitanis reditum è Babylone in patriam, & Urbis ipsorum restitutionem in celebritatem felicitatemque pristinam, sic loquitur *Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto (quē vos dicitis esse desertum, quod non sit homo, nec jumentum in civitatibus Iuda & foris Ierusalem, quæ desolatæ sunt absque homine & absque habitatore, & absque pecore) vox gaudii & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ*, cujus similem in Roma capta mœstitiam etsi infrà v. 23. paribus cum Jeremiâ verbis Joannes indicat: tamen quia hoc capite solet easdem iterare sententias: hîc obscuriùs hanc sub velo allegoriæ per ὀπώραν ἱμέρα *poma desiderii* adumbraverit. verè enim desolatæ per Gotthos Romæ tempus illud adfuit, quod Ecclesiastes cap. III. 5. vocat: *tempus longè fieri ab amplexibus*, ita ὀπώρα quæ maturitatem fructuum, qualis est in aurumno, sonat, credi potest à Joanne per metaphoram hîc posita ad indicandam tempestivitatem conjugiorum, qualis in quamlibet maturâ Juvenum & Virginum ætate, tamen omittitur in Urbibus, aut obsessis aut recens captis, luctûs calamitate respuente gaudium gratulationesque individuas comites nuptialium sacrorum.

Hæc utcumque ita sint, magis tamen propendeo in sententiam congruentiorem vulgatæ lectioni quæ ὀπώρα *poma* interpretans, innuit ejus autorem hîc intellexisse partem illâm Romanæ luxuriæ quâ quidquid in quavis Orbis regione nascebatur fructuum exquisitæ ad gustum suavitatis, totum ad se trahebat catenis aureis, profusione videlicet in id solitâ ibi fieri immanium in hæc sumptuum, cui spei inhiantium institorum, omnem in hoc difficultatem diligentia vincebat. Nec voces ἱμέρα aut *desiderii*, non etiam applicantur suavitati pomorum in speciosâ & benè coloratâ maturitate gulam aspectu irritantium. Quidni enim quod vidisse prima mulier scribitur Gen. III. 6. *pulchrum oculis aspectuque delectabile. Pomum desiderii* vocetur? itemque illud Isaiæ XXVIII. 4. *quasi temporaneum ante maturitatem autumni, quod cum aspexerit videns, statim ac manu tenuerit, devorabit illud.* Quin & aptè adjunctio *desiderii* ad *poma* videri queat affectata in finem, ut indicetur, non in his consultum frugali necessitati vescendi, sed indultum effreni cupiditati Epulonum parata nauseantium, vel ambitioni jactabundæ appetentium pretiosa & longinqua, qui legerit quæ multa multi scripsere de deliciis mensarum Romanarum, Athæneus, libris XV. Dipnosophiston,

Plinius variis locis Hiſt. nat. Aliique ex occaſione plurimi veterum, è quibus non pauci Recentiores excerpta congeſſerunt, agnoſcat, ni fallor, idoneum meæ conjecturæ fundamentum in immensâ ejus generis luxuriâ quæ fuit in Urbe Româ, tempore Imperii Florentis. unum in ſpecimen ponam in tuberibus, quæ quia laudatiſſima in Africâ proveniunt, ut ait Plinius lib. XVIII. cap. II. Romani Apicii alibi nata faſtidiebant. & horum unius apud Satyricum vox eſt, Africæ remittentis meſſes uberes frugum, quibus Populus Romanus alebatur, dum pro tritico, in campis omnibus neglectis, tubera naſcerentur:

O Lybie, disjunge boves, dum tubera mittas.

Hinc prona eſt ſuſpicio, quâ curâ quâve copiâ portarentur Romam Pruna, pyra, ficus, & omne pomorum, nucum, baccarum, autumni verbo ſignatum genus, ex iis quibuſque locis ubi ſoli aut cœli privilegio talia ſapidiora oriri contingeret. Hæc puto hic vocari *Poma deſiderii animæ*. quæ ipſa *animæ* vox, me confirmat in hâc ſententiâ: quòd eo nomine potiſſimùm aliquando deſignetur *appetitus cibi*, ut in illo Chriſti dicto Mat. VI. 25. *ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis. nonne anima plus eſt quam eſca.* confirmat præterea, quod ſtatim ſubjungitur, *Et omnia pinguia perierunt à te.* quo videtur Scriptor alteram & potiorem partem amplecti convivalium deliciarum Urbis Romæ, in copia ſitam carnium, piſcium ex omni mari, ferarum ex omni ſylvâ, volucrum, altilium ex omni orâ jugiter in Urbem, dum florebat, undecumque mari ac terrâ ſubvectorum: quæ domita per Totilam fame longa Româ, tandemque captâ, in eam deſperatiſſimam miſeriam ſunt mutata (quod Procopius refert lib. III. de bell. Gotth. cap. XVII.) ut furfuris medimnus pretio ingenti væniret: vulgus nihil niſi urticas ederet, alii ſtercore veſcerentur, multi ſeſe præ deſperatione occiderent, inter quos pater cum quinque liberis, ſe de ponte præcipites in Tiberim dederunt. Denique prout idem addit cap. XX. *Romani, ipſique adeò Senatores, in primis uxor olim Boëtii, eademque Symmachi filia Ruſticiana, eò redacti ſunt, ut panem ab hoſtibus petentes victitaverint. Continenter domos obibant, & oſtiatim pulſando, victum mendicabant: neque id pudori erat.* En quàm ſit veriſimilis hæc quæ Romanis ſub iſtius calamitatis ictu appingitur hoc loco deſperatio, prioris, quâ erant olim fruiti, exquiſitorum edulium copiæ, his verbis expreſſa: *Omnia pinguia & præclara perierunt à te: & ampliùs illa jam non invenies.*

℣. 15. Mercatores horum qui divites facti ſunt ab eâ, longè ſtabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes.

℣. 16. Et dicentes: væ, væ, Civitas illa magna quæ amicta erat byſſo, & purpurâ & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo

de pretioso & margaritis :

v. 17. Quoniam una hora destitutæ sunt (Græce ἠρημώθη, derelictæ sine Dominis mortuis aut fugatis) tantæ divitiæ.

Hic tribus versibus repetuntur quæ jam supra dicta sunt, a vers. 10. ad 13. non inani battologiâ : sed ingeniosâ emphasi innuentis Scriptoris, tanta esse quæ memorat mala, ut quantumvis iterùm iterúmque replicentur, numquam tamen sat dici pro ipsorum ineffabili atrocitate queant.

Et omnis Gubernator, & omnis qui in lacum navigat.

Pro his verbis ; *& omnis qui in lacum navigat* in Græcis hodiernis legitur : καὶ πᾶς ἐπὶ τῶν πλοίων ὁ ὄμιλος : *& omnis quæ in navibus turba*, scilicet vectorum aut militum, nam & Gubernator & Nautæ memorati sunt ; ut sit plena & integra enumeratio omnium hominum in navibus apud Portum Romanum tunc repertorum quando capta & destructa est à Totilâ Roma. Tutò autem illic tali tempore naves Romanarum Partium morabantur, quoniam Gotthi terrâ tantùm potentiores, mari non prævalebant. & exercitus Justiniani Romæ ferum auxilium ferens, propè Portum Romanum confederat, accedere propiùs non valens. Vide Procopium lib. III. Gothicorum. Hic quæritur, quid significet illud, *in lacum* cujus nec vola nec vestigium in originibus, ut vidimus, est ? Respondeo : in collatione cum quatuor optimis Codd. Romæ facta, duos ex illis repertos qui locum hunc ita conciperent : καὶ πᾶς ὁ ἐπὶ τόπων πλέων. *Et omnis in locis navigans.* Est alius antiquus manu scriptus codex qui πᾶς ὁ ἐπὶ τόπον πλέων exhibet : *omnis in loco navigans*, hoc est in illa ora maris inferi Romæ respondente. Hujus simili exemplari puto usum Vulgatæ nostræ Latinæ versionis autorem, hîc, *in locum* scripsisse : sed quemdam supinum amanuensem ex eo levi mutatione *in lacum* posuisse : qui error inde in exemplaria pleraque manaverit.

Et qui in mari operantur.

Operari, sacris Scriptoribus, *negotiari* est : nam mercatores navigante Psal. CVI. 23. dicuntur : *facientes operationem* (ἐργασίαν) *in aquis multis.* & Matth. XXV. 16. *Abiit qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis.* ἐργάσατο ἐν αὐτοῖς. Atque hic usus nominis ἐργασία non : ut quis posset suspicari Helleniticus, sed merè atticus est : ut patet ex hoc Isocratis ad Nicoclem Cypri Regem consilio : τὰς μὲν ἐργασίας αὐτοῖς (ἀρχομένοις) καθίστη καρδαλέας, τὰς δὲ πραγματείας ἐπιζημίους. ἵνα τὰς μὲν φεύγωσι, πρὸς δὲ τὰς πρόθυμως ἔχωσι. *Effice negotiationes eis* (subjectis tibi Populis) *lucrosas ; litis detrimentosas ; ut has fugiant, illas appetant.*

Longè ſteterunt.

Obſidente & obtinente Romam Totilâ, & terreſtribus prævalente copiis, naves comeatus importantes in portu Romano, vel in aliis ejus oræ continebantur, non audentibus exſcendere Navarchis & vectoribus earum.

℣. 18. Et clamaverunt videntes locum incendii ejus.

Pro *locum* in Græcis hodiernis legitur, καπνὸν *fumum*, & ita concorditer habuerunt Codd. MS. quatuor Romani. Eſt tamen Codex antiquus in quo ſcriptum extat τόπον vice καπνὸν: & talem apparet eum olim fuiſſe, ex quo Vulgatus interpretationem expreſſit ſuam. Utraque lectio facilè adaptatur Hiſtoriæ: nam primò, dum Totilas Romam incenderet, exercitus Beliſſarii ad portum Romanum habens caſtra, & omnes Navarchi nautæ vectoreſque navium in eodem portu & finitimis ſtantium, aut oram illam maris inferi præternavigantium, videbant procùl ſurgentem ex eo incendio *fumum*. Poſteà verò, quando poſt receſſum Totilæ Beliſſarius in Urbis deſertæ ſolum cum ſuo exercitu ingreſſus eſt; & ipſi accedere tunc auſi, viderunt τόπον πυρώσεως *locum incendii ejus*, cineres videlicet, & *campos ubi Roma fuit*.

Dicentes: quæ ſimilis Civitati huic magnæ?

Quæ umquam Civitas ex tam clara & ſuperba, in tantam depreſſionem & calamitatem tranſiit?

℣. 19. Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua.

Hic ritus Europæis olim, quod appareat, minùs uſitatus, characterem habet Orientalium Populorum, ex quibus majori ex parte conſtabat Beliſſarii exercitus à Juſtiniano ex Oriente miſſus: ſic enim ibi olim factitatum docent Job. II. 12. Autor I. Reg. IV. IV. 12. Jerem. XXV. 34. Ezechiel. XXVII. 30. Sed & Italus Virgilianus Mezentius Æneid. X. Lauſum filium exanimatum cernens:

Canitiem immundo deformat pulvere.

Dicentes: væ, væ, Civitas illa magna in quâ divites facti ſunt omnes qui habebant naves in mari, de pretiis ejus: quoniam unâ horâ deſolata eſt.

Hæc cum ex ante dictis ſatis pateant, nihil opus eſt incruſtare vas ſincerum.

℣. 20. Exulta ſuper eam Cœlum, & ſancti Apoſtoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Dominus judicium veſtrum de illâ.

Cœlum & Sancti Apoſtoli & Prophetæ, poſitum pro: *Sancti Apoſtoli* & Prophetæ quorum animæ vita per martyrium defunctorum in cœlo ſunt: His præſertim hæcgratulatio convenit: *judicare de aliquo judicium alicujus*, eſt de damnato ejus oppreſſore pœnas debitas ſumere: quod tum de Roma fecit Deus, ob occiſos ab ea ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, demerſum in dolium olei ferventis Joannem Apoſtolum & Prophetam, totque alios Spiritu ſancto plenos Chriſtianos trucidatos: inter quos etiam non pauci dono Prophetiæ pollebant.

℣. 21. Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum & miſit in mare, dicens: hoc impetu mittetur Babylon Civitas illa magna, & ultrà non invenietur.

Sic Jerem. LI. 63. liber plenus malis ingentibus Babyloni prædictis, jubetur cum lapide projici in medium Euphraten, dicendo: *Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictionis quam ego adduco ſuper eam, & diſſolvetur.* Eſt ergo in iſtâ *conjectione lapidis in aquas, omen irreparabilis exitii:* uti & in illa Matt. XVIII. 6. memoratâ *ſuſpenſione molæ aſinariæ in collum hominis, & demerſione in profundum maris*: nam vulgò inter ἀδύνατα *facultatem ſpemque omnem excedentia* cenſetur emerſio gravis ſaxi è profundo in quod jactum ſemel fuerit. Ex quâ proverbiali res exprimendi formâ eſt illud jusjurandum Phocæorum, reditum in exoſam Patriam execrantium, Epodon Od. XVI.

Sed juremus inhæc: ſimul imis ſaxa renarint
Vadis levata: ne redire ſit nefas.

Quæ Horatius ex Herodoto ſumpſit, Hiſtoriam ductæ à Phocenſibus Maſſiliam coloniæ narrante. niſi quod Hiſtoricus maſſam plumbi dejectam ab iis in mare ait, pro quâ Poëta ſaxum poſuit. Innuit igitur hoc ſymbolo dejecti in mare molaris lapidis *Angelus* ſe *fortem* probans in tam immani pondere tollendo, numquam reſtituendam in prioris felicitatis & magnificentiæ ſtatum perfectum Romam ex quo deſolata per Totilam fuit. quod veriſſimum demonſtravit eventus.

℣. 22. Vox citharœdorum & muſicorum & tibiâ canentium non audietur in te amplius: & omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius.

Parallela hæc ſunt iis quæ apud Jeremiam leguntur cap. XVI. 9. *Ecce ego*

auferam de loco isto . . . vocem gaudii & vocem lætitiæ &c. XXV. 10. *Perdam ex eis vocem gaudii & vocem lætitiæ.* & quæ similia leguntur XXXIII. 11. Artes & Artifices celebritatis apud Romam florentem maximæ, erant luxus & voluptatum ministri, quorum opera carò emebatur, & in quos libentissimè sumptus à Divitibus etiam largissimus fiebat, erant Citharœdi, Tibicines & genus omne Musicorum. Testis Martial. Ep. LVII. lib. V.

Cui tradas Lupe filium Magistro
Quæris solicitè diúque tentas, &c. paulò post
Artes discere vis pecuniosas?
Fac discat Citharœdus aut choraules, &c.

Et vox Molæ non audietur in te amplius.

Quid sit tum hoc loco, tum apud Jeremiam XXV. 10. unde sumptum est, *vox molæ*, paulò attentiùs explorandum est. Tam Hierosololyma de qua illic Jeremias, quàm Roma de qua hîc Joannes: Civitates πολυανθρωπόταται, quippe, ut aiunt, Incolarum quinquagenis centuriarum millibus frequentes, magna egebant molarum fruges terentium copia. non videtur autem usus ad id, saltem tam frequens ac publicus quam est hodiè, fuisse machinarum ad eam rem ἀυτομάτων per se sine humana vi molas versantium aquæ fluxu, aut auræ spiritu. Servis tunc abundabant; & domus unaquæque pistrinum habens proprium, mancipiis, ad id propriis utebatur, vel quæ essent nativa vilitate postrema viliissimaque omnium: vel quæ delictis suis ad istam laboriosissimam & tristissimam sortem, ut hodiè ad triremes, detrudi meruissent. quod fieri solitum multi veterum, præsertim Plautus locis pluribus declarat. Ancillis ad molam usos Iudæos videtur innuere quod legimus Mat. XXIV. 40. & 41. *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur & alter relinquetur. Duæ molentes in mola: una assumetur, & altera relinquetur.* Erat nimirum hic uterque infimus & despicatissimus servitutis gradus, ad quem plerumque irâ dominorum redigebantur, qui apud eos offendissent, eo discrimine ut viri agro deputarentur, feminæ pistrino. Nam & Horatius sat. VII. lib. II. Dicaci servo Saturnalium licentia objurgare Herum auso, minatur

Accedes opera agro nona Sabino.

Et Grumio ac Tranio duo servi rixantes in Plauti Mostellaria Act. I. sc. 2. dum prior alteri sic loquitur;

Rus mihi tu obiectas? sane credo, Tranio,
Quod te in pistrinum scis actutum tradier.

Cis hercle paucas tempestates Tranio,
Augebis ruri numero genus ferratile.

Satis ostendunt, Agriculturam & molæ versationem in pistrino faciendam esse omnium viliſſima ministeria servorum, ad quæ plerumque in pœnam delictorum relegabantur. Mulieres autem apud Hebræos quin & apud Ægyptios, isto molæ officio potisimùm fungi solitas, præterquam quem recitavi Matthæi locus indicat: etiam confirmat quod legitur Exod. xi. 5. *à Primogenito Pharaonis .... usque ad Primogenitum Ancillæ quæ est ad Molam.* sive porrò servi, sive Ancillæ, eò damnati, ad levandum tædium molestissimæ, longisimæque operæ, videlicet canebant, juxtà illud Tibulli

Spes etiam validâ solatur compede vinctum.
Crura sonant ferro: sed canit inter opus.

Vide Ioan. Steph. Menochium nostrum Tom. 1. Stromatum Centuria secunda cap. LXIV. venit etiam, ni fallor, in partem significatûs memoratæ hoc loco *vocis molæ* fragor ipse ac sonitus qui ex ista rotantis molæ collisione in singulis domibus necessariò magnus existebat in urbe populosa, adeo ut eò somnos tenuiorum cubiculis introrsum seductis carentium impediri Satirici & Epigrammatarii Romani veteres querantur. Tamen illum ad splendoris & felicitatis emphasim Romæ suæ Horatius imputat, sic Mecœnati scribens

Omitte mirari beatæ
Fumum & opes strepitumque Romæ

Unde hujus cessatio *strepitûs* per *molæ vocem* indicati, meritò hic ad desolationis indicium confertur.

℣. 23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te.

Jeremias supra laudatus xvi 9. vocem sponsi & vocem sponsæ tollendum è Jerusalem minatur: & cap. xxv. 10. idem iterans, adjungit *lumen lucernæ* nam lucernas ad Festorum & natalitiorum lætas celebritates adhiberi solitas, docet Persius Sat. v.

At cum
Herodis venere dies, festâque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Prætereaque in genialibus nuptiarum gaudiis magnam partem lucernas

habuisse, vel ex Parabolâ Evangelicâ decem Virginum, manifestum est. Significatur ergo per hæc omnem hilaritatem nocturnarum cœnarum ad lychnos celebratarum, uti & Epithalamiorum fescenninorumque carminum è Româ cum per Totilam vastabitur procul esse removendos, cunctis illic tunc utique longissimè abfuturis à cogitatione conviviorum & connubiorum.

Quia Mercatores tui erant Principes terræ.

Enumerat deinceps sacer Vates causas tres, quibus Roma meruit tam graviter puniri. Prima his verbis expressa, est immensa copia Divitiarum, quà vi, quà variis extortarum fraudulentis artibus, tanta ut privati quoque Cives Romani censu & luxu non impares, quinaliqui superiores ipsis minorum Gentium Regibus essent. Non caret autem emphasi, quod *mercatores ejus*, id est Romæ, dicit, Cives significans, è quibus Publicani *Flos*, ut Cicero ait, *Ordinis Equestris*, quæstuosa per Orbem exercebant negotia, vectigalibus redimendis: in quo non publicam magis rem, quàm suam familiarem agebant augebantque, lucris inde improbis in immensum ditati. Prætores autem magis, Proconsules, Consules, quin & ipsi Imperatores cum Exercitibus in Provincias profecti mille illas expilabant artibus. Nam horum plerique Caio Verri similes, si accusatores Tullio similes nacti essent, exhorrescerемus legendis eorum furtis ac rapinis: quarum effectus fuit congestio in unam urbem Romam cunctarum universi Orbis opum. Nam omnes ferè ardentissimo assiduè studio flagrabant corradendarum undecumque quovis modo in domos suas divitiarum; eoque instincti miseras Provincias exaniniebant funditùs. Injuriæ ergo & prædæ injustæ, extorsionesque, & publicationes cum libebat etiam Regnorum, ut Cyprii per P. Clodium Tribunum Plebis, uno verbo, Avaritia, hîc assignatur prima causa excidii Urbis Romæ: consentaneè ad illud Eccli. x. 8. *Regnum à Gente in Gentem transfertur propter injustitias & injurias, & contumelias, & diversos dolos.*

Quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

Altera hæc causa est excidii Romæ, scandalum per eam oblatum cunctis Gentibus, non invitatione solùm & instigatione, sed etiam compulsione ad errandum, agnoscendo & colendo plures falsos Deos, cum neglectu & contumeliâ unius veri. Dum hoc scelus veneficiorum verbo indicat sacer vates, hæret ipsi sibi superius vers. 4. capitis XVII. repræsentanti Romam Idololatram specie veneficæ *poculum manu tenentis plenum abominatione & immunditiâ fornicationis*, hoc est, ut ibi exposuimus, superstitionis idololatricæ, quo poculo Polytheismum, aut veriùs, Atheismum ferè cunctis Orbis Gentibus propinavit, inducens eas exemplo & imperio ad superstì-

tiones vaniſsimas fœdiſsimaſque amplectendas & mordicùs tenendas, & debitum uni ſummo Deo cultum deferendum Dæmonibus, Hominibus, ſimulacris quoque mutis, quin & brutis belluis, & reptilibus viliſsimis, ut angui quem Epidauro accerſitum ambitu ac pompâ maximis publicè Romani Templo & ritibus propriis & venerabantur ipſi, & venerari alios cogebant.

Tertiam denique adjungens everſionis Romæ cauſam, hæc attexit.

℣. 24. Et in eâ ſanguis Prophetarum & Sanctorum inventus eſt: & omnium qui interfecti ſunt in terrâ.

Criminibus avaræ rapacitatis, impiæ pertractionis omnium Gentium in Idololatriam, cumulum & coronidem ad ſupplicii extremi flagrans meritum addidit, tertius & ſupremus ſcelerum gradus, atrox immanitas carnificinæ tot ſæculis continuatæ à Româ Idololatrâ regnante, Prædicatorum Evangelii, qui hîc Prophetæ nominantur, & ſimplicium Chriſtianorum, quos vocat Sanctos. Sic ſuprà XVI. 6. *Juſtus es Domine qui hæc judicaſti: quia ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere.* Fidei prædicationem Prophetiam dici ex Paulo I. Cor. I. XI. 5. XIII. 2. XIV. I. 2. 3. 5. & aliis locis conſtat. Sanctos quoque Chriſtianos idem vocat Rom. I. 7. I. Cor. I. 2. II. Cor. I. I. & alibi paſſim: *adæquata*, ut ſcholæ loquuntur, Chriſtianiſmi *diviſio* eſt, in *Prophetas*, hoc eſt, Doctores ac Magiſtros; & Auditores ac Diſcipulos, qui *Sancti* dicti.

AD CAPUT XIX.

℣. 1. Poſt hæc audivi quaſi vocem turbarum multarum in Cœlo dicentium: Alleluia.

HOC capite nova offertur viſio Joanni, quâ peculiariter ſignificatur deſtructio & abolitio Idololatriæ Romanæ, & triumphus Eccleſiæ de ſuperſtitione deletâ ſenſim, & tandem prorsùs exterminatâ è finibus Imperii Romani, exemplo, favore, operâque Conſtantini Magni, & aliorum Cæſarum, qui Chriſtianam Religionem palàm amplexi, perſeveranter & impensè coluerunt: cum ſuperior viſio potiùs intueretur everſionem ſtatûs politici Urbis & Reip. Romanæ. Vox *turbarum multarum*, græcè ὄχλου πολλοῦ, deſignat converſionem tot Gentium, quot à tempore præſertim Commodi, quando jam plagæ ſuperiùs explicatæ deſævire in Romanos ceperant, Chriſti fidem receperunt. *Cœlum*, ut antea dixi, Eccleſiam ſignificat: *Allelu-*

ia verò, fidei Profeſſionem, quæ non verbo ſolum, ſed vita præterea & praxi heroicarum virtutum à Chriſtianis palàm fiebat, cum ingenti Dei laude ac gloriâ (quod ſonat vox *Alleluia*) perſecutionum præſertim tempore.

℣. 2. Quia vera & juſta judicia ſunt ejus qui judicavit de meretrice magnâ, &c.

Non eſt neceſſe ad memoratam hîc gratulationem & laudem Dei judiciorum, ſpectare jam patratas ultimas Urbis & Imperii Romani clades. Etiam dum tot illæ anteriores plagæ per quatuor aut quinque primorum Angelorum phialas effundentium viſionem indicatæ Romanum Imperium flagellabant, Chriſtiani, etſi plerumque tunc Perſecutionibus vexati, agnoſcebant & venerabantur, prolixè laudantes, vindictam juſtè ſumptam de Roma Idololatra, per tot illas peſtilentias, cædes, incurſiones barbaricas, ſeditiones, fames, iſtis phialarum iræ Dei effuſionibus ſignatas.

℣. 3. Et iterùm dixerunt Alleluia.

Adſtruunt hæc, quod modò dixi, verſu præcedenti deſignari, approbationes judiciorum Dei à Chriſtianis declaratas occaſione primarum cladium quas Romana Reſp. paſſa eſt jam à temporibus Commodi, & deinceps ad Conſtantinum uſque, cæterùm cum multò poſteriùs inciderint direptiones Urbis Romæ per Alaricum, & Genſericum, ejuſdem everſio per Totilam; & quæ hanc præceſſit extinctio Romani Occidentalis Imperii, exautorato per Odoacrem Auguſtulo, facta; tum enimverò multò etiam liberiùs Chriſtiani tàm mirum eventum celebrarunt; prædicando æquitatem divini judicii merita ſupplicia irrogantis Urbi ac Reipublicæ tam reæ, in quo extremas quas videbant, cum prioribus, quarum recordabantur, jungentes plagas, ratione harum, hoc *iterùm* facere dicebantur. verbo autem *Alleluia* non ſola, ut ante dixi, fidei profeſſio, ſed etiam quævis Dei laus rectè ſignificatur; præſertim cùm, hâc agnitione & prædicatione Juſtitiæ potentiæque divinæ in puniendis Perſecutoribus Chriſtianorum, hi tantò magis ad perſeverantem adhæſionem ad Fidem Chriſtianam, atque ad conſtantiſſimam ejus profeſſionem roborarentur.

Et fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum.

τὸ *Ejus*, ut patet ex græco, αὐτῆς, femininum eſt, & refertur ad proximè memoratam *meretricem magnam*: quam cap. præcedenti vocaverat *Babylonem*, ejuſque deſolationem extremam miris figuris & quaſi pompâ tragicâ traduxerat, exprimens illam diverſis metaphoris; uti Ædificii labentis, cum dicit: *cecidit cecidit Babylon magna* v. 2. deinde calicis mortiferi propinati:

in

in poculo quo miscuit miscete illi. vers. 6. denique consumptionis per incendium, illis verbis vers. 8. *& igne comburetur.* In quâ ultimâ imagine hîc hæret dum ejus *fumum ascensurum* ait *in sæcula sæculorum*: hoc est exhalationem fumi ex ejus incensæ busto duraturam usque ad finem mundi. Quod habet emphasim primò magnitudinis ejus prioris, quæ tanta fuerit ut ne flamma quidem celerrimè operans possit consumere materiam ejus copiosissimam, nisi spatio plurium sæculorum: Secundò, numquam secuturæ, quoad mundus stabit, ejus restitutionis & desituri priùs Orbis, quàm prorsùs extinguatur incendium ruinarum ipsius. Hinc intelligitur τὸ *&* in hoc commate æquivalere causali, *quia*, ut sensus sit: Christianos laudasse Deum, quia vidissent ita conflagrasse Romam, ut busto ejus semper arsuro, numquam futurum sit ut civitas illa & Respublica reparetur in statum ac florem pristinum: quod hodiéque, non sine admiratione, cernitur: Solo ipsô septem collium ubi frequentissima & saluberrima tanti Populi olim fuit habitatio, nunc maximâ ex parte, non solùm inhabitato, quod incolarum paucitati posset tribui: sed & inhabitabili, ob experientiam noxæ gravis & lethalis contractæ ex pernoctatione in villis ibi sitis, utcumque alioqui peramœnis & ornatis. Hoc est, *fumum ejus ascendere in sæcula, &c.* Nimirum duodecimo jam sæculo exacto ex quo per Totilam eversa crematæque Roma est, nondum ei contigisse in formam priorem amplitudinemque reparari, latis intrà ejus mœnia solitudinibus adhuc squallentibus, quæ sint haud dubia vestigia, perseverantis iræ Dei, & quodammodò adhùc sævientis, in reliquias & rudera exosæ olim Urbis.

℣. 4. Et ceciderunt Seniores vigintiquatuor, & quatuor Animalia & adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes amen. Alleluia.

Episcopi omnes & Pastores animarum in Ecclesiâ, vigintiquatuor seniorum verbo & numero indicantur: quoniam in Synagogâ, quæ origo fuit Ecclesiæ, vigintiquatuor Principes Sacerdotum erant; totidem *vicium*, sive, Ephemeriarum Principes, ut alias diximus ad cap. IV. hujus lib. quatuor vero Animalium symbolo Doctores & Scriptores Ecclesiæ omnes designantur, ut ibidem fusiùs adstruximus. Ait ergo Joannes hoc loco: Pastores potissimùm & Doctores Ecclesiæ, tum fuisse persuasos de Romæ destructione verè futurâ, in ultionem Christiani sanguinis per eam impiè ac crudeliter effusi (ea certitudo vaticinii signatur, voce *Amen*) tum ob eam Deo laudem obtulisse; quæ laus vocabulo *Alleluia*, exprimitur.

℣. 5. Et vox de Throno exivit dicens: laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus, & qui timetis Deum pusilli & magni.

Vox hæc non alterius esse quàm Christi potest, cum *de Throno* proce-

dat, cujus *in medio Agnus erat*, supra cap. v. 6. Excipiet aliquis: hoc falsi videri coargui, ex eo quod qui loquitur meminerit *Dei nostri*: *suum* autem *Deum*, Deus unus vocare alium à se non potuit. Respondetur: Christum quà homo perfectus est, etiam Deum esse: quippe cum, *persona*, qualis omnis homo est, sine adjunctâ sibi *personalitate Divini Verbi* vicem humanæ, quâ caret, supplentis, esse non possit. Hinc fit, ut etiam quatenus homo, in Throno sedeat. Cum is autem idem sit caput corporis [Ecclesiæ, loquens ut tale, quædam dicit, quæ non tam ipsi quàm ejus membris conveniant: ita ut talium dictorum veritas, è membris ducatur: ut cum pede transfixo, queritur os, dicens: ego vulneror: omnes intelligunt, id verissimè dici, licet os loquens non lædatur: sed tantum pars extrema corporis ejus, cujus in capite os loquens est. Sic Christus hoc loco vice ac voce membrorum suorum, hoc est Fidelium universorum corpus Ecclesiæ conflantium loquens, seipsum vocat *Deum nostrum* quæ mentio characterem habet Verbi Dei secundæ Trinitatis Personæ; quæ sola Humanitati unita, proprio ac peculiari titulo *Deus noster* ab hominibus dicitur: ita legimus Psal. LXVI. 8. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Ubi vides tres divinas Personas triplici *Dei* mentione expressas, cum propriâ differentiâ secundæ, quæ sola *Deus noster* à Psalmi autore homine dicitur, futuram Incarnationem Verbi Dei providente, & eam certò jam decretam gratulante. Porro hæc vox ab eo prolata qui & sapientia Dei Paul. I. Cor. I. 24. est; & cui omnis potestas tradita in Cœlo. Mat. XXVIII. 18. & in terrâ, indubitabilis veritatis & certissimi eventûs omen atque emphasim obtinet. Significat autem, & imperantis aut decernentis specie prædicit, fore ut post continuè toleratas trecentis ferè annis persecutiones ab Ecclesiâ Romanâ, prævaleret tandem Romæ Christiana Religio: & non tantùm à vitæ perfectioris ex professo studiosis: sed etiam à Laicis & Sæcularibus; neque à vilibus & ignobilibus duntaxat, ut ferè antea, sed & à locupletibus atque adeò Principibus coleretur. Hoc sonant illa: *Servi ejus & qui timetis Deum pusilli & magni. Servi ejus* intimi nimirùm & assidui, Religiosi, Ascetæ, Deo sacri: *& qui timetis Deum.* Homines mundo impliciti in conjugio viventes, rei familiari attenti: tamen inter scabiem & contagia lucri non negligentes Dei cultum & animæ salutem. *Pusilli* Piscatores, pauperes, contemptibilia hujus mundi. *Magni*, Senatores, Consules, Imperatores.

℣. 6. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum: & sicut vocem Tonitruorum magnorum dicentium Alleluia.

Hæc est executio Imperii paulò ante Christi voce promulgati. victo enim Maxentio per Constantinûm evidenti beneficio Crucis Christi, & plebs maximo numero per *turbas multas* indicata, & cives fortunæ suprà infimam eminentis *aquarum multarum* symbolo notati, denique Magistratus ipsi-

que Augusti ac Cæsares, *Tonitruum* mentione denotati, Deo laudem uno concentu cecinerunt, amplectenda & profitenda Christi religione.

Quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.

Duobus deinceps symbolis Regni & Nuptiarum exprimitur novus status Christianæ Religionis post Constantini de Maxentio victoriam futurus, splendidus & sublimis ex obscuro & humili. Prius his verbis signatur: *regnavit Dominus Deus noster*: quæ habent, ut modò dixi, characterem Verbi Dei, quo distinguitur à Patre & Spiritu Sancto: eò quod Homo factum per Incarnationem, jure Hominibus Deus noster dicitur, præterquam in Psalmo paulò superiùs laudato, etiam in Cantico Isaiæ cap. XXVI. quod ad Christum pertinere ipso initio declaratur, mentione *Salvatoris* qui *Urbi Sion* futurus sit, *murus & antemurale*. In eo Cantico hæc ipsa statûs Ecclesiæ in melius commutatio specie optandi prædicitur à vers. 11. *Domine exaltetur manus tua .... Domine dabis pacem nobis ....* & additur: *Domine Deus noster, possederunt nos Domini absque te.* Tyranni videlicet persecutores, de quibus mox adjungit: *Morientes non vivant, Gigantes non resurgant. propterea visitasti & contrivisti, & perdidisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum*: impediendo ne deinceps promoverentur ad Romani apicem Imperii alii quàm Christiani: quod post exautoratum Licinium, perpetuò apparuit. nihil obstante huic asserto Juliani τῷ παραβάτῃ Imperio; hic enim Apostatâta quidem & desertor impius Christianæ Religionis: cæterùm ortu, educatione, specie vitæ usque ad evectionem in Imperium perductâ, non Idololatra palàm, sed Christianus fuit. In quo debet agnosci peculiaris Divinæ Providentiæ vigilia; cum enim à Constantino ad Augustulum plurimi ex nobilissimis Romanorum & magna Senatûs pars, ut suo loco testimoniis certissimis doceo, in Idololatriâ perseveraverit: & eæ subinde temporum mutationes inciderint, ut quidam eorum magna successûs spe ad Imperium ambiendum invitari viderentur; puta cum agente Arbogaste Eugenius; & Ruffino procurante, hujus filius Procopius, ambo Pagani ad Augustam dignitatem magnâ vi protruderentur: nihil minus opus fuit efficaci divinæ omnipotentiæ ad id disturbandum nutu. Inivit ergo tunc Christus quasi possessionem Regni Romani nusquam interrumpenda serie successionis in Christianos propagandi: quod fuit: *Regnare* (ut hîc dicitur) *Dominum Deum nostrum omnipotentem.* Ac mihi videtur ipsum hoc momentum esse illud quod signatur Parabola Luc. XIX. 12. relata: ubi *Homo quidam nobilis abiisse dicitur in regionem longinquam*, eo animo ut accepto postmodum regno rediret, subdit vers. 14. *Cives autem ejus oderant eum, & miserunt legationem post illum dicentes: nolumus hunc regnare super nos*: quorum tamen minis & conatibus in irritum denique vanescentibus, *factum est ut rediret accepto Regno.* Quis non hîc videt: *Virum nobilem abeuntem in regionem longinquam*; esse Chri-

ſtum quando *in eâ carne quàm aſſumpſerat abiit in cœlum*, quia (verba ſunt Magni Gregorii) *carnis locus proprius terra eſt: caro ergo in regionem longinquam ducitur, cum per Redemptorem noſtrum in cœlo collocatur.* Aſcendens porrò Chriſtus in cœlum non ibi deliteſcere perpetuò voluit: ſed ubi per annos trecentos vexari Eccleſiam naſcentem paſſus eſt, rebellione contra ipſum contumacium Judæorum, & tyrannide dominantium Orbi Cæſarum; qui dicuntur hîc *cives Chriſti*, ab ipſo ut Deo creati, & in hujus mundi per ipſum conditi velut civitate collocati: decrevit pace illam & proſperitate temporali etiam beare; præficiens Orbis terrarum Imperio Chriſtianos Principes qui Chriſti vice atque auſpiciis regnarent: quod fieri cepit quando Conſtantinus extincto nunc Maxentio, & poſtea dejecto Licinio, in ſolidum rebus præfuit, tranſmiſſurus in ſolos ſemper Chriſtianos hereditariam ſucceſſionem principatûs talis. Cujus felicis eventûs præſaga gratulatio his continetur verbis. In quo notandum: etſi Chriſtus verè fuit Rex, in hoc natus, ut ipſe Pilato dixit Joan. xviii 32. hoc eſt ex ortu primo jus omne regnandi habens in Cœlum & in Terram: tamen neque dum viveret ejus Regni poſſeſſionem inire curavit, vitâ ſemper humili & plebeiâ contentus: nec in ipsâ Reſurrectionis ſuæ gloriâ Regni humani ac terreni claritatem ſibi adjungere voluit. cum tamen id ſe aliquando facturum hoc ipſo indicaverit quod interrogatus à Diſcipulis Act. i. 7. *Domine ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſraël?* Non negavit id futurum: ſed dixit eis: *non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate.* Per hæc innuens: id utique eventurum, ſed tempore ignoto & momento inſuſpicabili: Nempe ſub Conſtantino, Salomone quodam ſpiritualis Iſraëlis: quo demùm dominante, Ægyptiacâ dirior Eccleſiæ ſervitus in Regni ſortem eſt mutata: plenè ſic ac fideliter impleto, quod hîc ſcriptum extabat, vaticinio.

℣. 7. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni.

Tempus quod à Paſſione Chriſti ad Conſtantinum in continuis Eccleſiæ perſecutionibus, per ejuſdem Eccleſiæ incrementa maxima fluxit, adoleſcentia velut quædam myſtici Chriſti Corporis fuit: comparatum propterea illi ſpatio quo homines ab infantiâ ad virilitatem tranſigere ſoli ac Cœlibes ſolent: donec maturo tempore palàm, celebritate ac gratulatione ingenti, nuptias celebrant. In his nuptiis Chriſtus ſponſi nomen ac locum, Eccleſia ſponſæ perſonam ſuſtinet: nec obſtat, quod paſſim Chriſtus Corporis, quod eſt Eccleſia, *caput* dicitur. Nam 1. etiam in conjugiis civilibus & naturalibus *vir mulieris caput* vocatur à Paulo Apoſtolo 1. cor. xi. 3. 2. in iſtis ſymbolicis & typicis facilè mutantur ſimulacra, dummodò ſignificatus idem maneat: unde neceſſitudò Chriſti cum Eccleſiâ nunc habitudine capitis ad corpus, nunc ſponſi ad ſponſam reſpectu exprimitur. Sane in hoc

genere allegoria ſponſalium & nuptiarum Propheticis & Apoſtolicis ſcripturis uſitatiſſima eſt. Deus apud Oſeam Synagogam alloquens ait cap. II. 19. & 20. *Sponſabo te mihi in ſempiternum; ſponſabo te mihi in fide*: ejuſdemque modi locutiones ſæpe apud eumdem Prophetam, uti & apud Jeremiam & alios iterantur. Paulus autem Apoſtolus, & ex eo ſacri Doctores, nihil crebriùs memorant quàm Chriſti conjugium cum Eccleſiâ: cujus etiam figura ſit omnis legitima conjunctio viri cum uxore; inde Sacramenti dignitatem & nomen nacta, juxta celeberrimum ejuſdem Apoſtoli effatum Epheſ. v. 31. *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico; in Chriſto & in Eccleſia.* Paulò ante ibidem verſ. 25. ſcripſerat: *Viri diligite uxores veſtras: ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam: & ſeipſum tradidit pro eâ ut illam ſanctificaret, &c.* Hujus porrò Chriſti cum Eccleſiâ conjugii ſponſalia velut quædam præceſſerunt triſtibus illis Perſecutionum ſæculis: celebritas exterior & pompa nuptiarum ad pacem uſque Conſtantini quaſi dilata hic allegoricè figuratur. Prophetarique videtur aliâ Chriſti parabolâ Matt. XXII. 2. Regis qui fecit nuptias filio ſuo, & quidem cum apparatu regio Aularum, Menſarum, Altilium, conventuque celebri Albatorum omnium, ne uno quidem tolerato qui careret veſte nuptiali, hoc eſt candidâ. Eo nimirum tempore Eccleſia eatenus atrata qui color reorum eſt, ſordidata & ſqualens in carceribus & cryptis, nitere cepit & affluere externâ quoque copiâ, palmatis Conſulum & Paludamentis Auguſtorum, à quâ ſalivâ non abhorrent ſequentia.

Et uxor ejus præparavit ſe.

℣. 8. Et datum eſt ei ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido.

In apparatu ſolemnium nuptiarum & ſponſæ & ſponſo propriæ ſeorſum operæ partes ſunt, in libro Eſtheris indicatæ, ubi legitur cap. II. 12. annuum ſpatium fuiſſe præfinitum puellis quæ deſtinabantur ad Regis thalamum, quo ſpatio ſe parare ipſas ad id deberent, ungendo ſe ſe quotidie per ſex menſes oleo myrtino; & aliis ſex menſibus quædam alia pigmenta & aromata adhibendo: hoc ipſæ præſtare per ſeſe debebant. Erat aliud quod ſpectabat Regem ipſum, fiebatque per Miniſtros ab eo iſti negotio præfectos: expoſitum his verbis verſ. 13. *ingredienteſque ad Regem* (hoc eſt in proximo admiſſionis procinctu) *quidquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens accipiebant: & ut eis placuerat compoſitæ ... ad Regis cubiculum tranſibant.* Mox verſ. 15. de Eſthere dicitur: *Quæ non quæſivit muliebrem cultum: ſed quæcumque voluit Egeus Enuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit.* Inde videtur imaginem hîc Joannes ſumpſiſſe, Chriſtum in Aſſuero, Eccleſiam in Eſthere ſignans. Præparatio ergo quæ hîc memoratur uxoris Agni eſt aliquid reſpondens annuæ corporis ac formæ curationi per ſemeſtrem uſum

olei myrtini, & ſemeſtrem aliam adhibitionem aromatum ac pigmentorum. Totum autem hoc ex allegoriâ & ſymbolo in rem collatum, ſignificat heroicas virtutes fortitudinis, patientiæ, temperantiæ, fidei, ſpei, caritatis, quas à ſui principio Eccleſia uſque ad Conſtantini pacem, ærumnoſiſſimis tot perſecutionum temporibus exercuit. Hâc illâ quæ ipſam ſpectabat officii parte, in cultu ſibi interiori procurando (quæ *omnis ejus eſt gloria*, teſte ſacri Epithalamii autore Davide Pſ. XLIV.14. dum ait: *omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*) prolixe perfunctâ: reſtabant ſponſi propriæ partes in ſuppeditando ei exteriori ornatu quàm pulcherrimum & pretioſiſſimum vellet. Sed hunc Eccleſia: figuram in Eſthere præmiſſam implens, non requiſivit. *Datum* ergo *ei*, quaſi non petenti, ultrò à Chriſto eſt, ut hîc habet Sacer Vates, *ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido*. Panni aut telæ è byſſo textæ mundiſſimum & pretioſiſſimum Reginarum ornatum faciebant. Per hoc ſignificatur: contuliſſe Chriſtum Eccleſiæ ſuæ per Regnum tandem Conſtantini, etiam ſpectabilem humanæ magnificentiæ quàm ſpecioſiſſimam pompam, nitore Templorum magnificè ſtructorum ſuperbè inſtructorum & ornatorum, vaſis argenteis & aureis, veſte attalicâ, gemmis, tabulis, ſtatuis, & cæterâ regiâ ſupellectili; cujus magna pars eſt linum & byſſus tunicarum quibus Sacerdotes facientes ad aram, & qui eis aſſiſtunt: aut reliqua Eccleſiaſtica munia curant Miniſtri graduum & ordinum diverſorum veſtiuntur dum ſua officia exercent: eòdem pertinet Cæſarum, Regum, Magiſtratuum & Principum venerantium Deum & ſacrificiis aut religioſis cerimoniis aſſiſtentium ſplendor tum veſtitus tum comitatus: in Conciliis quoque, ut in Nicæno, ibi præſente Conſtantinio: quæ cuncta immenſum quantum diſtant à latebris Catacumbarum & ſordibus Carcerum, Caverniſque ſolitudinum in quibus tempore Conſtantinum præcedente deliteſcebant, & furtim tantum ac timidè ſacras functiones vili cultu exercebant Chriſtiani.

Byſſinum enim juſtificationes ſunt Sanctorum.

Non facilè apparet quò pertineat cauſalis *enim*, & quam cujus rei cauſam aſſignet: ut hoc intelligatur diſquirendum eſt quo ſenſu *byſſinum* dici poſſit *eſſe juſtificationes Sanctorum*, & viciſſim: ad quod confert ſcire, quæ res exprimantur duobus iſtis vocabulis, *juſtificationes Sanctorum*, in Græcis originibus δικαιώματα τῶν ἁγίων vox δικαίωμα à verbo δικαιόω, quod ſonat *juſtum agnoſco*, & *declaro*, ex tali origine debet eſſe aliquid quo viſo ſpectator inducatur ad opinandum & fatendum, perſonam in quâ id comparet eſſe ſanctam & juſtam: cum autem non niſi ex operibus juſtis & ſanctis in oculos & notitiam hominum incurrentibus, exiſtimatio juſti & ſancti Perſonis ejuſmodi operum autoribus concilietur, haberi pro certo debet: *juſtificationes* ſive δικαιώματα hoc loco vocari, opera bona & laudabilia palàm exercita; in genere temperantiæ, juſtitiæ, pietatis, & ſimilium virtutum. Talia

ideo S. Paulus sic scribens Coloss. III. 12. *Induite vos ... viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, &c.* Indumenta vocat, quia vestes quas quisque induit in obviorum oculos incurrunt; & statùs ferè cujusque illas ferentis indices sunt. Justificationum sic intellectarum duplici schemate potest cum byssino identitas affirmari. nimirum vel eo quo moneta, ea ipsa res vocatur cujus pretium est, ut cum Satiricus Gobionem piscem in loculis cujusdam esse ait, in quibus erat tantum pecuniæ quantum isti pisci emendo sufficeret, *cum sit tibi Gobio tantum in loculis*: vel quo, quando duæ res signa sunt invicem, aut una alterius figura, eæ communi vocabulo afficiuntur: velut cum Paulus dicit I. Cor. x. 4. *Petra autem erat Christus.* Petram ex quâ Moyses aquam extrudit, idcirco Christum vocans, quia Christus per illam figurabatur: & illa Christi symbolum erat.

Specimina igitur patientiæ, temperantiæ, continentiæ, misericordiæ quæ Christiani ab Ecclesiæ principio plurima ubique ac passim ediderant, vocantur hic *justificationes Sanctorum*: & hoc dicuntur, *byssinum splendens & candidum* per quod significatur, ut diximus, pompa exterior nitoris & opulentiæ per Constantinum Ecclesiæ prius inopi & humili adjuncta: propterea quod illæ Christianorum virtutes promeruerunt Ecclesiæ hanc ei tandem collatam gloriam; & quasi moneta fuerunt quâ illa est empta: unde justificationes Sanctorum, byssinum hîc dicuntur eâ figurâ quâ pretio nomen tribuitur mercis per illud vendibilis.

Ex his, ut spero, apparebit, quam vim, quemve usum habeat hoc loco causalis, *enim*: dixerat Angelus datum (à Deo scilicet) Ecclesiæ fuisse ut *cooperiret se byssino, &c.* cur hoc ei datum sit causa proditur idonea: quia id illa virtutum operibus promeruerat: ac quasi pretium persolverat, cui rectè & ex æquo rependeretur iste fulgor exterioris gloriæ: quæ ipsi eò congruentiùs adjungebatur: quod ipsa signum & symbolum erat interioris animi ornatûs.

℣. 9. Et dixit mihi scribe.

Mandata hîc scriptio emphasim habet non tam inconcussæ firmitatis: qualis abundè inesse intelligitur etiam ore tantùm prolato Dei verbo; unde fatum & fatalis certitudo nascitur; quàm dilati eventûs hoc loco prophetati in longum tempus: & tantùm implendi longè post mortuos eos omnes qui tum vivebant: cum igitur admonendi de hoc essent posteri nondum nati, commendanda scriptis indicatio erat; literæ enim solum ac necessarium instrumentum sunt commercii sæculorum antecedentium cum sequentibus: sic Danielis VIII. 26. Angelus sacro Vati præcipit: *Tu ergo visionem signa: quia post multas dies erit* & cap. XII. 4. *Tu autem Daniel claude sermones & signa librum usque ad tempus statutum, plurimi pertransibunt: &c.* Scriptis, & iis clam ac tutò servatis, & sigillo munitis opus erat quæ

perdurare ac perferri trans ætates plurimas ad eos poſſent qui viſuri rem tantam forent: quos tali lectione doceri expediebat: non ea fortuitò, ſed deſtinatâ ex longo providentia, conſilioque divino fieri.

Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.

Cœna nuptiarum Agni, hoc eſt Chriſti, cum Eccleſia, vocatur hoc loco ea proſperitas quæ Chriſtianiſmo commutatione rerum per victoriam Conſtantini Mundo inducta contigit. Ad eam cœnam vocati dicuntur ii, quorum ætas ac vita in id tempus divina providentia ſervata eſt. Indicantur his præcipuè Pontifices, Epiſcopi ac cæteri Eccleſiæ primores qui tunc fuerunt. Similis formæ eſt illud Chriſti Luc. x. 23. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, &c.* Chriſto autem ex hominum aſpectibus per Aſcenſionem in cœlum ſubtracto, Chriſtianis, quibus *dicebatur quotidie* ab Idololatris dominantibus & inſultantibus: *ubi eſt Deus veſter?* multò ſcilicet quam Prophetis & Regibus erat optabilius videre triumphum Eccleſiæ in Conſtantino victam Idololatriam calcantis: unde meritò feliciſſima prædicatur ſors eorum qui *vocati* ad hoc, id eſt, divino beneficio ac delectu deſtinati ad tantum gaudium ſunt. Etiam Balaam, bonus Propheta & vir malus, Num. xxiv. prædicens florentiſſima Eccleſiæ Chriſtianæ tempora tantò poſt futura, dicit verſ. 23. *Heu quis victurus eſt quando hæc faciet Dominus.* Si *heu* hoc loco ſit dolentis particula, & non potiùs optantis: ideo uſurpari à Balaamo putanda eſt, quod is moleſtè ferat expertem, ſe tam læti & admirabilis ſpectaculi, ſeris demùm Poſteris poſt multa ſæcula reſervati, fore.

Et dixit mihi: hæc verba Dei vera ſunt.

Falſa eſſe non poſſe *verba* quæ *Dei* ſint, hoc eſt à Deo dicantur, manifeſtum eſt: unde hoc affirmare ſuperfluum foret. Non igitur id ait Angelus, ſed verè Dei eſſe, ac Deum habere autorem quæ protulerat verba; ut nemo ea quantumvis, rem factu difficilem promittant, revocare in dubium audeat. Danïeli quoque poſt prænunciatas res inopinatiſſimas, Gabriël addit cap. viii. 26. *viſio quæ dicta eſt vera eſt*: tales enim reflexæ in ſeipſos loquentium affirmationes ad fidem quantumvis incredibilium faciendam, valent.

℣. 10. Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum.

Ex more id factum perſecutionem patientium, & in triſti abjectâque fortunâ poſitorum: quorum eſt potentibus meliora pollicentibus demiſsè ſupplicare. Angelus contrà Joannis animos ſuprà ſtatûs præſentis humilitamet

tem attollere satagit, recusandâ ejus adoratione; & profitendâ paritate sortis ac conditionis cum ipso suæ: sequitur enim:

Et dixit mihi: Vide ne feceris; conservus enim tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu.

Repetuntur hæc eadem iisdem penè verbis infrà cap. XXII. 9. ubi iterùm Joannes post sibi ostensam ab Angelo Jerusalem cœlestem, felicitatemque ejus magnificè descriptam, cum promissione æternæ perseverantiæ in illo beatissimo statu, & asseverationem pariter reflexam veritatis indubitatissimæ dictorum, *cecidit adorare ante pedes Angeli qui hæc ipsi ostendebat, & dicebat.* Ex quo firmatur id quod modò diximus: Adorationem istam ad exemplum humanæ consuetudinis factam, quâ solitum est: eos qui quæ maximè volunt nunciari sibi audiunt, evangelia statim, hoc est pretium boni nuncii quæ possunt, nunciantibus exolvant: si æquales aut inferiores audientibus sint, munera eis pretiosa largiendo: Sin superioris nec indigæ aut capacis donorum sortis, venerationis eorum infimæ signa continuò edendo. Observanda hîc similitudo duorum nunciorum: priori edoctus est Joannes fore ut Ecclesia militans diù spreta, vexata, & immaniter cruciata in florentissimam etiam humanæ claritatis fortunam elevaretur: in eaque duraret per mille annos: altero, postquam ei ostensa est Ecclesia triumphans translata in patriam è tristi exilio vitæ mortalis, amœnissimo loco securissimè degens cum summa certitudine possessionis æternæ deliciarum, honorum & gloriæ quantæ optari maxima possunt: & ex ea inferendum, quam congruè Joannes nuncianti sibi Angelo summam duplicis generis felicitatem temporalem & æternam, terrenam & cœlestem certissimò eventuram dilectissimæ sibi Ecclesiæ, cujus ipse pars esset: gratum suum animum declarare studuerit, subitò erumpendo in significationem extraordinariam exquisitæ reverentiæ, aliud non habens, quo nullius egentem muneraretur.

De causa nunc dicendum recusati ab Angelo istius honoris. Eleganter hanc declarat S. Gregorius Magnus Homil. VIII. in Evangelia his verbis: *Quia enim cœli Rex terram nostræ carnis assumpsit: infirmitatem nostram illa Angelica celsitudo non despicit. Hinc est enim quod Loth & Josuë Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: Joannes verò in Apocalypsi sua adorare Angelum voluit; sed tamen idem hunc Angelus ne se deberet adorare compescuit, dicens: Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Quid est quod ante Redemptoris adventum Angeli ab hominibus adorantur & tacent: postmodùm verò adorari refugiunt: nisi quod naturam nostram quam priùs despexerant; postquam hanc super se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt? nec jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in Cœli Rege venerantur.* Hæc S. Pontifex, cujus sententiam meritò amplectuntur & celebrant Ansbertus, Haimo, Rupertus, Glossæ autor, & alii: qui videntur per *Fratres*

Joannis habentes teſtimonium Jeſu, omnes prorsùs Chriſtianos intelligere: ita ut quivis omninò regeneratus per Baptiſmum, & ſic frater Chriſti etiam ipſius adoptatus, tenens animo fidem Evangelicæ doctrinæ, par Angelis putetur, & ut talis ab ipſis honoretur. Quod ut non ſit improbabile: eſt tamen non minùs fortè veriſimilis Riberæ & aliorum quorumdam opinio, ſtrictiùs hîc fratrum nomen ſumi cenſentium pro collegis Apoſtolicæ poteſtatis, & ſociis in miniſterio Prædicationis: nam hi magis propriè dici videntur *habere teſtimonium Jeſu*, utpote qui ex officio teſtes ſint Jeſu, eo modo quem ipſe expreſſit Act. 10. dum Apoſtolis & Diſcipulis mox aſcenſurus in cœlum dicit: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Judæâ & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ.* Adeo porrò non hoc contrarium recitatis S. Gregorii verbis eſt, ut ejus potiùs ſententiam confirmet; & argumento à minori ad majus validè roboret. Si enim cuivis Chriſtiano conveniat æqualitas cum Angelis, quantò magis Principibus Chriſtianorum Hierarchis & Eccleſiæ Doctoribus: de qualibus hîc agi ſuadet, quod ubi cap. XXII. hæc eadem à Joanne ſententia repetitur, pro eo quod hîc extat: *Fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu*, legitur: *Fratrum tuorum Prophetarum*, hoc eſt, opinor, Prædicatorum Evangelii. Nam apud Paulum I. Cor. XIV. *Prophetare in Eccleſiâ*, eſt in eâ docere: quò etiam, ni fallor, pertinet quod ſtatim hîc dicitur:

Teſtimonium enim Jeſu eſt ſpiritus Prophetiæ.

Quibus verbis videtur, aut Joannes aut Angelus (incertum enim eſt an pergat Angelus loqui, an Scriptor Joannes ſuo, ut fieri ſolet in talibus, ſenſu & ſermone, iſtam relatis alterius verbis interſerat parentheſim) videtur, inquam, explicare voluiſſe quid per *teſtimonium Jeſu*, hoc loco ſignificetur: ne quis putaret eâdem hoc verbum notione nunc accipi, quâ ſuprà cap. VI. 9. acceptum eſt, pro Martyrium paſſis, ſive *interfectis propter verbum Dei*, ut ibi ponitur: de qualibus hic non agi manifeſtum eſt. Dicitur autem Prædicatio Evangelii eſſe *ſpiritus Prophetiæ*, hoc eſt æquiparari prædicentibus futura ex afflatu Dei: quod Prædicatores non minùs quàm Prophetæ Spiritu ſancto inſtincti prædicent: & res non minùs abſtruſas, & illuſtres quàm illi proferant; in quibus etiam quædam ſunt futuræ, ut adventus Chriſti ultimus & Judicium finale.

Deum adora.

Vox eſt, non ſciſcentis, nefariam eſſe omnem adorationem quæ Deo non defertur, cum in Scripturis, ut ſuprà obſervatum à S. Gregorio vidimus, Joſue & Loth, quibus adde Abraamum ipſum Gen. XVIII. 3. & ſæpe alibi, homines in dignitate conſtituti, adorati ab aliis hominibus ſine reprehenſione legantur: ſed deprecantis à ſe honorem quem dignitas deferentis

recusandum suadebat: transferendo eo in naturam sine controversia eo dignissimam. sicut qui Egeno poscenti, benignè facere non potest, solet ipsi dicere: *Deus tibi benefaciat*: non utique negans, hominem homini posse ac, cum potest, debere benefacere.

V. 11. Et vidi Cœlum apertum: Et ecce equus albus.

Vide dicta superiùs ad vers. 2. cap. VI. non hîc triumphus describitur Christianæ Religionis, quasi more Romano, post Idololatriam debellatam, pompam ostentantis. Si enim hoc vellet facer Vates, non omisisset currum: nunc autem equo Victorem imposuit: & illum cum toto comitatu bellantum specie produxit: expeditio hæc ergo potius quàm ovatio est. Significatur autem hoc simulacro multiplex bellum, etiam post illam Constantinianam pacem, Christo & Ecclesiæ bellatum, 1. contrà Arianos. 2. contra Reliquias Idololatriæ duce Juliano. 3. contra Hæreticos alios post Arianismum exortos. 4. contra Saracenos & Mahumetanos. In his omnibus Bellis certamen Ecclesiæ fuit cum Principibus sæcularibus Errorum Patronis: & cum Doctoribus perversis: illi *Bestiæ*, hi *Pseudoprophetæ* nomine signantur. In primo bello Bestia fuit Constantius, & post illum Valens ambo acerrimi Protectores Arianismi. Pseudopropheta, Arius, Eusebius, Nicomedienſis, & alii Magistri Arianorum. In secundo Julianus Bestia: Pseudopropheta Jamblichus, Maximus, & alii Philosophi aut Magi Juliano familiares. In tertio Pseudopropheta Nestorius, Eutyches, Pelagius & *cæteri* Hæresiarchæ qui variis locis & temporibus insurgentes militantem Ecclesiam impugnaturi erant à pace Constantini usque ad consummationem sæculi universi per Propheticam syllepsim, uno singulari *Pseudopropheta* vocabulo comprehensi: sicut & *Bestiæ* nomine multi & varii Principes indicantur qui vim, opes & arma contulerunt ad Hæreses tuendas & promovendas. In quarto *Bestia* sunt varii Saracenorum duces & Othomanici Sultanes, Persarumque Reges & Mogolis, ac quotquot hodiéque alii per Orbem subnixi principali potentiâ Dynastæ ac Magistratus Alcoranum profitentur. *Pseudopropheta* verò autor Alcorani Muhammedes seu Mahometus, ejusque sectæ Magistri Cacires aut Mufti. Notandum hîc mutari genus belli. Hactenùs Christiani resistebant tantùm, & oppugnati patiebantur. Nunc ultrò bellum inferunt, Arianos damnantes in Concilio Nicæno, in Julianum Apostatam palàm scribentes; alios Hæreticos obterentes in variis Conciliis, & Principum eosdem Catholicorum armis etiam, ubi opus fuit, persequentes. Denique Saracenos expeditionibus sacris & Turcas Mahometis sectarios impugnantes stylo Doctorum & gladio Principum: horum ad id confœderationibus per Christi Vicarium Romanum Pontificem sæpe procuratis: quæ omnia jure suo fecit Ecclesia, & istud ipsum hîc prædicitur: cum Ecclesia non jam ut suprà cap. XII. specie mulieris draconem fugientis pingitur, sed bellatoris in equo armati, sequente exercitu, symbo-

lo designatur. Sed considéremus singula, expendendis distinctè Prophetiæ verbis.

Et qui sedebat super eum vocatur fidelis & verax.

Significat bellum istud majori ex parte non conflictu corporearum virium, sed falsitatis revictione per illatos veritatis radios, committi.

Et cum justitiâ judicat & pugnat.

Hæc omnia Christo tribuuntur tanquam capiti Ecclesiæ; quali quæ corpori conveniunt, verè adaptantur. Propheticè quippe hæc scribuntur: non est autem objectum Prophetiæ, professio præsens convenientium Christo attributorum. Hoc ergo prædicit his verbis Joannes: fore ut Ecclesia Christi virtute, & luce ab eo ministrata, pugnet contra errores, per summos Pontifices & Concilia: quod maximè locum habet in Hæresibus, quæ à *Constantini* Magni ætate usque ad hodiernam extiterunt: omnes judicatæ & damnatæ ab Ecclesiâ.

℣. 12. Oculi autem ejus sicut flamma ignis.

Plus dicit quàm quod Eccli. XXIII. 28. legitur: *Oculi Domini lucidiores sunt super Solem*: ubi de sola divinæ mentis perspicacia sermo est: hîc de cognitione ac scientiâ Fidelium: nam quæ Christo hîc tribuuntur, ei conveniunt, ut dixi, tanquam capiti Ecclesiæ, sua ducenti quæ membrorum sunt. Significat scientiam Sanctorum Novi Testamenti, non lucentem solùm, sed etiam ardentem esse, sicut flammam ignis; conjunctam videlicet cum amore in Deum & homines accenso.

Et in capite ejus diademata multa.

Indicantur his multa Regna, Gentes & Nationes liberæ quæ per mille annos à Constantino, Christi jugo collum ultrò subjecerunt. Hos Christus non cruentè sed blandè & ipsis utiliter vicit; & in iis regnavit juxta promissionem ipsi factam Psal. II. *Dabo tibi Gentes hereditatem tuam, &c.*

Habens nomen quod nemo novit nisi ipse.

Dupliciter hæc intelligi possunt: theologicè, vel œconomicè, hoc est, more loquendi Veterum Patrum, vel referendo hæc verba ad Christum, quâ merè Deus est: vel eadem ei adaptando quatenùs Verbum caro factum unam componit cum humanitate assumptâ Theandricam personam. Juxtà priorem sensum, Verbum quà Deus est *nomen* rectissimè dicitur habere,

quod nemo novit nisi ipse, intellectus videlicet divinus Tribus Personis communis: quamquam & in ipsa notionali proprietate secundæ Personæ qua Verbum Patris est exprimentis quæcumque in fœcundo generantis ipsum intellectu sunt, personalis est ratio ob quam ipsi peculiariter conveniat soli esse ipsi notum nomen suum. Nomen porrò aliud formale (ut Scholæ loquuntur) aliud *objectivum* est. Prius est idea aut notio quam mens aliqua rationalis in se formatam habet alicujus naturæ. Ea hujus imago & nomen est quia per eam noscitur: alterum, res ipsa in quam fertur, & quam repræsentat illa idea vel notio. Nomen ergo Dei objectivum est ipsa ejus divina natura: formale autem comprehensiva notio quâ divinus intellectus exhaurit totam essentiæ divinæ cognoscibilitatem adæquatissimè illam exprimens: quod illi uni reservatum est. Nam quantusvis intellectus creatus, etiam illuminatissimus intensissimo lumine gloriæ, insufficiens est ad formandam verè comprehensivam Dei visionem; qualis sola formale Dei nomen est, verissimè igitur nomen Christi considerati ut Deus est, non alii quàm ipsi notum est. Nec minus hoc idem Christo convenit secundum œconomiam, hoc est considerato quatenus est homo. Nomen ejus proprium in tali statu Jesus est, quæ vox Salvatorem sonat: hæc cum referatur ad salutem, intelligi non potest, nisi clarè cognoscatur qualis quantaque sit salus danda ab eo qui ex hoc Salvator dicitur. Salus autem à cujus procuratione Christus nomen Salvatoris gerit est felicitas æterna Sanctorum, de qua Paulus scripsit 1. ad Cor. II. 9. & Joannes Apost. 1. suæ Canonicæ III. 2. esse illam omni sensui, omni intellectui viventium inintelligibilem ac ne suspicabilem quidem. Solus Christus dum inter homines vivebat Deum simul videns & ejus felicitatis particeps, quippe viator idem & comprehensor, nomen suum Jesu & Salvatoris penitùs norat & cognoscendo adæquabat.

℣. 13. Et vestitus erat veste aspersâ sanguine.

Non fuerunt post Constantinum tam frequentia Martyria: fuerunt tamen quædam. Nam & Hæretici varii non paucos Catholicos occiderunt odio veræ fidei: & Julianus Apostata evectus ad Imperium, quamquam frustrà conatus restituere Idololatriam, plurimos tamen in hoc ipsi obsistentes brevi licet suo principatu coronavit. Præterea à Christianis ipsis Catholicis quosdam coronari Martyres contigit; in quibus SS. Stanislaus Cracovienses, & Thomas Cantuarienses, Episcopi: quosdam etiam à Sicariis: unum exempli gratiâ ponam S. Trudpertum, cujus Acta exhibent nostri Henschenius & Papebrochius 27. Aprilis, & martyrio affectum aiunt sæculo VII. post annum Christi 662. occisum à famulis cæmentariis malo dæmone instinctis, de quo juvat hîc describere pauca ex ejus Actis ad rem nostram facientia. Sic enim Autor illorum scribit cap. II. num. 21. pag. 430. Tomi III. Aprilis, statim à relatâ ejus cæde: *coronâ justitiæ jam potitur, inter exer-*

citus Martyrum purpuratus. Prærogativam enim hanc ille promeruit singularem : quod Ecclesiâ jam pacatâ, sublatisque tortoribus & Tyrannis, novo quodam genere confligendi contrà hostis antiqui satellites ipsi concessum est dimicare ; denique postquam fidei hostibus expugnatis feras portarum suæ Jerusalem Dominus *confortavit, & Filiis suis benedixit in illâ, & posuit fines ipsius pacem : adversarius noster Diabolus, tamquam Leo rugiens ad vorandum, cum jam Reges ac Præsides non haberet, per quos contrà Christi milites baccharetur, per plebeias vilesque personas novum* Domini *servo Trudperto certamen indixit.* Hæc ibi, ad rem hoc loco prædictam opportuna : nempe intelligendum etiam in pace Ecclesiæ Martyria nonnumquam cerni. Significatur id in hoc loco, symbolo vestis Christi, non jam rubræ, quali eum indutum vidit Isaïas, ab illo quærens cap. LXIII. 2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum ?* Verum candidæ, at *sanguine aspersæ*, ut hîc dicitur. vestis Christi Ecclesia est, prout ipse dixit apparens Petro martyri Patriarchæ Alexandrino, ut legitur in ejus Actis legi solitis in officio Ecclesiastico quotannis die VI. Kal. Decembres, qui est natalis illius Martyris. unde hîc quod aliàs observavimus usuvenit, ut subinde in Prophetiis symbola mutentur, idem significantia, dum paulò ante vidimus Ecclesiam dictam Corpus Christi, ei velut capiti subjectum : nunc verò eadem Christi vestis est.

Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.

Hæc videri potest ratio dicti prius positi de nomine equitis istius : *habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse* : nam verbo suo Deus & se, & omnia cognoscit ; sed & inesse his verbis tacita indicatio credi potest primi certaminis à Christo & Ecclesia statim ferè post Constantini pacem tumultu maximo & concussione totius Orbis decertati, Arianorum factione potentissima Christo eripere conante nomen Verbi Dei, divinitate abroganda, ipsoque in censum creaturarum redigendo : quod tamen frustrà tentaverunt, permansuro semper ipso in possessione istius nominis, prout hîc prædicitur.

℣. 14. Et exercitus qui sunt cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.

Cœlum hîc est *Regnum Cœlorum*, quo nomine Ecclesia militans sæpe designatur in Evangelio : dum autem non *populos*, sed *exercitus* dicit : indicat de iis solum hîc agi Christianis qui sacræ Militiæ adscripti sunt : hoc est de Clericis, Levitis, & Sacerdotibus utriusque Ordinis, Presbyteris & Episcopis. Ex his enim sunt Ecclesiastici Doctores, quorum est impia dogmata Hæreticorum refutare ac damnare : prætereaque sacris expeditionibus susceptis ad Nationes Idololatras, Evangelium in Gentes barbaras propagare : quod omnibus continenter à Constantino sæculis factum Historia Ec-

clesiastica testatur; idque futurum prædicitur hoc loco. In his equi albi, dotes naturales ingenii, doctrinæ, eloquentiæ significant: vestium verò candor, bonam vitam.

℣. 15. Et de ore ejus procedebat gladius.

Non est os membrum accommodatum gladio tractando: unde novum hic genus indicatur, non noxiæ percussionis, nec latus aut viscera corporum infensè, sed aures salutariter petentis.

Acutus.

Græcè ὀξεῖα, nam ibi ῥομφαῖα pro gladio ponitur. intelligendus autem hic gladius non solo mucrone *acutus*: sed & latus utrumque laminæ totius ad secandum elimatum districtumque habens: qualeis Ps. CXLIX. 6. & Hebr. IV. 12. vocatur δίστομος, *anceps*: quod ut exprimant distinctiùs, quidam Latini codices Apocalypsis addunt *ex utraque parte*; qui sit porro hic *gladius*, exertè docet S. Paulus Ephesiis scribens, *& gladium spiritus, quod est verbum Dei*, de quo idem loco ad Hebr. proximè laudato dixerat: esse illud *penetrabilius omni gladio ancipiti.*

Ut in ipso percutiat gentes.

Non esse hanc percussionem crudelem, quæ ad percussi tendat interitum, priùs indicatum est oris mentione, à quo oscula potius quàm vulnera expectantur: quod si nihilominus hæc percussio est, medica ea est Chirurgi tundentis venam ad ægrum curandum: non autem sęvientis aut perdentis hostis. Pelias hasta in fabulis sanabat vulnera quæ ipsa fecerat: Christi telum sanat vulnera quæ etiam alii fecerunt: significatur ergo hîc conversio Infidelium coargutis luce divini Verbi eorum erroribus, eventura Christi beneficio, opera Ministrorum ejus, Ecclesiæ Doctorum. Eodem spectat David Ps. XLIV. 6. dum Christum alloquens ait: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent*, ubi *cadent* nihil sonat lethale: sed conversarum ad Christum Gentium solam prostrationem ad eum adorandum & subjectionem voluntariam qua se illi submittunt, in quo salus ipsarum sita est. Egregiè Basilius magnus in catena Gręca ad eum Psalmum. Νῦν οὖν τὰ βέλη σου ἠκονημένα. ἐκ τούτων τῶν βελῶν τιτρώσκονται αἱ παραδεξάμεναι τὴν πίστιν ψυχαὶ, καὶ εἰς τὴν ἄκραν τοῦ Θεοῦ ἀγάπην ἐκκαυθεῖσαι, hoc est: *Nunc igitur sagittæ tuæ acutæ. his sagittis vulnerantur amplexæ fidem animæ, & in summam Dei caritatem accensæ*

Et ipse reget eas in virga ferreâ.

Non sine causâ hîc mutatur tempus: & cum antea tamquàm de re præsenti

dictum ſit : *Ecce equus albus & qui ſedebat ſuper eum, &c. Et veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine. Et exercitus qui ſunt in cœlo ſequebantur, &c. & de ore ejus procedebat gladius &c. ut in ipſo percutiat, &c.* Quæ omnia repræſentant clementem & placidam Imperii Chriſti adminiſtrationem perſtituram quamdiu militans Eccleſia durabit : ſubjungit tamquam rem futuram regimen aſperum ſignificatum iis verbis : *ipſe reget eas in virgâ ferreâ* ; quaſi diceret, ille qui quamdiu perdurabit tempus viæ, manſuetè ſe cum hominibus gerit, non percutiens eos niſi ut ſanet : denique in ſecundo adventu, quando idem ipſe in aliâ perſonâ judicis inexorabiliter ſeveri apparebit, utetur armis immitibus, virgâ ſcilicet ferreâ ad conterendum & perdendum. renovans igitur hîc Joannes Prophetiam Pſ. II. 9. dudum ſcriptam, adjicit ei deſignationem temporis quo illa eſt eventura, finem nimirum ſæculi ; quando ponet Deus inimicos Chriſti *ſcabellum pedum ejus*, ut legitur in Pſ. CIX. 2. & ipſe non amplius placabilis Impiis, *conteret virgâ ferreâ ut vas figuli & conquaſſabit capita in terrâ multorum*, hoc eſt : ſicut olim David ſine miſericordiâ ultus eſt Ammonitas, qui legatos à ſe miſſos inmaniter contrà jus Gentium violaverant (quæ erat figura rejectionis à Reprobis dum viverent factæ vel Prædicatorum Evangelii, vel exhortantium ad pœnitentiam, vel denique inſpirationum & gratiarum quibus vocabantur & invitabantur ad viam ſalutis capeſſendam) captâ urbe regiâ ipſorum *Rabba* quæ illo Pſal. CIX. 6. in Hebræo nominatim exprimitur eo vocabulo pro quo Vulgatus, *multorum*, poſuit. Res autem ipſa geſta narratur II. Reg. XII. 29. ubi verſ. 31. de Ammonitis eo bello captis additur : *Et circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diviſitque cultris*, & mox : *Sic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon.* Hanc figuram ex mente divini Spiritûs ad præſignandum ultimam illam reproborum exciſionem conferri, ſignificat Pſalmus ille de Chriſto propheticus CIX. cum hoc Apocalypſis loco comparatus.

Et ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

Redit ad tempus præſens ponendo *calcat* poſt *reget* : ut oſtendat, quæ ſequuntur ad tempus viæ ; ac militantis in terris Eccleſiæ pertinere. Reſpiciunt hæc illud Iſaïæ LXIII. 3. *Torcular calcavi ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum*, & ſignificant, Chriſtum ; ut in vitâ mortali paſſus ipſe multa & gravia, nihil tamen moleſtum inimicis inflixit : ita in corpore ſuo Eccleſiâ, & in membris ſuis viris Sanctis, paſſurum item perpetuò uſque ad finem ſæculi Perſecutiones Impiorum eo modo quo calcator uvarum poſt vindemiam ſolatur laborem ſpe vini ſuavis & utilis inde profluxuri : calcatur autem à Sanctis idem torcular quod calcavit Chriſtus, juxta illud Pauli : *Adimpleo quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne meâ.* Coloſ. I. 24.

℣. 16. Et

℣. 16. Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Titulus regni Chriſti ſcriptus dicitur in *femore ejus*: quia ex ipsâ naturâ ejus, hoc ipſo quod humanitas ipſius Verbo unita eſt, competit ei jus pleni & ſummi Dominii in omnia. Idem ſcriptus in veſtimento quoque eſt, ut indicetur Chriſtum eumdem propriis meritis & rectè factis, præſertim verò illâ obedientiâ quâ in cruce Patris juſſu moriens Diabolum hujus mundi Tyrannum vicit, novo jure Imperium Orbis meruiſſe. Duos iſtos Regni Chriſti titulos argutè innuit Paulus Apoſtolus ad Philipp. ſcribens II. 6. his verbis: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* In formâ Dei eſſe Chriſtum, eſt per unionem hypoſtaticam eſſe ipſius humanitatem intimè conjunctam Verbo divino in unitate perſonæ: unde prono fluxu ſequebatur ut ei tamquam unico conſubſtantiali Filio Patris æterni competeret plenum jus æqualitatis in omnimodo Dominio cum Patre Deo. Id indicatur verbis illis *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: Rapinam arbitrari, ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, phraſi græca eleganti ſignificat: frui gratis, & ſine ullo promerendi labore acquirere jura hereditaria quæ ſoli naſcendi ſorti imputantur. Hic eſt primus nunc à Joanne indicatus Regni Chriſti titulus *ſcriptus in femore.* En alium *in veſtimento ſcriptum*, Pauli verbis ſequentibus deſignatum: *Sed ſemetipſum exinanivit.... humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Opera Chriſti ſancta; præſertim executio præcepti moriendi, novus illi titulus fuerunt, ad jure obtinendam æqualitatem Regni & Dominii cum Deo; hocque ſolo Chriſtus uti voluit, abſtinens priori, & ſpecie privati duntaxat & tenuis hominis apparens, quoad morte obitâ reſurgens, poſſeſſionem inivit divini Regni. Hoc ita futurum Prophetiæ prædixerant: prout Chriſtus ipſe Luc. cap. ult. 25. duobus Diſcipulis euntibus Emauntem oſtendit, his eos verbis increpans, *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam?* Hos duos titulos Regni Chriſti diſtinguit S. Bern. ſermone quodam piè argutéque adjungens: contentum eum primo pro ſe, ceſſiſſe ac tranſcripſiſſe alterum nobis. Ex his patet elegantiâ ſymboli quo rem hanc Joannes hoc loco exprimit, per veſtimenta, rem corpori extimam, opera Chriſti ſancta, ab ejus ſubſtantiâ, cujus erant effectûs, diſtincta, ſignificans.

℣. 17. Et vidi unum Angelum ſtantem in Sole: & clamavit voce magnâ dicens omnibus avibus quæ volant per medium Cœli.

Aves quæ ſemen in viam ſparſum tollunt & abſumunt, in Parabolâ Evangelicâ Marc. IV. & Luc. VIII. mali Dæmones dicuntur. Verùm, ut

ut symbola non rarò ancipitia sunt; & per vices eadem in malam & in bonam trahuntur partem, ut in serpente videre est; quod animal licet plerumque in Scripturis Diabolum humani generis hostem adumbret: tamen idem ex ære jussu Dei fictus Num. xxi. 8. Christum significavit: idemque à Christo ipso præcipiente suis ut essent *prudentes sicut serpentes*, in exemplar Christianæ sapientiæ propositus est Matth.x.16.non licet dubitare quin boni quoque Angeli; atque adeò Evangelici operarii, Avium nomine hic designari potuisse rectè convenienterque videantur: cum series rerum & præcedentium cum sequentibus id naturalis connexio suadeat, haud obscurè innuens, vocari hic Ecclesiæ Doctores ad operam Prædicationi navandam, ex quâ fructus iis uberrimus promittitur. Agitur autem hîc de Prædicatione post Constantini pacem liberè jam & palàm exercitâ: quod indicat Angeli hæc pronunciantis *statio in Sole*, emphasim habens pleno jure, luce palàm, faventibus summis potestatibus, administrandæ Prædicationis Evangelicorum dogmatum, vel Ethnicis Idololatris, vel Hæreticis. Repræsentat ergo hic Angelus *stans in Sole*, Catholicam Ecclesiam, & Romanum Pontificem ejus caput, palàm jam, non ut olim sub Tyrannis persecutoribus, clanculùm; mittentem Doctores & Prædicatores ad revincendos Hæreticos, & convertendos Ethnicos. Eliguntur ad hæc munia, non homines humi repentes per vitam sæcularem & imperfectam: sed volantes per medium Cœli, praxi virtutum & vitæ cœlestis æmulatione, de qualibus scribit Isaïas c. lx. 8. *Qui sunt isti qui ut nubes volant: & quasi columbæ ad fenestras suas?* Agere enim ibi Prophetam de annunciatoribus Evangelii ad Gentes barbaras remotissimas, innuunt quæ præcedunt, de conversione nationum, *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortûs tui, &c.* tum quæ consequuntur: *Me enim insulæ expectant, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe.... & ædificabunt filii Peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. Et aperientur portæ tuæ jugiter; die ac nocte non claudentur; ut afferatur ad te fortitudo Gentium: & Reges earum adducantur, &c.*

Venite & congregamini ad Cœnam magnam.

Dicebat Christus ministrantibus cibum Discipulis Joan. iv. 34. *Cibus meus est ut faciam voluntatem Patris mei, &c.* voluntas Patris de quâ hîc sermo est, ut ex antecedentibus & sequentibus patet, est opera locata in convertendis animabus. Invitantur ergo his verbis operarii Evangelici ad vacandum magnis animis conversioni Peccatorum, Hæreticorum & Idololatrarum; promisso illis ingenti laboris talis successu & operæ pretio: quod verba continuè sequentia exprimunt.

Ut manducetis carnes Regum & carnes Tribunorum, & carnes equorum & sedentium in ipsis.

(τὸ & expositivum hîc est, æquivalens τῷ, *id est*)

Et carnes omnium liberorũ & ſervorum, & puſillorũ, & magnorũ.

Cum juberetur Petrus Act. x. 13. occidere & comedere beſtias immundas, ſignificabatur, mandare ipſi Deum ut prædicaret Evangelium Gentilibus, ut ibi diſertè traditur: converſio porrò infidelium ad fidem Chriſti, ideo adumbratur ſymbolo comeſtionis, quia ſicut per hanc aliena ſubſtantia, putà caro pecudum, transmutatur in corpus humanum comedentis: ita per Evangelicam operam Miniſtrorum Chriſti legem ejus docentium & Baptiſmo regenerantium credentes, hi priùs alieni à Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, incorporantur ipſi fiuntque nova ejus membra. Qui ſignificatus eo eſt elegantior quod & comeſtionis & Prædicationis os commune inſtrumentum eſt. Prædicunt ergo hæc fore, ut per mille annos à pace Conſtantini ſummâ jam libertate locis & temporibus cunctis longè latéque per Europam, Aſiam & Africam continuata zelo virorum Apoſtolicorum Evangelica Prædicatio tantos in omni hominum genere, ætate, ſorte ac conditione fructus ferat, ut nullus denique Rex, nullus Magiſtratus, nemo è populo ac plebe liber aut ſervus ferè reperiatur non Chriſtianus: cujus vaticinii ἀποβασις *eventus* manifeſtè cernitur in Hiſtoriis omnium Gentium à ſæculo Æræ Chriſtianæ tertio ad tertiumdecimum; & præſertim in Annalibus Eccleſiaſticis.

℣. 19. Et vidi Beſtiam & Reges terræ, & Exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum Exercitu ejus.

Quæ ſuperiori commate prædicta eſt converſio Gentium ferè omnium, & hominum omnis ſortis, non ſemel, nec ſtatim à Pace Conſtantini peracta eſt, ſed ſenſim. unde multi adhuc Reges ac Populi Idololatræ, non modò ſuperſtitiones Ethnicas tenuerunt, ſed impugnaverunt etiam Eccleſiam. In his ſunt decem Gentes quarum ſupra mentio eſt ſub ſymbolo decem cornuum cap. XVII. Hi, ut ibi diximus, fuerunt Viſigotthi, Oſtrogotthi, Vvandali, Gepidæ, Eruli, Longobardi, Burgundiones, Hunni, Franci, Anglo-Saxones. Floruerunt hi omnes poſt Conſtantinum, armis prævalentes: adeo ut Imperium tandem Romanum Occidentale deleverint: & ſubjectas illi terras & Provincias occuparint ſua in iis regna conſtituentes. Quod eleganter exprimit illic ſacer Vates ſcribens v. 16. *Hi odient fornicariam*, nempe Romam, *& deſolatam facient illam & nudam, & carnes ejus comedent, & ipſam igni concremabunt.* Iſtæ autem nationes priùs fuerunt Idololatræ, ac Chriſtianis infenſæ, poſteà tamen ad Chriſtum cunctæ ſunt converſæ. quod Joannes prædixerat his verbis v. 14. *Hi cum Agno pugnabunt & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum.* qualem hoc loco ſacer Vates in aſcenſore Equi alibi repræſentat, dum hunc ait *habere in capite diademata multa & habere ſcriptum in veſtimentis & in femore ſuo Rex Regum & Dominus Dominantium* Hos ergo

Reges in priore illo ſtatu Idololatriæ & odii Chriſtianorum conſiderans hoc loco Joannes complectitur per ſyllepſin univerſos uno *Regum terræ* nomine, & *Exercitus eorum, congregatorum ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo*, hoc eſt Chriſto. comprehendens eodem vocabulo per latiorem ſyllepſin, etiam Reges Chriſtianos, ſed Hæreticos, qui Catholicos perſecuti ſunt, ut ſuas Hæreſes tuerentur, Arianam Conſtantius, Valens, Vvandali Reges Africæ, Gotthi Hiſpaniæ, alias alii. Similiter autem Beſtiæ nomine Religiones omnes pravæ & damnata dogmata, ſeu paganica ſeu hæretica, cum utrorumque autore ac Præſide Diabolo deſignantur. Denique *Pſeudoprophetæ* ſingulare vocabulum Myſtas, Sacrificulos, Magos, Hæreſiarchas aut Hæreſum Doctores, ſimul colligit. Diverſos porrò trium harum ſpecierum ſucceſſus & exitûs, ſequentia prædicunt.

℣. 20. Et apprehenſa eſt Beſtia, cum Pſeudoprophetâ qui fecit ſigna coram ipsâ: quibus ſeduxit eos qui acceperunt Characterem Beſtiæ, & qui adoraverunt Imaginem ejus, vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.

Duo prima iſtius tripartitæ diviſionis membra, quorum prius continet Diabolum Idololatricorum Mahometanorum Hæreticorum Dogmatum communem Patrem, alterum homines ab eo ſeductos, primos aut præcipuos errorum illorum aſſertores & propugnatores; quales in Idololatriâ fuerunt Magi de quibus ſuprà diximus, in Mahometiſmo Alcorani ſcriptor & Interpretes, in Hæreſibus primi earum Inventores, & earundem diſerti ſuaſores, nihil non agentes arte ſummâ, ut illa reddant plauſibilia: ambo hîc dicuntur *miſſi in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*. quæ eſt gehenna & Infernus, Reproborum in æternum ſedes: ut ſignificetur id genus hominum non ferè magis quàm Diabolum reſipiſcere, ſed in peccato ſuo impœnitens mori, detrudique in exitium ſempiternum. cujus vaticinii eventus facilè cernitur in Hæreſiarchis Ario, Neſtorio, Eutyche, aliis per cuncta poſt Conſtantinum ſæcula, quales fermè omnes, ut Annales Eccleſiæ teſtantur, irrevocabili pertinaciâ ſuis erroribus ad mortem uſque adhæſerunt.

℣. 21. Et cæteri occiſi Gladio ſedentis ſuper Equum, qui procedit de ore ipſius.

Hîc memorati, *cæteri*, ſunt quotquot non continentur duabus claſſibus de quibus diximus, indicatis, priori quidem nomine *Beſtiæ*, ſignificante, ut dictum eſt, malos Dæmones Idololatricorum & Hæreticorum dogmatum primos inventores: prætereaque inſtinctos ab iis homines, qui ea vel primi docuerunt, vel ex profeſſo Magiſterium eorum exercuerunt. Altero *Pſeudoprophetæ*, deſignante Promotores ſedulos, & pertinaces defenſores, vel ſuperſtitionum vel Hæreſum. quales omnes hîc prædicitur, demergen-

dos in Infernum. Et eventus in Hiſtoriis apparet: ubi cernuntur tam raræ Converſiones Magnorum Hæreſiarcharum & Magiſtrorum cujusvis falſæ doctrinæ, ut eorum reſipiſcentia non magis ſperanda quam malorum ipſorum Dæmonum pœnitentia videatur. Fruſtra ergo in iis ferè laborant Prædicatores Evangelici hîc per Aves deſignati: fruſtrà quoque in tales vibratur gladius ex ore Chriſti procedens, quod eſt verbum Dei: ſurdi perſiſtunt, & in peccato ſuo morientes in Infernum tandem cadunt. Non tam infelix (quod nunc dicitur) ſors eſt claſſis tertiæ comprehendentis ſeductos à Beſtiâ & Pſeudoprophetâ *Reges & Exercitus eorum* hoc eſt Principes, Magiſtratus, & populos. In his enim, omnium, à Conſtantini præſertim ætate, ſæculorum experientia monſtravit, navari plerumque operam iis dedocendis, à Patribus & Doctoribus Eccleſiæ: quales indicari verbis ſequentibus putamus.

Et omnes Aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum.

Cum comeſtio, ut ſupra oſtenſum eſt, prædicationem repræſentet, ex conſecutione allegoriæ eſt ut ſucceſſus prædicationis, & converſio Idololatrarum & Hæreticorum operâ Sanctorum Prædicantium effecta, *ſaturitas* horum Symbolicè appelletur. ſanè ſicut ſaturitas cibi corporei recreat & lætificat animal: ita conſentaneum eſt fructum animi præcipuum ex hoc in Prædicatores redundare, *ſicut exultant victores captâ prædâ quando dividunt ſpolia*, ut de his habet Iſaias cap. IX.3. nec enim ſolis *Angelis in cœlo gaudium eſt ſuper peccatoribus pœnitentibus:* at ipſi vel maxime Meſſores Evangelici quorum hortatu pœnitentes reſipuerunt *venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*, quod de iis prædicit Pſalmus CXXV. Quamquam, ne quid diſſimulem, videtur hîc memorata *ſaturitas Avium* aliò quoque referenda. Dicitur Oſee IV. 8. de Sacerdotibus legis Veteris: *peccata Populi comedent.* quibus ſignificatur dona & victimas quæ offerebantur ab Iſraelitis in expiationem peccatorum quorum ipſos pœnitebat, *ceſſiſſe in victum &rem familiarem* Sacerdotum Aaronicorum. ſuprà quoque vidimus cap. XVII. 16. decem Populos qui deſtruxerunt Imperium Romanum Occidentale, deſinens in Auguſtulo, & omnes ditionis ejus oras Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam inter ſe partiti ſunt, varia in iis ſua regna inſtituentes, *Comediſſe carnes Fornicariæ*, hoc eſt, Romæ Idololatræ: ſignificando eos in ſuum uſum & proprietatem opes Romæ convertiſſe: ſicut qui comedit, cibum in propriam ſubſtantiam convertit. Aliquid ſimile ſecuturum ex Prædicatione Evangelica per Doctores Eccleſiæ mille annis poſt Conſtantini pacem ad Idololatras & Hæreticos faciendâ, his verbis prænunciatur dum dicitur fore ut *Aves ſaturentur.* Aves, ut oſtendimus, hîc dicuntur homines elevati ſanctimoniâ & abdicatione terrenorum ſupra vulgarem vitæ uſum. Hi fuerunt Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici, Monachi; quales tot Eccleſiæ ſæculis per

Prædicationem Evangelicam ad Gentes varias vel Idololatras, vel Hæresibus deceptas, vel peccatrices, gladium Verbi Dei Christi ore prolatum intentaverunt, cum fructu inter alios tali ut conversæ Gentes ac Principes, ultrò largissimè opes magnas contulerint ad Ecclesias innumeras, Cœnobia, Monasteria, exstruenda, dotanda, ornanda. unde contigit Clerum, Sacerdotalem ordinem, Episcopatus, Abbatias copiosissimè ditari. hoc fuit, meo judicio, quod hîc dicitur, *omnes Aves saturari carnibus occisorum* (hoc est conversorum) *gladio procedente ex ore Christi.*

AD CAPUT XX.

℣. 1. Et vidi Angelum descendentem de Cœlo, habentem clavem Abyssi, & catenam magnam in manu suâ.

LIGARI malos Dæmonas à Deo, ministris ad id utente Angelis sanctis, discimus ex libro Tobiæ, ubi cap. VIII. 4. legitur: *Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.* Viderat suprà Joannes, ut dixit v. 20. capitis superioris *apprehensam Bestiam, & missam in stagnum ignis.* Sed quia *Bestia* illic nomine, juxtà expositionem nostram, non solus primus inventor & suggestor Idololatriæ ac malarum omnium doctrinarum indicatur Lucifer: sed etiam prorsus ipsi addicti homines, quibus sibi irrevocabiliter affixis utitur ad fundandas, propagandas, propugnandas pravas Religiones; aliquid hîc de eo peculiariter dicendum fuit, præsertim cum non eandem Epocham aut punctum temporis signent, *apprehensio Bestiæ* illic memorata, & hîc subjecta *Draconis religatio.* Prior enim pertinet ad momentum victi à Constantino Maxentii, quando Præses Idololatriæ Diabolus graviter quidem afflictus, nondum tamen omninò exterminatus est; resumpsit enim postea vires in Licinio Constantini collegâ, Cæsarum Ecclesiæ Persecutorum ultimo, quo demùm victo & mortuo tota vis Romani Imperii penes unum remansit Constantinum: quam ille potestatem universam ad illustrandam Christi Religionem quam susceperat conferens, Edicta promulgavit, quibus Idololatriæ vires elisit, quando & id quod hoc loco prædicitur evênit: ut ligaretur in mille annos Princeps Dæmonum Idololatriæ per totum Orbem Institutor & promotor efficacissimus; & satellites tantùm ejus minores Dæmones per mundum evagari sinerentur. Scio bonum Interpretem existimare hanc alligationem Draconis in morte Christi completam: neque hîc tanquam futuram à Joanne prædici, sed trecentis priùs actam annis detegi, nunc lumine Prophetico (quod non solùm ad res futuras prævidendas valet; sed &

ad absentes, aut præteritas quoquo modo latentes cognoscendas) nititur ille iis Christi verbis paulò ante mortem dictis : *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* : quod ego quoque evenisse in Christi morte fateor ; &, si nihil aliud hic prædicitur, causam nego fuisse Joanni ullam, hæc non modò dudùm transacta, sed & cunctis nota ex iis vulgatissimis Evangelii verbis, in Prophetiæ formâ hoc loco proponendi. Confundunt, qui sic sentiunt, in unum tres distinctissimas & epochis temporum disjunctas res ; ejectionem, apprehensionem & alligationem Principis Dæmonum. Prima in Christi morte contigit, per quam *ejectus foras Princeps mundi hujus*, hoc est dejectus de jure in homines regnandi Diabolus est ; contraxerat enim humanum genus servitutem sub Diabolo culpâ primi Parentis, quæ quamdiù mansit inexpiata, tamdiù dominiũ istud Diabolo propriũ perstitit. Persolutâ verò per Redemptoris mortem satisfactione Adami delicto pari, non plus deinde juris Diabolo in Hominem remansit, quam Hero qui pretium pro mancipio taxatum acceperit, in servum redemptum. Cæterùm tunc *ejectus* Princeps Mundi vagari tamen in hoc aëre permissus est, & pro Idololatriâ contra Christi Doctrinam strenuè certare; prout apparuit in Persecutionibus cùm Judæorum Christo rebellium, tùm Gentilium, & præsertim Romanorum Cæsarum in Ecclesiam ejus instinctu motis. Tandem trecentis post annis placuit Deo inhibere vim sævam *apprehensâ bestiâ*, quod ut diximus in Constantini de Maxentio victoriâ evenit. quando Præses Idololatriæ malus Dæmon, etsi nondum amandatus in Infernum, tamen constrictus quodammodo est, & ut qui antequam compingantur in carcerem vinciuntur, prohibitus est tantum quàm anteà nocere. donec superato per Constantinum extinctoque Licinio, placuit Deo mille annorum plenam pacem Ecclesiæ indulgere, ab istius potentissimi propugnatoris Idololatriæ efficacissimis tentationibus liberam, eo in annos mille intrà Infernum alligando, quod sequentia declarant.

Et apprehendit.

Antea fuerat apprehensus, supra v. 20. capitis XIX. sed nunc, ut qui à lictore comprehensus latro est, & *interim vinctus donec quid re cognitâ.* Prætor decernat, audiatur ; allato novo mandato mancipandi eum custodiæ, de novo apprehenditur ut abducatur quò imperatum novissimè est.

Draconem serpentem antiquum ?

In Græco triplex est articulus, τὸν δράκοντα, τὸν ὄφιν τὸν ἀρχαῖον. quod habet emphasin significati singularis individui speciei aut generis malorum Dæmonum. Indicatur autem nobilissimus quoad dotes naturales, omnium Dæmonum ; ille quem vulgò vocamus Luciferum, ex loco Ezechielis cap. XIV. 12. ubi de eo agi putatur sub personâ Regis Tyri. Hic *serpens antiquus*

vocatur cum allusione ad illud Genes. III. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ . . . qui dixit ad mulierem : cur præcepit vobis Deus ?* &c. ut indicetur istum hîc memoratum, eumdem ipsum esse qui primos parentes in lapsum induxit: eumdem qui toto deinde orbe Idololatriam sevit, qui persecutiones sævissimas in Ecclesiam nascentem totis trecentis annis excitavit. In voce Draconis, illi hoc loco & sæpe superius in hoc libro tributa, peculiaris indicatio est præcellentis perspicaciæ mentis, quâ est ille super omnes Dæmonas alios ingenti præditus : nam δράκων *Draco* Græcis à δέρκω, quod sonat *acutissimè cernere*, ducitur.

Qui est Diabolus & Satanas.

Duo hæc sunt nomina, græcæ unum, alterum hebraicæ originis, eidem Dæmonum Principi passim in Scripturis per antonomasiam tribui solita, etsi ministris ejus inferioribus interdum adaptentur διάβολος *Diabolus* à διαβάλλω derivatur, quod est *criminari, calumniari*; quod idem qui ex odio in homines infando, ad peccatum eos impellit, delicta eorumdem deferat, & calumniosè interdum augeat, ut pœnas ies graviissimas procuret : quod nomen præterea promeruisse videri potest, probis hominibus accusandis apud eos qui valde ipsis nocere possent, & ipso instigante vellent : quales Persecutores Cæsares in Christianos fuerunt. Satanas hebraicum est à radice שטן quæ sonat odio habere : quare illo vocatur æternus & irreconciliabilis inimicus : quo alludens eleganter Sanctus Abbas Nilus ep. CLI. ex editis à me anno 1657. hæc scribit : ἕως ποτε φιλήμεν τὸν ἐχθρὸν καὶ ὀλεθρευτὴν τῶν ψυχῶν ἡμῶν Σατανᾶν : *Quousque amamus hostem & interfectorem animarum nostrarum Satanam ?*

Et alligavit eum per annos mille.

Non desunt qui opinentur : millenarium hîc numerum indefinitè usurpari, ut τὸ *mille anni*, non plus sonet quàm *multi* numero incerto. Equidem video Latinos ita interdum loqui, ut cum Virgilius *mille nocendi artes* cuidam Furiæ tribuit, & de Iride ait :

Mille trahit varios adverso Sole colores.

Non memini tamen nunc Græcos (quâ linguâ Joannes scripsit) exprimere numerum incertum magnum per χίλια. adhibent enim ad hoc potiùs μυρία. Utut tamen de hoc sit, aio esse indicium certum usurpatæ hîc vocis *mille* in sensu stricto & exacto, summæ annorum decies centum, cò quod sacer Vates ejus spatii terminum designat ; & quiddam momenti præcipui, & quod nosse cunctorum interfit, post evolutos istos annos mille, eventurum, Ecclesiam prædocet ; nempe fore ut tunc laxetur à vinculis Satanas, & prodire

&prodire abyſſo ſinatur, ad ſeducendos iterùm homines, quam præmonitionē nemo non intelligit vanam &fruſtraneā fore; ſi non præfigeretur hîc intervallum determinatum &numerabile: quo palàm tranſacto cavere ſibi Chriſtiani deberent à vi & inſidiis verſutiſſimi & irritatiſſimi hoſtis tunc ſoluti, & liberè, ut olim, viribus & artibus ſuis in hominum perniciem uſuri. Noſtrum ergo eſt indagare, ſi poſſumus, principium & finem millenarii hujus annorum ſpatii. Ac initium quidem ſeries ipſa rerum hac Prophetia prædictarum ſatis indicat procedere à primâ promulgatione plenæ pacis ac libertatis per Conſtantinum Eccleſiæ conceſſæ. Talis ea numquam fuit ante exautoratum extinctumq; Licinium. Tunc enim victor Conſtantinus Chriſtianā Religionē liberaliſſimis, & quaſi triumphalibus Edictis ſtuduit ornare. Recitat ea Euſebius lib. II. de vitâ Conſtantini à cap. XXV. ad LX. nec ſine numine factum autumem ut in horum altero (tria enim ſunt) nempe in Reſcripto ad Euſebium capite XLV. deſcripto: quo imperatur ut Eccleſiæ Chriſtianorum ubique ſumptu publico ædificentur, fiat diſtincta mentio *Draconis* quem hîc Joannes tunc ligandum prædicit: ſic enim ibi loquitur Conſtantinus: Νυνὶ δὲ τῆς ἐλευθερίας ἀποδοθείσης, καὶ τοῦ Δράκοντος ἐκείνου ἀπὸ τῆς τῶν κοίνων διοικήσεως, τοῦ Θεοῦ μεγίστου προνοίᾳ, ἡμετέρᾳ δ' ὑπηρεσίᾳ ἐκδιωχθέντος: *Nunc autem libertate redditâ, & Dracone illo, à rerum communium gubernatione, Dei maximi providentiâ, noſtro autem miniſterio, dejecto.* Indicat quidem his verbis Conſtantinus *Draconis* appellatione Licinium: & hoc ipſo confirmatur, quod dixi, datum hoc reſcriptum ſtatim ab amoto à Reipublicæ Romanæ adminiſtratione Licinio: non eſt tamen inveriſimile, divinam ad minima deſcendentem providentiam effeciſſe, ut Reſcripto Conſtantini inſereretur *Draconis* mentio, anceps ad deſignandum tam Licinium Perſecutorem, quàm ejus ad id impulſorem & inſtigatorem Satanam: ſicque indicandum initium mille annorum quibus duraturam Eccleſiæ pacem hoc loco prædixerat: nec videri debet Reſcripti editio minor dictu res, quàm ut poſſit exiſtimari habitam ejus in Prophetiâ illuſtri rationem; cum in ferè omnium celeberrimo Gabriëlis Archangeli ad Dan. cap. IX. 24. vaticinio hebdomadum LXX. principium ejus ſpatii diſertè ſignetur ſimile Reſcriptum Artaxerxis Longimani Perſarum Regis in favorem Judæorum Nehemiæ dati, ut aliàs ex profeſſo demonſtravi diſſertatione de LXX. Hebdomadibus edita ann. 1681.

Et miſit eum in abyſſum.

Hæc non tantùm ſymbolicè dicta intelligantur, ſed etiam hiſtoricè; ut verè Princeps Dæmonum Lucifer, ſummus eatenùs protector & promotor ſuperſtitionum Idololatricarum omnium, revera relegatus in Infernum, ibique clauſus & religatus ſteterit per annos mille. Infernum *Abyſſi* vocabulo hîc deſignari demonſtratur ex Luc. VIII. 31. ubi legio Dæmonum ejecta ex Energumeno à Chriſto: *Rogabant illum ne imperaret, ut in abyſſum irent.*

Et clausit & ligavit super illum.

Græca in originibus sic habent: καὶ ἔκλεισεν αὐτὸν, καὶ ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ. hoc est. *Et clave obseravit ipsum, & sigillo super eum appositò signavit*: quibus distinctè singula in eum facta exprimuntur. nam primùm apprehensus, vers. 20. cap. XIX. & vers. 2. cap. XX. deinde ligatus *catenâ magnâ*, vers. 1. XX. memoratâ: tertiò detrusus in abyssum vers. 3. quartò ibi clave clausus: ἔκλεισεν αὐτὸν. postremò sigillum ostio carceris impressum est; efficacissimum repagulum adversùs vim quamlibet, internam & externam; ne aut ipse portâ intùs effractâ erumpere; aut quisquam ei studens, pandere ostium à foris posset.

Ut non seducat ampliùs Gentes, donec consummentur mille anni.

Princeps iste dæmonum commune id propositum cum sibi subjectis spiritibus reprobis habet, *ut gentes seducat*, hoc est, vel nondum conversas in falsâ superstitione retineat & confirmet: vel Christianas factas in hæreses & schismata pervertat. Sed ad hæc incomparabiliter majorem vim & efficaciam inesse ipsi dum per se talia conatur, quam ulli minorum dæmonum, & ex sese credibile est, & hîc innuitur, & experientiâ apparuit. Nam post amotum hunc de medio; quod factum ostendimus, pace Ecclesiæ, post Licinium dejectum, à Constantino jam Romani Imperii totius unico Domino edictis efficacissimis stabilitâ: manifesto experimento comprobatum est: minus pertinaces erroris aviti fuisse Gentiles Idololatras: quorum tam multi spatio inde sæculorum decem, longè quàm antea facilius Evangelio subjuncti sunt: & Hæreticos posteâ exortos minus ferè nequitiæ quàm spurcissimos Gnosticos, minus crudelitatis quàm immanissimos Donatistas & Circumcelliones ostendisse. Etiam Ariani ante promulgatam edicto Constantini pacem nati erant: non vano Augurio cooperati in ea hæresi condendâ Ario Luciferi. Haud etiam visi per id spatium memorantur impostores Magi Simonum, Apolloniorum, Plotinorum de quibus suprà diximus, in præstigiis, signis, simulatione probitatis & artibus ad seducendum pellacissimis similes; etsi enim Alcorani autor Muhammedes isto spatio exortus. nempe sæculo à Christi ortu, septimo, iis non inferior videri potest; tamen hujus noxia vis tribus fermè sæculis intra modicos Arabiæ natalis fines sese continens, haud adeò latè perniciem propagavit: quoad ei suppetias adveniens jam solutus, ut mox dicetur, Princeps Dæmonum Othomanicâ ipsam & Persicâ potentiâ armavit.

Et post hæc oportet illum solvi.

Interest hîc exactè definire veram Epocham istius solutionis. Intelli-

getur ea ex alligationis momento : quod in promulgatione reſcripti Conſtantini ad Euſebium defiximus. Cum reſcriptum id Conſtantinus dederit, ut item dictum eſt, poſt planè victum exautoratumque Licinium, cum id contigerit circiter annum Chriſti 325. Ex anno ſequenti 326. ducendum fuerit initium captivitatis Satanæ ; cujus meta, ſolutioque vincti ſerpentis antiqui conſequenter aſſignanda relinquitur anno Æræ Chriſtianæ 1326. Videamus jam an tunc paruerit effectus rectè imputabilis iſti ſolutioni. Reperimus illo præciſè anno claruiſſe ac libertati Gentium minari latè cepiſſe naſcentem potentiam Imperii Othomanici : cujus opibus jam tum formidoloſis, hodiè immanem in modum auctis, adjuncta eſt ſeductori Gentium Satanæ par ferè potentia Romanæ antiquæ Neronum & Diocletianorum. Othomani origines optimè omnium quos hactenus legerim, Hiſtoricorum explicat Pachymeres in Andronico Palæologo Seniore, quæ videbat ſcribens, eas ſub oculos clarè ac breviter ſubjeci capite VIII. libri III. mearum obſervationum Pachymerianarum ad illud Pachymeris Opus à me editum ſcriptarum, quò Lectorem hîc meum, non ſine ſpe operæ pretii remitto. Inde tantùm, quod hùc pertinet, referens : fuiſſe annum Æræ Chriſti 1326. à reſcripto Conſtantini exactè milleſimum, verè natalem Imperii Turcici, patet ex eo quod Orchanes ſive Urchanes primus Othomanidarum Imperator eo anno ſucceſſit morienti Othomano Patri ſuo, qui potiùs ejus Imperii fundator, quàm poſſeſſor fuit. Mortuum Othomanum anno Chriſti 1328. Illuſtriſſimus Spondanus in ſuis accuratiſſimis Annalibus tradit : ſed biennio aberrare in hoc ipſum, clarè cognoſcitur ex Arabum tunc viventium teſtimoniis. Omnes hi ſummo conſenſu affirmant : fato functum Othomanum anno Hegiræ 726. cujus primus dies fuit, octavus Decembris anni Juliani à Chriſto milleſimi trecenteſimi vigeſimi quinti : unde cernitur, maximam illius anni Arabici partem in annum noſtrum in Æra Chriſti 1326. excurrere ; adeò ut Othomani obitus & primordia Urchanis, ad hunc annum conferenda ſint. Præparaſſe duntaxat, & quaſi diſpoſuiſſe materiam Imperii Turcici Othomanum, cui denique formam Urchanes appoſuit, docent Hiſtorici Arabes illorum & locorum & temporum, quibus ſua ipſorum perſpectiora quàm exteris & recentioribus fuiſſe, conſentaneum eſt. Affirmant enim ſatis unanimiter, nec diſſentiente Pachymere ; Othomanum objiſſe, nondum planè dominum Bithyniæ totius, in quâ continuis certaminibus annorum viginti quinque, rudimentum quoddam regni formare contenderat : ſed integrè voti compotem ante mortem non fuiſſe ; etſi enim ſecundis aliquot præliis, & expugnatis præcipuis Tractûs illius Arcibus, Belocomâ & Tricocciâ, campo illic potiretur : tamen principes illius Regni Urbes Pruſam, Nicomediam & Nicæam, utcamque circumcluſas undique, & vectigal ſibi pendere coactas, plenâ numquam poſſeſſione obtinuit, felicior Urchanes fuit, quem ſibi ſubjeciſſe *Izinicmid*, & *Iznik* poſt Patris obitum, hoc eſt, Nicomediam & Nicæam omnes Scriptores Arabes affirmant : *Bruſiæ* vero (ſic Pruſam appel-

lant) occupationem quidam eorum, quibus adstipulari videtur Pachymeres, Urchani quoque reservant de quo præterea Spondanus an. Christi 1328. num. XXIX. ex Leunclavio & Calcondile ait: *Ubi regni administrationem suscepisset, universam Lydiam ac circumvicinas Asiæ regiones, quâ vi, quâ fraude, imperio suo adjecisse; plurimáque Græcorum oppida in deditionem accepisse.* Latéque dominatum in Asiâ, Imperium in Europam extendisse, misso illuc cum victricibus copiis Soleimano filio: sicque continuis semper crescentem profectibus per annos à Patris obitu duos & triginta bellando vincendoque floruisse, donec octogenarius obiit. Quam ei felicitatem Dei permissu & Satanæ post mille annorum captivitatem auxilio, contigisse hic locus innuit. Nec defuere posteà in eventibus mundi, quæ vim ejus sævam præsenti operâ adhibitam ad Gentes seducendas arguerent; cùm in immensâ dilatatione Mahometismi per universam penè Asiam, Africam & Europæ partem; tum in hæresibus Vviclefi, Joannis Hussi, Hieronymi Pragensis, Lutheri, Calvini & aliorum, stygiâ immanitate longè supergressis alias intrà annos mille à Constantino Hæreses natas, quarum in nullâ extiterunt sanguinarii furores, vel Hussitarum in Boëmiâ, vel Calvinianorum in Galliâ sacras Ædes evertentium, & cuncta jura divina & humana omni sacrilegio violantium, cum strage infinitâ Populorum, eâ rabie patratâ quam facilè agnoscere non ab alio quàm à crudelissimorum principe Dæmonum inspirari potuisse. Adde his pernicioſissimum schisma Ecclesiæ Occidentalis annorum plus sexaginta, quo, multis simul supremam Ecclesiæ potestatem sibi arrogantibus, miserrimè dilacerari Ecclesiam Catholicam contigit.

Modico tempore.

Spatium soluto Satanæ concessum post mille à Constantino annos, ad exercendam liberè in terris suam versutiam & violentiam, ideò modicum hîc sacer Vates vocat; quia mille modò memoratos à Constantini pace annos non est adæquaturum, terminabitur enim fine mundi haud tantùm, ut multis è signis conjicitur, differendo. Nam cum magna Patrum & benè fundata (de quo aliàs disserui exercitatione primâ, partis I. libri cui titulus est: Occursus Prophetiæ & Historiæ) opinio sit: mundum per annos sexies mille in hoc vicissitudinum & generationum sibi succedentium statu duraturum: & aliundè satis verisimiliter statuatur: Christum circâ finem quarti annorum millenarii natum esse, restat intelligendum: post evolutos ab anno Christi trecentesimo annos mille, non posse ad finem sæculi Chiliadem integram supersesse: ultimis autem mundi annis perstiturum adhùc in libertate nocendi solutum expeditumque Satanam, suadent quæ in illud tempus minacissima extant oracula, summam tunc ubique rerum perturbationem denunciantia: regnaturum nempe tunc novissimum illum adeò celebrem, & antequam natus sit decantatum Antichristum: opus videlicet ultimum & elaboratissimum soluti Satanæ: cujus fraude vi & armis tota Luciferi malitiâ &

potentiâ ſubnixis, verus ubique Dei cultus abrogabitur, Sancti exiguo numero ſuperſtites omni tormentorum diritate cruciabuntur: quando Chriſtus; brevians dies tam malos, in gratiam ſuorum (prout promiſit) electorum, feſtinabit repreſentare ſecundum ſuum adventum: de quo ipſe dixit: *Cum veniet filius hominis, putas inveniet fidem ſuper terram?* Fidem, inquam, horrendis Antichriſti à Satanâ inſtincti perſecutionibus ubique ferè Gentium extinctam. Tunc verò iterùm ligabitur & abyſſo claudetur numquam deinceps ſolvendus inde Lucifer: tempeſtate demùm appulsâ ultimi eventûs illius à ſanctis Apoſtolis Petro & Judâ Thadæo perſcripti oraculi, quo *Angeli qui non ſervaverunt ſuum principatum*, rebelles videlicet olim Deo, cum ipſorum Anteſignano Lucifero, *rudentibus inferni detracti in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine* ligandi prædicuntur.

℣. 4. Et vidi ſedes & ſedentes ſuper eas & judicium datum eſt & animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum Dei.

A brevi quodam excurſu ad extrema ſoluti Satanæ poſt mille à Conſtantini pace annos tempora, redit Propheta ad rem propriè ſpectantem aureum tempus primæ poſt trium ſæculorum perſecutiones tranquillitatis Eccleſiæ conceſſæ. prædicit autem tunc fore, ut Eccleſiæ Antiſtites liberum nacti exercitium ſuæ ſpiritualis poteſtatis, Tribunalia aperiant in quibus animæ Martyrum judicentur: & teſtimoniis expenſis de ipſarum, dum in corpore viverent, fide, caritate, conſtantiâ, & uſque ad mortem in recto perſeverantiâ, religioſus iis, eorumque reliquiis, cultus decernatur. Hoc ſedulò factum à Silveſtro aliiſque illius ætatis & conſequentium Epiſcopis, declarant tot acta, tantâ curâ diſcuſſa tot veterum Martyrum, delectuſque habitus inter eos maximus, & aſſignatio majoris minoris-ve, prout erant cujuſque perſpecta merita, ſingulis venerationis, & à fidelibus viventibus honoris: quarum rerum manifeſta documenta extant in Eccleſiaſticorum omni antiquitate Faſtorum. Dixi hîc agi de S. Silveſtro aliiſque Conſtantino æquævis aut poſterioribus Pontificibus: non quod priores non ſimile aliquid, prout per temporum iniquitatem licebat, fecerint: (de quo mox dicetur) ſed quod ante plenam pacem Eccleſiæ conceſſam clanculùm id ferè ac quaſi furtim exerceretur: non enim adhuc quod hîc dicitur, *datum* erat (hoc eſt ſæculari quoque poteſtate ſancitum firmatumque) *judicium*, iis qui *ſupra ſedes*, hoc eſt Epiſcopales Eccleſiæ thronos *ſedebant*, ut jure iſto ſuo palàm liberéque uterentur.

Et qui non adoraverunt Beſtiam, neque imaginem ejus: nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus ſuis.

Quid dicatur hîc Beſtia, quæ ejus imago, quis character acceptus in

fronte aut in manu, pluribus expoſui ſuprà ad cap. XIII. 16. Ex quibus intelligitur agi, hoc loco de animabus Fidelium qui vita innocenter tranſacta citrà martyrium conſummati, morte naturali piè obita deceſſerunt, iis quando virtutibus excelluere, decernendos olim à Præſulibus Eccleſiæ, prævio ſevero examine, ſacros honores, locus hic prædicit: nec ſolis *decollatis* (quo genere uſitatiſſimo necis inferendæ comprehenduntur innumerabiles & maximè varii extinguendæ vitæ modi) nec ſolis, inquam, mortem perpeſſis *propter teſtimonium* (græcè διὰ τὸ μαρτυρίαν) Jeſu: hoc eſt Martyribus, talem reſervari gloriam: quod impletum cernimus in canonizationibus Confeſſorum Virginum & Viduarum.

Et vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annis.

Martyres vindicati, hoc eſt publico Eccleſiæ judicio tales declarati, & juſſu Antiſtitum à populis religiosè culti, vitam inter homines, poſt mortem, aliquam obtinere cenſentur, vulgatiſſimo illo more loquendi, quo mortui quorum viget in mundo memoria cum qualicumque gloria, vivere putantur: Unde augurans ſibi talem ſortem Ennius in præparato ſibi Epitaphio ſcripſit.

Nemo me lacrumis decoret, nec funera flendo
Faxit. cur? volito vivu per ora virûm.

Et Horatius.

Non omnis moriar: multaque pars mei vitabit Libitinam.

Si ergo gloria illa humana & vana in famæ teſtimonio & laude ac prædicatione Poſterorum ſita, vitæ, & quidem immortalis, nomine dignatur: quantò magis quæ Martyribus ſolemni Eccleſiæ judicio conſecratis, & in Sanctorum Canonem rite relatis Confeſſoribus qui tribuitur religioſus cultus, à Pontificibus cauſa cognita decretus, vita etiam humana ſuperior rectè vocabitur? Verè igitur de Martyribus & Confeſſoribus; Virginibus Viduis, &c. Præſulum Eccleſiæ ſententiâ regnantium cum Chriſto in cœlis catalogo adſcriptis, dicit hîc Joannes, hunc ritum in Eccleſia frequentandum prænuncians: *& vixerunt.* Addit autem *& regnaverunt cum Chriſto mille annis*: Ubi de regno gloriæ cœleſtis quo beatæ animæ ſolutæ corporibus in Chriſti conſortio fruuntur, agi non poſſe inde cernitur, quod terminus iſti regno, poſt *mille annos* præfigitur; cum certum ſit, priùs memoratum Sanctarum animarum cum Chriſto in cœlis regnum nullo eſſe fine terminandum. Prædicit ergo his ſacer Vates aliud terreſtre Sanctorum regnum quo fruituri in hoc mundo ſunt, communiter cum Chriſto. Regnat Chriſtus non ſolùm in cœlo, ſed etiam inter homines mortales, cum quibus ſe permanſurum dixit *omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*

quod passim intelligitur de præsentia corporali in sacra Eucharistia, continuè in Ecclesia servata: quare thronus illi talis regni sunt Aræ in quibus consecratur & custoditur. Assessores autem ipsius in eo throno Sancti sunt quarum reliquiæ antiquissimo Ecclesiæ usu, sub Aris reconduntur. Et hunc usum nondum cum hæc scriberet Joannes usurpatum, aliquandò instituendum & frequentandum prædicit. Dixi nondum celebratum ritum istum Apostolicis temporibus, nam vestigia ejus nulla extant in Actis Apostolorum, ubi duo illustria martyria Jacobi majoris Apostoli, & Stephani Diaconi narrantur, & de hoc quidem dicitur *curatum fuisse funus ejus*, nec tamen sepultus sub Ara scribitur. Denique signatam videmus Epocham talis instituti, tempore multò posteriori. Nam in Ecclesiasticis Monumentis Breviarii Romani hæc leguntur 30. Maii, qui est Anniversarius natalis S. Felicis Papæ & martyris: *Felix Romanus, Patre Constantio, Aureliano Imperatore, constituit, ut Missa suprà memorias & sepulcra Martyrium celebraretur.* Itaque quod diximus superiùs ad illa verba capitis VI. 9. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei*; alluſum per hæc ad ritum istum sepeliendi Martyres sub aris, intelligendum est, id non historicè à Joanne, quasi jam tum usurpatum: sed Propheticè, quasi olim in Ecclesia statuendum, dici. Præfinitur autem huic Sanctorum in terris cum Christo regno idem spatium *mille annorum.* Quia illa vita & Regnum Sanctorum cum Christo, situm in collocatione reliquiarum eorum sub aris in quibus Christi corpus consecratur & servatur, propriè cepit à rescripto Constantini de Ecclesiis & Templis Christiano ritu ubique terrarum Imperio Romano subditarum ædificandis & ornandis. Nam anteà id quantumlibet à Felice Papa statutum, executioni mandari vix poterat propter persecutiones: aut si quid ejusmodi fiebat clàm & rarò, Regni nomen non merebatur: quod vocabulum libertatis summæ & fiduciæ arbitros non verentis habet emphasim. Rectè autem ponitur quodammodò desiisse anno Æræ Christianæ 1326. quando Alcoranum, cujus unum est dogma reprobans cultum sanctis mortuis, & eorum reliquiis impensum, Othomanici latè jam patentis potentisque Imperii est in Orchane opibus extitit armatum. ubi est observandum: nec brevem & subitò extinctam Vigilantii paria olim delirantis Hæresim, nec ducentis post annis secutam cultum Sanctorum damnantis Muhamedis sententiam, quamdiù exigua subnixa potentia intrà modicos se fines continuit, Regnum Sanctorum abrogare potuisse, uti nec quælibet reclamatio rebellium paucorum, & invalidi conatus, Dynastas mortales magnis adhuc subnixos opibus, de solio censentur deturbare. Sed & ad privandos Regni honore Sanctos ex proposito incubuisse solutum vinculis & liberè vagari permissum Satanam, intelligi potuit è paulò post Orchanis Regnum exorta in Anglia Vviclefi hæresi, cujus nefarii apostatæ unus ex articulis in Constantiensi Concilio damnatis fuit: ornatus sepulcris Sanctorum adhibitos meram illusionem esse; quod licentiùs explicans apud Thomam Valdensem parte 3. titulo 22. cap. 164. quidam Guillelmus Albus, Vviclefi discipulus, dicebat: *Reliquiæ*

Sanctorum hoc est, carnes & ossa hominis mortui, non debent à populo venerari: neque à monumento fœtido extrahi: nec in capsâ aureâ vel argenteâ reponi, &c. Hujus à Vviclefo excitati, postmodùm utcumque oppressi insularis incendii scintillæ in continentem erumpentes; primùm Bohemiam, inde Moraviam, Misniam, Saxoniam Sueciam, Daniam, Norvegiam, & Septentrionales ferè omnes tractûs, inflammarunt: hæresi Vviclefi à Joanne Husso, & Hieronymo Pragensi per Germaniam promotâ: ubi eam, interjecto ferè sæculi spatio, Martinus Lutherus; & qui eum vel imitari vel æmulari voluerunt, Zuinglius, Bucerus, Melancton, in Germaniâ, Calvinus in Galliâ & Belgio: omnes horribili instincti odio ad funditùs exscindendum honorem sanctis mortuis haberi solitum. Rediitque flamma, unde venerat in Angliam: Hæresibus eò istis cunctis per portam Henrici VIII. defectione apertam, liberè ac magnificè ingressis, & ibi hodiéque dominantibus: nullo uspiam relicto loco venerationi posthumæ Sanctorum animarum aut corporum. Apparuit præsens manus sceleratissimi, versutissimi, & potentissimi Dæmonum Principis, anno post Constantini pacem millesimo soluti: in obstinatissimo proposito Vviclefi Sanctorum honores usque ad extremum persequentis. dum in ipso procinctu ac flagrante meditatione furialium concionum contra cultum SS. Thomæ Cantuariensis & Sylvestri Romani, ipsis eorum festis anniversariis habendarum, non modò impœnitens, sed & scelus cum maximè anhelans, à Deo percussus exspiravit: inde ad fumum usque ultimum flammæ ultricis perstante Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis hypocrisi: non alii verisimiliùs imputabili causæ, quàm operationi præsenti Principis Satanæ, duos illos Energumenos insidentis: in bellicis prodigiosis successibus rebellantium contrà matrem Ecclesiam, & Regem suum Sigismundum Imperatorem, Bohemorum Hussitarum; & Joannis Ziskæ primùm coclitis, deinde cæci, Cæsarum & Alexandrorum palmas omnes exsuperantibus victoriis, fructum plerumque suum in eversione Altarium, destructione Templorum, in quibus Sancti colebantur, consumentibus: denique in Tartareis consiliis & actibus sacrilegæ Calvinianorum fæcis per Gallias & Belgium cuncta Sanctorum monumenta rabiosissimè polluentis & delentis; furore tantùm exsuperante non humanum solùm omnem, sed etiam belluinum & ferinum modum; ut non alteri prudentius assignari autori & actori posse videatur, quàm summo Dei ac cœlitum hosti Lucifero, corda & manus fanaticorum istorum agitanti & armanti. Unicum è plurimis, in speciem & fidem rei per se incredibilis testatissimum experimentum hîc apponam, è monumentis non longinquæ memoriæ certissimis. S. Fulcrannus Episcopus Lotevensis sanctitate, Doctrinâ, miraculis clarissimus, pie obiit in Urbe suâ an. Christi 1006. indéque per annos 568. permansit ejus cadaver integrum in sepulcro suo citra tabem aut corruptionem ullam: multis & manifestis curationum miraculis ad ejus invocationem patrari subinde solitis: quoad anno 1573. Calviniſtæ Deo & Regi rebelles Lodevâ per vim occupatâ, S. Fulcranni corpus plenum, ut adhuc

tunc

tunc erat carne, cute, viſceribus quaſi dormiret illibatis conſtans, è ſacro raptum feretro, velut manu ac vi corrigere ſtudentes exoſum ſibi divinæ protectionis miraculum, cadaver annorum quingentorum à tabe præſervantis, in rogum ardentem injecerunt. Mira res! inter flammas magis magiſque continuè ſuccenſas illæſum perſtitit Fulcranni corpus; donec illos ultra omnem fanaticum furorem excedentes Energumenos Luciferi, ſubiit immanis impetus, ſupplendi ferro ceſſationem ignis. Ergo per compita urbis unco priùs tractum ſacrum corpus, ſecuribus & gladiis in fruſta minuta diſſecuerunt, ſparſeruntque perdenda. Narrantibus iſta Catellio, Cheſnæo, Sauſſayo, Claudio Roberto, & ex his Joanne Bollando, in Commentario prævio ad vitam S. Fulcranni XIII. Febr. pag. 711. ſecundi Tomi Actorum ejus menſis. Quod, quæſo, aliud hoc evidentius proferri poſſet indicium præſentiæ Principis Satanæ, rabiem mille annorum carcere collectam, recenti ſua liberatione, per iſtos ſuos arreptitios eructando deſpumantis.

Dicet aliquis: per hæc non prorsùs abrogatum Sanctorum Regnum: cum in Catholicis ſaltem Provinciis & Regnis, nihilominùs poſt iſta, collocatio Reliquiarum in Altaribus, & earum veneratio perſtiterit. Ad hoc reſponderi primùm poteſt: Regnum hîc vocari, non qualemcumque poſſeſſionem honoris ſummi, ſed obſtaculo & controverſiâ majori aliqua carentem. Tale regnum inoffensè ac nullo ferè reclamante Sanctis conſtitit ad milleſimum à pace Conſtantini annum. Adjungitur, veriſimiliter agnoſcendam hîc uſitatam in talibus auxeſin, ut cum, exempli gratia, Rex aliquis de aliquot civitatum defectione, aliis *in fide perſtantibus, expoſtulans* queritur, ſe in ordinem redactum & dejectum regno: cujus formæ illud eſt Jacobi Patriarchæ Gen. XLII. 36. qui reverſis ex Ægypto, quò emptum frumenta iverant, novem filiis, uno illic relicto Simeone; ac mitti eò Benjaminum, quod Præfectus Ægypti flagitabat, petentibus: dolens & calamitatem ſuam exaggerans, dixit: *Abſque liberis me eſſe feciſtis: Joſeph non eſt ſuper; Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetur.* En ut duodecim filiorum Pater, tribus tantummodò ſubtractis ſe orbum prædicat: non utique mentiens, ſed more humano, quem & à Propheta hic noſtro uſurpari non dedeceat, loquens.

℣. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt donec conſummentur mille anni.

Hoc eſt: eximia declaratorum Martyrum & SS. Canonizatorum in hoc ſors erit, toto tempore florentis in terris & liberè ritûs ſuos exercentis Eccleſiæ: quod quibus mortuorum ejus judicio decreti Divorum honores fuerint, ii opinione & famâ hominum Beati reputabuntur; & eâ quæ in laude ac gloriâ poſthumâ, ſita eſt, non qualibet, ſed ſupernaturali vitâ, jam nunc ante judicium finale ſoli fruentur. Cæterorum qui etſi piè & religioſè vixerint, non tamen ritè relati in Sanctorum numerum fuerint, vigere quidem

poterit inter homines innixa fidei & notitiæ humanæ cum laude conjuncta memoria, ac pietatis, ſapientiæ, fortitudinis, & ſimilium prædicatio virtutum in iis dum viverent obſervatarum: ſed quæ autoritate majori carens, poſthumam illis vitam & gloriam, civilem duntaxat & incertam afferet; cum de aliorum Animabus æternâ felicitate, & conſortio in cœlis regni cum Chriſto vere jam nunc donatis, uſquequaque indubitabilis poſt canonizationem perſuaſio cunctos Fidelium animos teneat. Nam magno conſenſu docent Theologi Catholici, quos refert & ſequitur Bellarminus, Tom. I. Contr. VII. lib. cap. IX. Infallibilem eſſe Eccleſiam in judicio ritè & publice prolato de Beatitudine Sanctorum; atque adeò fide divinâ credi debere talium animas æternæ felicitatis eſſe verè compotes: ad quod dogma comprobandum non puto legi alium in univerſis Scripturis accommodatiorem hoc quem tractamus, ſi ſenſu à me expoſito intelligatur, locum.

Hæc eſt reſurrectio prima.

Honorem ac cultum ſacrum judicio Antiſtitum Eccleſiæ decretum memoriæ ac reliquiis Martyrum; aut citrà martyrium heroicarum praxi virtutum illuſtrium, anteà vocavit Joannes *vitam* & *Regnum*; nunc *reſurrectionem*; tropicè iſtud quoque ac metaphoricè: quod elevatio corporum Sanctorum è tumulis in aras, quamdam reſurrectionis ſpeciem præferat; ſed videndum eſt, cujus alterius reſpectu reſurrectionis hæc dicatur prima. Poſterior iſtâ primâ reſurrectio erit ea ſine dubio quâ ſanctæ Animæ in conſummatione ſæculi reſumentes ſua corpora, dotibus ornata glorioſis, numquam ampliùs dirimenda ſibi conjunctione copulabunt. Hujus anticipatio quædam ac velut rudimentum eſt, oſſium ac cinerum ipſarum evectio è ſepulcris in altaria, ubi capſis argenteis, aureis, gemmeis, condita venerationi Populorum proponuntur. Proprium hoc decus eſt Martyrum vindicatorum, & Confeſſorum utriuſque ſexûs, cauſa per ſacros Præſules ritè cognita, in ſacrum Canonem relatorum. unde tria hæc nomina *vitæ*, *regni*, & *reſurrectionis* unis ipſis conveniunt. Aliæ quippe animæ in fide licet ac gratiâ defunctæ, & in cœlo Beatæ, *vitæ*, *regni*, & *reſurrectionis* harum expertes ſunt: quia gloria illarum ignoratur in terrâ. Eas ergo ſignant illa verba priùs poſita: *cæteri mortuorum non vixerunt*. Quibus, ex mente ſcribentis, tacitè χ^ι τὸ σωπώμενον, attexenda ſunt reliqua illa: *nec regnaverunt cum Chriſto* juxtà eum quem expoſuimus ſenſum; collocatione reliquiarum in aris, ubi reſidet Chriſti corpus, ſub accidentibus panis & vini veriſſimè latens. Ut autem apertiùs declaretur cauſa ob quam uſitata in Eccleſia ſacrarum Reliquiarum repoſitio in Aris & veneratio *prima reſurrectio*, vocetur, obſervanda eſt ſimilitudo quædam, conditionis corporum Sanctorum, quæ inter ea cernitur in duplici ſtatu poſita; priori, ſeparatorum ab animabus in cœlo regnantibus; poſteriori conjunctorum iterùm cum ipſis reſurrectione ultima univerſali, & omnibus communi; ſed cum

lato discrimine Impiarum à Sanctis signato sententia illa Pauli ad Cor. 1. c. xv. 51. *Fratres, ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur: in momento in ictu oculi, in novissimâ tubâ (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur.* Duæ ibi distinguntur classes resurrectione finali suscitandorum: prior omnes generaliter amplectitur, tàm bonos quàm malos, cum sorte adjuncta incorruptibilitatis, illis Pauli verbis expressa: *Et mortui* (æquè omnes) *resurgent incorrupti* (in Græco ἄφθαρτοι, hoc est, *incorruptibiles*) non erit tamen *quod Iusti doleant* (prout eleganter ait Ambrosius) *commune consortium resurgendi, cum præcipuum fructum virtutis expectent*: in *immutatione* videlicet situm, mox à Paulo memorata, his verbis: *& nos immutabimur*; complectitur hæc *immutatio*, quatuor vulgò notas glorificatorum corporum dotes, lucem, impassibilitatem, agilitatem, subtilitatem, seu vim penetrativam quorumvis obstantium ipsorum progressui corporum. His quatuor dotibusomnes æquè pii & Beati fruentur in resurrectione ultima: sed horum quoque duplex hic ordo innuitur. Prior eorum quorum sanctitas, & in recto perseverantia finalis, testata & decretis Antistitũ ornata in Ecclesia adhùc in terris militante præcesserit. Altera longè plurium, qui sine insigni sanctimoniæ fama, saltem quæ ad Tribunal Ecclesiæ delata, honorifica inde judicia retulerit, in fide ac caritate consummati cœlo transcripti sunt, Fidelibus cæteris, dum vivunt, id certa perspectum notitia non habentibus. Priori tantum harum classi convenit memorata his verbis *Resurrectio prima*, metaphorica, ut dixi, & figuratè ita dicta. Quod sit quædam imperfecta imitatio, & anticipatio posterioris veræ ac propriæ, in quoddam hujus ipsis augurium & pignus in antecessum prærogata, dum Ossibus & Reliquiis eorum quædam jam nunc immortalitas tribuitur, illæsis intra sacraria: vel etiam (quod non paucis eorum videmus accidere, ut S. Francisco Xaverio, sanctis Catharinæ Bononiensi, Catharinæ Genuensi, Rosæ Viterbiensi, Teresiæ Abulensi, Magdalenæ de Pazzis Florentinæ, aliisque multis quorum corpora integra (quod Bononiæ & Genuæ, ego hisce oculis vidi) annis post obitum plurimis, interdum & sæculis, labis omnis expertia, manifesto miraculo servantur. Lux quoque non deest in lampadibus ad ea diù noctúque continenter ardentibus, & in fulgore Marmorum pretiosorum, metallorum, gemmarum quin etiam, quibus statuæ ac capsæ ea complexæ decorantur. Agilitas etiam iisdem & subtilitas æmula quodammodò beatificæ competit, dum animæ illorum unà cum ipsis residere reputatæ invocationibus Clientum ubicumque ipsis supplicantium respondent, intrà cubicula & lectos, ubi infirmi decumbunt, in carceribus ubi procul & sub arctissima custodia captivi detinentur; in periculis itinerum & procellis navigationum, ubi non solùm manifestè juvando, sed etiam non rarò apparendo, (quod experimentis testatissimis constat) laborantes qui eos orarunt, consolantur. Hæc ratio est cur hic status gloriæ posthumæ, quo Sancti canonizati à reliquis in hac vita distinguuntur, à Joanne hoc loco appelletur: *Resurrectio prima.*

Addam Corollarii loco: mihi videri per hæc verba Joannem Apoſtolum, quaſi face prælatâ lucem miniſtrare ad intelligentiam loci perobſcuri à Paulo Apoſtolo 1. ad Theſſ. cap. IV. ſcripti, cujus ad veram certiùs ſententiam explorandam, operæpretium, ni fallor fuerit, verba ſigillatim expendere. Ut Theſſalonicenſes Apoſtolus conſoletur in quotidianis carorum mortibus, ſic eos alloquitur: *Nolumus vos ignorare Fratres de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & cæteri qui ſpem non habent.* Iſti *cæteri*, ſunt ſine dubio *Infideles*. Quare tota ibi Pauli doctrina, in ſtatu eorum declarando verſatur, qui baptizati, poſt vitam in Chriſti diſciplinâ exactam, cum ſpe ſalutis decedunt. de his ſic docere pergit: *Hoc enim modò dicimus in verbo Domini*: non ex humanâ opinione, ſed ex certâ Dei revelatione, ſe quæ prolaturus eſt affirmare ſignificat. *Quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini non præveniemus eos qui dormierunt.* Hoc eſt: non priùs quàm illi reſurgemus. Quod ſatis erat pronum creditu. cur enim qui priùs obiiſſent, poſteriùs reſurgerent? Sed in his latet emphaſis rei alterius inopinatioris: nempe, ne ipſos quidem qui ante nos eſſent mortui, citiùs nobis reſumpturos vitam: alludit hîc enim Apoſtolus, inſinuanſ, eadem illa quæ Corinthios docuerat 1. Cor. XV. 51. Reſurrectionem omnium pariter Mortuorum cujuſcumque ſectæ, ſortis, ætatis uno eodemque puncto temporis eventuram. *In momento* (inquit) *in ictu oculi, in noviſſima tubâ. Mortui* (omnes prorſus) *reſurgent incorrupti. reſurrectio*, *& ἀφθαρσία incorruptibilitas*, momento uno reſurgentium cunctorum communis ſors erit. Illa eximia conditio piis reſervatur, ut ii ſoli *immutentur* in meliùs. hoc enim indicans, addit: *Et nos immutabimur.* Hoc nunc obiter ſtabilito, pergit Theſſalonicenſibus dicere: deſcenſurum de cœlo Judicem Chriſtum eodem ipſo tubæ ſigno, quo dixerat Corinthiis, omnes ſimul pariter mortuos ſurrecturos, cum ſolo inter Reos & Juſtos diſcrimine *immutationis* illis negatæ, his conceſſæ. Statim adjungit: *Et mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi: deinde nos qui vivimus.* In his manifeſtè novam inſtituit diviſionem; Juſtos reſurgentes & immutatos in duas partiens claſſes, quarum prior ſit: *Mortuorum qui in Chriſto ſunt*: ſive *Mortuorum qui in Domino ſunt mortui*, ut Joannes noſter ſuprà locutus eſt, cap. XIV. 13. quibus verbis ſignificari martyres Chriſti causâ occiſos, ibi demonſtravimus. aggregari autem his in honore cultûs publici, judicio Eccleſiæ nomini eorum & reliquiis decreti Confeſſores ſine gladio in vitâ ſanctâ conſummatos, paulò priùs oſtendimus. quare utroſque uterq; Apoſtolus verbis iiſdem per ſyllepſin involvit. de his porrò Paulus, ut audivimus, pronunciat: fore ut ipſi *reurgant primi.* Enimvero res incommoda, ſi de prioritate temporis agitur! colliderent enim ſe mutuò tunc duo hæc ejuſdem Pauli *in Verbo Domini* loquentis dicta: *Omnes in momento in ictu oculi ſimul homines mali æquè ac boni reſurgent.* Et *qui martyrio conſummati, aut ob vitæ ſanctimoniam judicio Eccleſiæ cultu ſacro donati fuerint, reſurgent primi.* Ambo tamen hæc

asserta convenient inter sese optimè. si antecessionem, non temporis, sed dignitatis, in resurrectione *Mortuorum in Christo*, suprà mortuos cæteros malos aut bonos, significatam ab Apostolo intelligamus. hoc sensu: resurgent martyres vindicati & sancti canonizati, eodem momento cum reliquis omnibus mortuis tam probis quam impiis: sed resurgent *primi*, hoc est, dignitate illustri præcellentes; in eo sitâ quod, non *judicandi* resurgent, ut alii omnes. causa enim illorum ab Ecclesiâ jam judicata est, cujus sententia in cœlis etiam est rata: sed *judicaturi*, juxta illud Christi, Matth. XIX. 28. *Vos qui secuti estis me* (per martyrium, aut vitam heroïcè sanctam) *sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israël.* Ex his ni fallor, confectum est, quod proposueram: verba hæc Joannis quæ modò tractamus: *Hæc est resurrectio prima*: indicare sententiam illorum aliorum Pauli verborum, 1. ad Thess. I v. 17. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi.*

v. 6. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione primâ.

Cum spiritus Prophetas afflans singularia quæque ac minima ex quantalibet distantiâ distinctissimè pervideat, fortasse non esset absonum opinari: prædictos verbis istis duos gradus in istis Ecclesiasticis Judiciis, ubi tractatur de cultu decernendo mortuis qui laudabiliùs cæteris vixerunt, discerni & ordinari invicem solitis: dum ii primo *Beati*, deinde *Sancti* declarantur. ubi solum Beati declarati partem habere dicantur *in resurrectione prima*, quam nondum totam in solidum possident.

In his secunda mors non habet potestatem.

Bis aliàs in hoc eodem libro Joannes noster nominavit, *mortem secundam.* Primùm cap. 11. vers. undecimo. ubi ait: *Qui vicerit, non lædetur à morte secundâ.* Deinde, hoc ipso cap. XX. vers. 14. ubi legitur: *Et Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis: Hæc est mors secunda.* In his duobus locis non una est eorundem verborum significatio. In priori enim, ut illic enarrando diximus, *mors secunda* vocatur, resolutio cadaveris humani, postquam ab eo recessit anima (qui recessus *prima* ejus *mors* est) in cinerem, pulverem, aut humorem: per quam forma membrorum aut ossium tota dissolvitur, ut sensibilis & discernibilis ampliùs non sit. In posteriori autem appellatio *mortis secundæ* adaptatur addictioni flammis æternis Animæ in peccati lethalis conscientiâ corpore solutæ. Tale peccatum in animâ corpori adhuc connexâ. *Mors prima* dicitur. Quasi diceretur: *primus mortis gradus*: in quo adhuc restat emendationis facultas & spes; homini utique etiamnum viatori; quem Dei patientia expectat; si fortè resipiscens, velit, prout potest, adjuvante, oblatâ ipsi gra-

tiâ, mutare sortem, & à sinistrâ parte ad dexteram transire. Ambas has notiones syllepticè colligit mentio *secundæ mortis* in hoc quod nunc enarramus commate posita. Significat enim Propheta nostro: fore, ut neutra *mors secunda*, nec corporalis, inquam, nec spiritualis, potestatem ullam in sanctos Canonizatos habeat. Non prior quidem quæ consistit in abolitione membrorum humanorum post abitum animæ. Nam cum Sanctorum cadavera divinitùs, ut dictum est, aliquando præserventur à putredine & corruptione naturali: aut, si minus hoc contingit: saltem fossis & sepulchris eruta illorum ossa, in loculis ac thecis recondantur, procul à periculo patiendi ab igne aut aquâ similibus ve corruptivis causis quæ ipsis eripere formam suam possent; in quâ formæ ereptione sita est mors secunda corporea: clarè cernitur per hoc ipsa rectè dici exempta potestati *secundæ mortis*. Multò autem securiores eorum Animæ sunt à periculo mortis secundæ spiritualis, per damnationem æternam: cùm Ecclesia, pro sibi commissâ divinitus tali autoritate, *in verbo Domini*, ut Paulus loquitur, definiverit: eas per obitum transmissas in beatam possessionem sempiterni cum Christo Regni. prout sequentia declarant.

Sed erunt Sacerdotes Dei & Christi: & regnabunt cum illo mille annis.

Duo præcesserunt in hoc libro affines huic loci, prior cap. 1. 6. ubi S. Joannes in personâ suâ loquens dicit de Christo: *fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*; alter cap. v. 10. in personâ quatuor Animalium & viginti quatuor seniorum dicentium Christo eidem: *Et fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Cum hæc hoc loco applicentur Sanctis Canonizatis, &, Ecclesiæ judicio, cultu sacro affectis, videri potest id propriè convenire Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, nec non Presbyteris qui verè Sacerdotes sunt: quorum qui vel martyrio sunt functi, vel eminentiâ virtutum sacros honores promeriti, vivere adhuc in terrâ reputantur, & autoritatem exercere, quam dum essent in vivis tenuerunt. Ita enim videmus Romanos Pontifices in Bullis suis sancire quæ constituunt, mentione additâ *Beatorum Apostolorum Petri & Pauli* quasi viventium: quorum *indignationem incursuros* denunciant, eos qui sibi non obtemperaverint. Expressiùs in eamdem sententiam de S. Petro, S. Leo ait sermone 2. in Anniversario suæ Assumptionis: *Qui nunc plenius & potentius ea quæ sibi commissa sunt peragit: & omnes partes officiorum atque curarum in ipso (Christo) & cum ipso, per quem est glorificatus, exequitur.* & infrà; *His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas: ut in personâ humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur: in quo & omnium solicitudo Pastorum, cum comendatarum sibi ovium custodia perseverat.* paulò post: *Cum ergo cohortationes nostras auribus vestræ Sanctitatis adhibemus, ipsum vobis, cujus vice fungimur, lo-*

qui credite. Præterea serm. 2. in natali Apostolorum Petri & Pauli, cum retuliſſet Chriſti verba ter Petro dicta; *Pasce oves meas:* addit de Petro: *quod & nunc proculdubio facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos exhortationibus suis.* Denique alibi legimus, eumdem S. Leonem postquam scripsisset celebrem illam Epistolam de Mysterio Incarnationis inscriptam Pulcheriæ Augustæ, tantoperè in Concilio Chalcedonensi laudatam: eam Reliquiis S. Petri, quasi viventis, commendasse corrigendam, antequam mitteret. Unde licet inferre: *Sacerdotes Christi & Dei* perstituros: & eo nomine regnaturos super terram, quoad pax Ecclesiæ durabit, Apostolos & Antistites, post obitum Ecclesiæ judicio sacro cultu dignatos: in quibus & alii cujusvis Ordinis pari decreto consecrati per Synecdochen intelligantur comprehensi. Quamquam si attendamus ad illa Petri verba, non solis utique Sacerdotibus scriptà: sed cunctis pariter *Electis Advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*, ut in Epistolæ fronte præscribitur; *Vos autem genus electum. Regale Sacerdotium, Gens sancta, Populus acquisitionis* &c. rectè, ni fallor, opinari poterimus, universos hoc loco Mortuos, sacris ab Ecclesiâ honoribus donatos, cujuscumque tandem gradûs, conditionis & sexus fuerint; Sacerdotes dici, ampliatione propriæ notionis ejus vocabuli ab Apostolicis jam tum temporibus usitatâ.

℣. 7. Et cum consummati fuerint mille anni solvetur Satanas de carcere suo: & exibit: & seducet Gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog.

Mirificè his confirmatur quod diximus: millenarium hîc prædictum annorum inchoari à Rescripto Constantini de ædificandis Ecclesiis anno Chr. 326. dato: terminari anno Chr. 1326. quando latè regnare in Asia cepit Orchanes Othomani filius: de quo juvat hic describere quæ Spondani Annales ex antiquioribus Historicis collecta referunt Num. XXIX. An. 1628. quo perperam is putavit imperare cepisse Orchanem, quem certò monstravimus, biennio citiùs patri successisse: Aiunt ergo: *Cæterùm Orchanes ubi Regni administrationem susceptit, universam Lydiam & circumvicinas Asiæ regiones, quâ vi, quâ fraude Imperio suo adjecit: plurimáque Græcorum oppida in deditionem accepit, eo tempore quo illi inter sese in Europâ dissensionibus agitabantur. Cum autem Nicæam quoque Bithyniæ Metropolim obsidione cinxisset, Junior Andronicus trajecto freto suppetias urbi ferre conatus, victus & vulneratus Constantinopolim rediit, & Nicæa Orchani dedita est: postéaque Nicomedia; aliæque multæ Urbes tum vi, tum deditione illius factæ sunt.* Hæc ibi ex Nicephoro Gregorâ, Chalcondyle, Phrantze, & Historiis Turcicis. Lydia quæ, ut hîc dicitur, primum quasi fundamentum Othomanici fuit Imperii, à Græcis Τυγία *Gygea* dicta est à Gyge primo Rege quem Hebræi גוג *Gog* appellant. Nam ipsorum cholem efferre

Græci per υ ſolent. ut videmus eum qui Iſaiæ cap. XLIV. 28. & XLV. 2. כורש *Coreſc* in Originibus dicitur, à LXX. Interpretibus Κῦρον *Cyrum* græcè reddi. Et cur Orchanes, & ex eo in hunc diem propagati Othomanidæ Sultani, rectè hîc *Gog* dicantur, qui regnandi initium à Lydiâ, Gygea, Gygis regia, duxerint. Magog autem iidem appellantur ad indicandam ipſorum, & Gentis totius Turcicæ, originem Scythicam. A Magog enim, ſecundo Japheti filio, à Moyſe Gen. x. 4. Memorato Scythas eſſe propagatos, affirmant paſſim omnes. Is per apocopen Gog quoque dictus, ſedes fixit circa montem altiſſimum inter Euxinum & Caſpium Maria: qui ex ipſius nomine גוג חסן *Gog Chaſſan*, quaſi dicas *Gogi Arx*, dictus eſt, quod vocabulum à Græcis in Καυκασος, *Caucaſus* deformatur; litera G, in C. roborata. quod etiam Plinius agnovit, cui verum vetus iſtius montis nomen, *Graucaſus*, eſt, ut videre licet ejus Hiſtoriæ lib. VII. cap. XVIII. Vox חסן *Chaſan* non ſolùm *robur* & *munitionem*: ſed etiam *theſaurum* ſignificat. rectè id in Caucaſum quadrat, ubi metalla erant copioſiſſima auri & argenti; quorum eruendorum & igne liquandorum Magog, Græcis dictus Prometheus, artem invenit, quam & intentiſſimè ibidem exercuit. Unde in fabulis ignem à cœlo furatus, & Caucaſo affixus fuiſſe dicitur. Hujus filius Deucalion, Colonia Scytharum in Cœlen Syriam ducta, Urbem ibi condidit Hierapolim, ut teſtatur Lucianus in libro de Dea Syria. De qua Urbe ſic Plinius lib. v. cap. XXIII. *Cœle habet Apamiam & Bambycem, quæ alio nomine Hierapolis dicitur, Syris verò, Magog*, nomine ipſi haud dubiè à conditore Deucalione in Patris memoriam impoſito. quia ergo Turci Othomanidæ & Scythici generis ſunt, & in Syria & Lydia dominantur, rectè hîc vocantur *Gog* & *Magog*. Hi ope peculiari Satanæ *carcere*, ut hic dicitur, *ſoluti*: hoc eſt, exirè tunc primùm poſt annos mille permiſſi ex *Abyſſo*, ſive Inferno, ubi clauſus & ligatus fuerat, ſtabilito latiſſimè Imperio potentiſſimo, illa potentia utentur *ad ſeducendas Gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ*: ſparſas videlicet in ortum, occaſum, ſeptentrionem & meridiem reſpectu Bithyniæ & Lydiæ, ubi centrum ejus Regni. quod videmus impletum in prodigioſa propagatione Alcorani nefariæ ac diabolicæ Legis, per omnes illos tractus Othomanorum armis & autoritate, accedente Satanæ enixè iis cooperantis auxilio, copioſiſſimè diſſeminatæ, pernicie animarum non multò minori, ſi rectè quis æſtimet, eâ quam olim Romana Cæſarum potentia, propugnandâ, & Gentibus ſuadenda Idololatria, Populis Orbis ferè totius inferebat.

Et congregavit eos in prælium: quorum numerus eſt ſicut arena maris.

Habent hæc certum characterem Domûs Othomanicæ; cujus omnes qui ad hanc diem fuere Principes eam regiminis formam tenuerunt, ut numeroſiſſimos

rosissimos semper ad manum exercitûs haberent : semper bellarent. Sic tamen ut bella simul multa non gererent : sed singillatim hostes (quos sua illis cupiditas, non injuria vicinorum facit) aggrederentur ; & eos, quantumvis tenues, innumerabilibus obruerent copiis.

℣. 8. Et ascenderunt super latitudinem terræ.

Epocham valde notabilem in Historiâ suâ Romani signant, quando primum, duce Lucio Scipione, in Asiam transcenderunt. Notabilis etiam non parùm, imo lamentabilis Christianitati fuit annus quo primùm Turci, ex Asia, quam pleramque victoriis tenebant, transierunt in Europam. contigit is Turcis transitus, multò citiùs, quam Romanis ille alter, nam ipso primo Othomanidarum adhuc regnante Orchane, ut Leunclavius Hist. Turc. lib. IV. & Chalcondyles narrant : Suleimanus Orchanis filius magnis succinctus copiis, ductu cujusdam Græci Proditoris ex Asiatico solvens littore, quà Hellesponti fretum angustissimum est, in Cherronesum Thraciæ felicissimè ratibus trajecit, ibique oppidis quibusdam occupatis, cum Græci Principes partim ignavissimè torpentes, partim civilibus attenti discordiis, opem ferre negligerent, etiam Callipolim ; nobilem ad Hellesponti fauces munitissimamque Urbem in suam redactam potestatem, valido præsidio insessam relinquens, Europæ clavem ad Patrem retulit. Assignat Spondanus huic eventui annum Christi 1349. sed refellitur ab Historicis Turcicis, qui id magno consensu consignant anno Hegiræ 758. quem notum est respondere anno Christi 1357. post quem adhùc aliquamdiù regnavit Orchanes, etiam Suleimani filio superstes. Ordinem hîc igitur Prophetia exactè historicum persequitur, dum post primam prædictam Regni Turcici in Asia fundationem, hunc primum ejus in Europam progressum statim subjicit in quo etiam ingenium Propheta suum commendat eleganti adumbratione Europæ sub vocibus *latitudinis terræ*, quia enim græcè ὄφ *terram* sonat, & εὖρος *latitudinem*, eruditè utique notatione Græci vocabuli, *Europa*, tertiam illam (ut tunc erant) Orbis terrarum partem indicantis, ipsa illa pars Orbis obscurè innuitur in Vaticinio sacris se tenebris & augustâ caligine pro more Oraculorum, involvente, dum Europam εὖρος ὀπὸς *latitudinem terræ*, vocat. Ratiuncula explendæ solutioni deest ; quæsituro forte lectore ; cur Turci ex Asia in Europam transeuntes *ascendisse* dicantur ? Id ita dictum : quia quo loco Soleimanus ex Hellesponti Asiatica ripa in Thraciam transfretavit, processit ex ortu, aut meridie, in Septentrionem, & versus Polum arcticum. qui *Mundi vertex* vulgò dicitur, & huic quidquid ab ortu, occasu, aut meridie se admovet, putatur ascendere, Maro de Polo arctico.

Hic vertex nobis semper sublimis. at illum (Antarcticum)
Sub pedibus stygx atra videt Manesque profundi.

Unde idem aſcenſum vocat quemlibet versùs polum arcticum acceſſum, ſic ſcribens I. Georg.

Mundus ut ad Scythiam Riphæaſque arduus Arces
Conſurgit, &c.

Et circuierunt Caſtra Sanctorum.

In Græco originali : καὶ ἐκύκλωσαν τὴν παρεμβολὴν τῶν ἁγίων. ubi vox *Caſtris* reſpondens, in ſingulari poſita numero cum articulo certam aliquam ſignante regionem, videtur innuere Provinciam aliquam à terris Othomanidarum ditioni ſubjectis undecumque cinctam ac circumcluſam. Nullam terrarum oram cui hoc veriſimiliùs conveniat comminiſci, opinor, poſſumus, quàm Palæſtinam vulgò dictam, hoc eſt illam Aſiæ partem quæ duodecim Iſraëlis Tribubus olim promiſſa, deinde data eſt; in qua ſancti multi Judices & Reges multa prælia, Deo adjuvante, ſecunda fecerunt. quæ theatrum eadem multò poſteriùs fuit victoriarum plurium & illuſtriſſimarum, quas in ea Saracenis eripienda, & per annos plures ſub Regibus Chriſtianis & Catholicis tenenda, Principes & Populi Europæi Chriſti honoris zelo inſtincti de multis Barbaris glorioſiſſimè reportarunt. Eam Othomanidæ primùm ſenſim à parte Syriæ & Meſopotamiæ ſe admoventes: ab ortu & ſeptentrione concluſerunt: Ægypto deinde Mamalucis erepta: Cyproque noviſſimè Venetis expulſis, à meridie demùm atque occaſu, hoc eſt undecumque, concluſerunt, ἐκύκλωσαν. eamque nunc omni ex parte amplexi captivam tenent, quod hîc prædictum, reverâ eventu patratum, hodie gementes cernimus.

Et civitatem dilectam.

In originibus καὶ τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην. rectè credi poteſt per hæc indicari Hieroſolymam, adeò à Chriſtianis omnium ſæculorum amatam, ob memoriam rerum à Chriſto in ea geſtarum: quem amorem & laborioſiſſimis ſemper periculoſiſſimiſque peregrinationibus ejus honorandæ, liberandæ, tuendæ causâ ſuſceptis, ſunt teſtati. Poteſt & nomine Civitatis dilectæ non improbabiliter Conſtantinopolis intelligi: quam ejus conditor Conſtantinus exquiſito & deliberatiſſimo delectu ob ſitûs oportunitates amatam, antiquæ Romæ prætulit, præcipua hujus decora, in illam transferens. Eam verò Romam novam Orchanes, occupatis multis undecumque regionibus Aſiæ, & Callipoli Europæ, ab ortu & ſeptentrione cepit cingere. quod ceptum multò feliciùs promovit Hadrianopoli & circumjectis Provinciis Turcico Imperio adjunctis, Amurathes Orchanis filius & ſucceſſor. Patremque in hoc & Avum tertius Sultanus ſuperavit Bajaſethes, qui Theſſaliâ, Macedoniâ, Phocide, Atticâ, Myſiâ & Bulgariâ ditioni

Othomanicæ adjunctis, Conſtantinopolim undique clauſam pluribus obſeſſam annis tenuit; occupaſſetque niſi victoriis Tamerlanis, qui eum victum acie, cepit, fuiſſet interpellatus; ſed rem tandem peregit Amurathis ſecundi, Sultani ſexti, filius & regni Heres Muhammedes ſecundus, Conſtantinopli expugnatâ, & in eam tranſlatâ Imperii Othomanici ſede, Anno Chriſti 1453. quando planè conſummatus videri poteſt hujus Vaticinii exitus.

℣. 9. Et deſcendit ignis de Cœlo & devoravit Gog & Magog.

Indicatur per hæc deſiturum Imperium Turcarum repentinâ aliquâ calamitate divinitùs immiſsâ: quæ cujuſmodi ſit ſciri non poteſt, niſi cum res evenerit.

Et Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris.

Ut ſuperiùs verſ. 3. Lucifer ſeductor Orbis per Idololatriam, Romana Cæſarum ſibi obnoxiorum potentiâ ſubnixam, ipſo momento pacis per Conſtantinum Eccleſiæ datæ, detruſus in abyſſum eſt, ibique ligatus per annos mille: ita quando idem illo vinculo & carcere ſolutus, ſtabilitâ Othomanicâ Potentiâ Romanæ veteri non diſpari, & ejus vi ſibi devinctæ uſus, non ferè minorem Orbis partem quam quæ tunc Idololatriæ ſerviebat, Alcorano & Mahumetiſmo infecit: dejectâ denique per ignem cœlo demiſſum Othomanicâ potentiâ, prout proximè dictum eſt, iterùm detrudetur in Infernum & Tartarum, æternum carcerem damnatorum: qui ut ſuperiùs, *abyſſus*; ita hîc *ſtagnum ignis & ſulphuris* dicitur.

Ubi & Beſtia & Pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.

Sicut Beſtiæ nomine ſæpe ſuperiùs, ubi de Cæſarum Perſecutionibus agebatur: ſignificabatur Tyrannus Idololatriæ protector & promotor, Chriſtianos eâ causâ perſequens: ita hîc eodem Beſtiæ vocabulo deſignanturSultani Turcarum, Perſarum, Mogulenſium, aut alii quilibet Mahumetani Dynaſtæ, Alcoranum & ſequentes ipſi, & aliis ſuadentes. Hos omnes uno Beſtiæ nomine per ſyllepſim comprehenſos uno quaſi faſce colligatos conjiciendos in Infernum ait hîc ſacer Vates: potiſſimùm tamen indicans Othomanidas, propriè dictos Gog & Magog. quibus prædici videtur: Alcorani ſuperſtitionem, exautoratis qui eam protegebant ubique terrarum Regibus, paſſim deſituram. Pſeudoprophetæ pariter vocabulo uno ſyllepticè quidem colliguntur Doctores Alcorani omnes: ſed peculiariter innui-

tur famoſus ille Libri ejus & ſectæ autor Mahometus; quaſi tunc adhùc, vel quando cepit Orchanes dominari: vel quando Othomanorum ultimus peribit, in Myſtis ac Miniſtris ſuis vivens.

℣. 11. Et vidi Thronum magnum & candidum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit Terra & Cœlum.

Hic eſt Thronus Chriſti Judicaturi omnes homines in fine ſæculi. Dicitur *magnus & candidus* ut Judicis, cùm Majeſtas & potentia, tum rectitudo & inculpata æquitas monſtretur. ineſt etiam, ut dixi aliàs, *candori* emphaſis divinitatis; ut Judex ſuper Thronum ſedens, intelligatur, non homo ſolus & filius hominis, qualis externâ ſpecie parebit: ſed præterea etiam Deus eſſe. quod *cœlum & terra* dicuntur *fugiſſe in conſpectu ejus*: ita ut: *locus eis non inveniretur*. Idem aliis effertur verbis quod Petrus Ep. II. cap. III. 12. ſic exprimit. *Expectantes & properantes in adventum diei domini per quem cœli ardentes ſolventur: & elementa ignis ardore tabeſcent.* Per quæ declaratur: cœlum & terram in aliam formam ab eâ quam nunc habent, immutanda: ſalvâ tamen æternùm duraturâ eorum ſubſtantiâ. Hoc enim ſignificans Petrus addit: *novos vero cœlos & novam terram ſecundum promiſſa ejus expectamus. Novos* dicit, innovatos, inſtauratos, in aliam refectos formam: ſicut ſerpens verno tempore vegetior è latebris erumpens, Poëtæ dicitur.

Poſitis novus exuviis, nitidusque juventâ.

℣. 12. Et vidi Mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu Throni.

Omnes qui uſquam umquam fuerunt homines hæc *diviſio*, ut ſcholæ vocant, *adæquata*, complectitur. Per *Magnos* intelliguntur adulti, poſt adeptum & exercitum uſum rationis mortui: per *puſillos* parvuli vel in matris utero, vel in infantia defuncti. Hi univerſi nullo excepto, ante thronum & tribunal Chriſti ſtatuentur judicandi: prout hîc prædicit Vates ſacer.

Et Libri aperti ſunt.

Hi libri ſunt conſcientiæ uniuscujusque Adultorum recognoſcentis & fatentis quidquid in vita bene aut ſecus egerit.

Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.

Hic alius liber eſt Catalogus eorum qui morientes in Dei gratia reperti ſunt. Parvuli qui nihil ſibi conſcii, quod propria voluntate fecerint, ex li-

bro conſcientiæ non judicabuntur: ex hoc alio libro vincent aut cadent: vincent, ſi juſtificati per Sacramenta veteris aut novæ legis, in gratia deceſſerint: cadent & excludentur Regno Dei, ſi jacentes in originali culpa diem clauſerint.

Et judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum.

Liber ex quo quiſque judicabitur eſt cujuſcumque conſcientia recognoſcens, ut dixi, & confitens ſcelera dum viveret commiſſa: ſed hic liber ad cauſam abſolvendam non ſufficit, quia multi graviſſimorum olim à ſe commiſſorum conſcii criminum in die judicii abſolventur, eò quod illa per pœnitentiam eluerunt. debet ergo ad litem ultima juſta ſententia finiendam conſuli adhiberique liber alter, qui ſupra vocatus eſt *liber vitæ*. Hic, ut ibi dictum eſt, eſt matricula omnium hominum quorum animæ dum ſunt à corpore ſeparatæ in Dei gratia erant, & nulla peccati lethalis macula fœdatæ. comparatione libri hujus cum libro conſcientiæ; ſtatim, quod opus erat, diſcernentur obſtinati peccatores à pœnitentibus, qui gratiam ſecundò acceptam ad extremum uſque tenuerint ſpiritum.

℣. 13. Et dedit mare mortuos qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant, & judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum.

Perobſcurus hic locus eſt, & crucem dudùm fixit Interpretibus magnis. Si enim, ut primâ fronte apparet, enumerarentur loca, unde corpora mortuorum ſuis iterum animabus unienda eruentur, numquam, omiſsâ terrâ, quæ pleraque continet, nominaretur mare pauciſſima complectens (nam quota pars hominum morientium abſorbetur mari? Et horum ipſorum quorum naufragio vel alio caſu pelago merguntur, plerumque dicuntur corpora ad littus fluctu ejici; & ibi pietate prætereuntium arenâ vel pulvere injecto ſepeliri.) numquam mors tamquam receptaculum cadaverum reſurrectioni debitorum memoraretur, præſertim à mari & inferno diſtinctum: quaſi quæ in mari fluctuant, vel ſi qua in inferno ante reſurrectionem finalem haberi fingantur, non æquè omnia ſub mortis Imperio ſint. Recte S. Auguſtinus vidit, aſſentientibus Primaſio, Tychonio, Ansberto, & Haymone. Maris vocabulum hîc uſurpari ſymbolicè. Sed quod iidem addunt: deſignari hoc loco maris vocabulo *ſæculum præſens*, hoc eſt homines tunc victuros quandò Chriſtus judex veniet: mihi quidem non facile captu eſt. An non enim omnes illo ultimo ſæculi tempore ſuperſtites anteambulone Chriſti judicis igne conſumentur, illo de quo ſcribit David Pſ. XCVI. 3. *Ignis ante ipſum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos ejus*? Id ſi ita eſt, antequam judex appareat, jam omnes *ſæculi præſentis* homines,

in mortis jura tranſierint. cur ergo aſſignatur hîc *ſæculo præſenti* claſſis à *morte* diſtincta ? Rurſus, quam ob cauſam *Infernus* & ipſe *mortuos* habere *ſuos*, *quos reddat*, dicitur : ſi non alios habet, nec habere poteſt, quàm quos ei tranſmiſerit *mors* ? Hæc ſatis perplexa ſunt. Ego, ambagibus omiſſis, ſententiam de his meam offero cenſuris judiciiſque peritorum. Exiſtimo : *maris* vocabulo electos omnes deſignari, hoc eſt, homines quotquot in Dei gratiâ mortui, extremo Chriſti judicio in Regni æterni poſſeſſionem vocabuntur. Argumentum ita ſentiendi inde duco : quod è tribus memoratis promptuariis mortuorum, mari, morte, & inferno : duo tantùm ultima *mors* & *infernus* verſ. 14. ſequenti *miſſa* dicuntur *in ſtagnum ignis*. Igitur ſoli *mortui maris*, *ſtagni ignis*, hoc eſt, (prout ex aliis hujus libri locis patet) incendii æterni damnatis perpetiendi, ſunt immunes. Non aliis autem iſta beata ſors obventura hominibus eſt, quàm iis qui in Dei gratiâ deceſſerunt. Hos ergo deſignant *mortui maris* : unde infertur, hîc mare pro claſſe, ſalvandorum accipi.

Dicet aliquis : longè accerſitum, & nimis inſuſpicabilis ſignificatûs id ſymbolum videri, quid enim *mari* commune cum Claſſe univerſâ electorum ?

Reſpondeo : poſt naufragium humani generis in tranſgreſſione Adami factum, cum plenâ jacturâ ſpei ac juris ad felicitatem omnis, nullum ſuperfuiſſe ulli hominum ad æternam gloriam acceſſum niſi arbitrio & beneficio Chriſti Redemptoris. Hic autem conſtituit unicam adipiſcendæ ſalutis viam baptiſmum. Unde palàm edicit : *niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto*, *non poteſt introire in Regnum Dei*. Joan. III. 5. Baptiſmi autem Chriſti quaſi vicaria fuere quæcumque Sacramenta, vel actus voluntatis prærogatâ ex meritis Chriſti prævifis gratiâ excitante & cooperante eliciti, homines in naturali aut ſcriptâ lege ad juſtificationem perduxerunt, cum finali in eâ perſeverantiâ. Quidni ergo totus ordo juſtificatorum per Chriſtum *mare* in Prophetiâ obſcuriſſimâ dici poterit, cum aqua generale inſtrumentum Chriſto fuerit hominum in Adamo lapſorum in ſalutis amiſſæ viam reducendorum ? Hinc Theologi quas alias norunt vias adipiſcendæ citrà verum & propriumBaptiſmum gratiæ ac gloriæ; pura per Martyrium; aut per actus fidei, pœnitentiæ, caritatis, citrà Baptiſmi actualis facultatem ex Chriſti gratiâ conceptos, æquè univerſas ad *unum Baptiſma*, quod in ſymbolo agnoſcit & confitetur Eccleſia, reducunt : diſtinguentes Baptiſmi tres quaſi ſpecies, quas vocant, *Baptiſmum fluminis*, *Baptiſmum flaminis*, & *Baptiſmum ſanguinis* : eâ ſumpta doctrina è celebri Joannis Apoſtoli loco, Ep. I. c. v. 8. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terrâ* : *ſpiritus*, *aqua*, *& ſanguis* ; *& hi tres unum ſunt*.

Scio his oppoſiturum quempiam : non omnes qui juſtificati per Baptiſmum ſunt, ad æternam gloriam pervenire ; quod ultrò confiteor, ſed aio : Joannem per antonomaſiam ſolos hîc mortuos in claſſe, quam *mare* appellat comprehendiſſe qui gratiam per Baptiſmum acceptam, aut, ſi eam um-

quam amiſerunt, per pœnitentiam recuperatam, ad ſpiritum ultimum perduxerunt: idque jure feciſſe, quoniam alii peccando, & in peccato moriendo, ſeſe volentes ex claſſe *maris*, in claſſem *mortis* tranſtuliſſent: cum ergo dicitur: *dediſſe mare mortuos qui in ipſo erant*: intelligendum eſt: productos ad Chriſti judicium eos omnes qui in gratia deceſſerint, ideò in *libro vitæ* paulò ante memorato ſcripti. Ubi etiam illud obſervandum eſt: non agi hîc de Martyribus aut Confeſſoribus jam nunc Eccleſiæ judicio Sanctis Beatiſque declaratis: de quibus multa Joannes hoc eodem capite dixerat à verſ. 4. ad 7. quoniam iſti omnes è *mari* producti mortui judicandi ſiſtentur ante Chriſti tribunal, uti & priùs dictum eſt verſ. 12. & mox in hoc diſtinctiùs exprimitur: ubi de tribus promiſcuè ordinibus mortuorum quos ſive *mare* ſive *mors*, ſive *infernus* protulerit, affirmatur.

Et judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum.

Sancti autem quicumque canonizati, judicaturi potiùs & Chriſti judicis aſſeſſu dignandi, quàm judicandi reſurgent, quia cum de ipſorum merito & gloria jam præjudicaverint Eccleſiæ Antiſtites, quibus Chriſtus dixit: Matt. XVIII. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*, judicium jam factum pro rato habitum non retractabitur. *Mortui* ergo quos *dabit mare*; fideles ſunt in finali perſeverantia & Dei gratia defuncti, de quorum bona ſorte ſpes tantùm & pia opinio in Eccleſia, non autem ullum certum & irrefragabilis autoritatis teſtimonium extat.

Reſtat videndum quid *mors*, & quid *infernus*, hîc ſignent: & quos quiſque amborum producturus ad Chriſti judicium dicatur mortuos.

Mortis verbo Joannes hoc loco denotat integram collectionem hominum damnatorum, qui conſcito aliquando voluntariè lethali peccato dum viverent, in ejus non expiati conſcientia deprehenſi ſunt dum animam efflarent, quæ propterea ſtatim in ſtagnum ignis, ſulphuris (quod eſt mors ſecunda) æternùm crucianda demerſa eſt: expectans ibi uſque ad diem univerſalis judicii, corpus in quo vixit & peccavit ſibi denuò copulandum, ad perpetuum ſempiternæ pœnæ conſortium.

Inferni vero nomine idem ſacer Vates hîc deſignat omnes Angelos reprobos, quos contrà ſuum Creatorem Deum duce Lucifero rebellantes; Deus ultor in ipſo primo nefarii ſceleris conatu, dejectos de cœlo, & (ut loquitur Petrus Apoſt. II. ep. cap. II. 4.) *rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* ibi *reverſatos in judicium*, atque ut Petro concinens Judas Apoſtolus addit, ſuæ Catholicæ verſ. 6. *In judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervatos.*

Quod mortis vocabulum deſignandæ univerſitati reproborum hominum, adhibeatur, inde conſentaneum apparet: quod mors propriè dicta quæ ſeparatio eſt animæ à corpore; ſoli convenire humanæ naturæ poteſt: unde

ſimplices & naturâ ſuâ immortales ſpiritus in mortis ſignificatum includi, non fuiſſet congruum : quippe qualibus mors convenire non alia quàm metaphorica poteſt, in ſeparatione à Deo per peccatum ſita. Hominibus autem ob culpam ſuam gravem, actualem, in quâ deceſſerint, demnatis (quales hîc ſolos mortis nomine comprehendi credimus) revera contigit triplex mors, una vera, duæ metaphoricæ. Prima eſt admiſſio libera peccati mortalis, qua Dei gratiam, animæ vitam, perdiderunt, hæc eſt metaphorica. Secunda vera & propria, quâ ſunt eorum animæ carnis nexu ſolutæ. Tertia omnium diriſſima, tamen metaphorica; & reſpectu ad primam metaphoricam, *mors ſecunda* dicta : quâ ſe abjungens à corpore in reatu culpæ lethalis anima in æternum addicitur Tartaro. Tot mortibus mactatum infeliciſſimum genus, quidni rectè univerſum ſignificatum exiſtimetur in his quæ tractamus verbis uno *mortis* nomine ? Hinc : ut id obiter innuam, intelligere eſt : cur dicatur Chriſtus Act. x. 42. *Conſtitutus à Deo judex vivorum & mortuorum* : & in *octavo* articulo Symboli Apoſtolici, *judicaturus vivos & mortuos*. Inde enim id veriſſimè dictum eſt, quia, omnium hominum qui in fine ſæculi à Chriſto judicabuntur, adæquata diviſio eſt in eos qui aliquando, dum viverent, arbitrii compotes, in gratia deceſſerunt; ſic tamen ut Eccleſiæ judicio beati declarari non meruerint (hos hîc Joannes vocat *mortuos à mari datos* :) & in illos qui ſimiliter uſu rationis in vita potiti, diem ultimum clauſerunt expertes gratiæ habitualis, in ſtatu peccati mortalis olim ab ipſis actualiter commiſſi, quos Joannes idem hoc loco *mortuos* appellat *à morte redditos* ; iidemque hi ſunt quos Matthæus cap. xxv. Chriſtum dixiſſe ipſum refert, ſibi finalem ſententiam pronuncianti *à ſiniſtris* adſtituros : cùm iis oppoſiti è diametro, producti *è mari mortui*, à dextris Chriſti ſtantes, audituri ab eo ſint : *venite benedicti poſſidete regnum &c.* Prior Claſſis *vivorum* dicitur : quia vera vita animæ, juſtificante Dei gratia, in cujus poſſeſſione vitam mortalem clauſere, ſemper à corporali obitu vixerunt. Alter ordo, ſimpliciter *mortuos* continet, omnes triplici morte defunctos : prima allegorica', quam incurrerunt ſeparando ſe à Deo per peccatum actuale mortale : ſecunda naturali, per abjunctionem animæ à corpore, tertia myſtica, per addictionem ſontis animæ igni æterno, ſtatim à morte corporis factam. Non negligam ſcrupulum qui poſſet cuipiam ſuboriri de mortuis naturali morte in ſolo originali peccato, an & hi incluſi putandi ſint à Joanne iſta *mortis* mentione ? Cui occurro, aiens : excluſos inde videri per illa quæ toties inculcat verba : dum *judicandos* ſcribit eos quos *mortis* & *inferni* vocabulis ſignat, *ſecundum opera ipſorum*. Agit ergo ſolùm de iis qui per uſum aliquandò liberum mentis arbitriique, Dei regnum peccando abdicarunt. Tales reprobi omnes, tam homines quàm dæmones fuerunt, non tamen parvuli, amentes, & ſi qui alii in ſolo originali peccato, ſine quovis actuali, mortui. Hi condemnabuntur quidem à Chriſto univerſali judice ad pœnam *damni*, non *ſenſûs* : at non *judicabuntur* ſecundùm *opera* priora *ipſorum* : ſed luent juſtè peccatum alienum in ipſos

ipsos transfusum ex prævaricatione primi Patris & legitimi actoris eorum constituti, Adami Protoplasti, sine ullo opere malo cujuslibet ipsorum proprio. Unde sors & conditio æterna illorum nequaquam, ut observat S. Augustinus, ad eum miseriæ pertinget gradum quo dici de quolibet eorum possit, quod Christus de Juda dixit: & dici pariter potest de quovis alio addicto pœnæ simul *damni* & *sensus*, & in *stagnum ignis & sulphuris*, ultima sententia detruso: *bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*

Denique quod *inferni* nomen universam designet malorum dæmonum numerosissimam multitudinem, non mirabitur qui reputabit: voraginem illam igne plenam in fundo globi terrei intimo circa ejus centrum, sedem esse propriam rebellium spirituum illorum, ipsis statim ab ipsorum peccato in carcerem perpetuum paratam: ipsis inquam propriè, non hominibus, qui nondum tunc peccaverant, nec erant. Quod clare docet, illud Christi judicis in sententia finali verbum Matth. xxv. 41. de igne æterno: *qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*, quia ergo infernus habitatio malorum dæmonum propria, & quasi civitas ac patria est; usitatissima jam synecdoche, qua continens usurpatur pro contento, universa damnatorum dæmonum natio *inferni* nomine rectè hîc signata potest accipi.

℣. 14. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.

Aptissimè hæc congruunt expositioni modò propositæ vocabulorum mortis & inferni. Rectè quippe intelligitur: statim à sententia Christi judicis ultima; tam *infernum*, hoc est inferno addictos, & eam sedem propriam habentes malos omnes dæmones: quàm *mortem* hoc est, omnes homines in peccati mortalis actualiter commissi, habitualiter permanentis, ut Scholæ loquuntur, conscientia mortuos, detrudendos in *stagnum ignis*, sive Tartarum, perpetuò ibi detinendos & torquendos. Judicandos autem ultimo illo judicio Angelos quoque, Paulus etiam docet, qui se Christi assessorem in illo extremo Tribunali futurum confidens, Corinthiis scribit Ep. priori cap. VI. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus.*

Hæc est mors secunda.

Vide suprà hoc expositum.

℣. 15. Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Liber vitæ Matricula, ut dixi, est omnium hominum in Dei gratia mortuorum.

AD CAPUT XXI.

℣. 1. Et vidi Cœlum novum & terram novam.

HÆC visio ultima est in tota collectione visionum quæ hunc librum Apocalypsim vocatum conflant: & extenditur à principio hujus capitis ad versum sextum sequentis; post quem incipit Epilogus libri totius. Versatur verò hæc visio universa in repræsentanda Ecclesia qualis in terris apparuit omnibus jam suis instructa partibus, & beneficio pacis per Constantinum datæ leges omnes ac ritûs suos liberè ac splendidè servans ac celebrans. Indicantur autem his primis verbis causæ profectûs hujus, Ecclesiæ priùs latentis intra catacumbas, aut gementis sub flagellis & ferro vel igne Tyrannorum, in alium floris eximii statum, quo illa fulgores jam undique suos explicans, speciem latè ostentat Reipublicæ divinæ altissimè super universas quæ in mundo umquam fuere societates hominum, statûs ornatusque splendidissimi excellentia sublatæ. Causæ hæ partim è cœlo, partim è terrâ sunt; propterea incipit visio à conspectu *Cœli novi & terræ novæ*. Cœlum novum est novum decretum Providentiæ Divinæ res humanas gubernantis; cui cum placuisset hactenùs Ecclesiam continuis angustiis & tribulationibus, per annos ferè trecentos exercitam & solicitam habere: deinceps mutata in contrarium ratione, statuit, opibus illam & favore ac potentia illustrem reddere; & per hæc nihilò eam minus imò longe plus dilatare, provehere, & ornare quàm per martyria & persecutiones tanto continuatas tempore inclytam & admirabilem fecerat. Huic *cœlo novo* causa splendoris Ecclesiæ altera jungitur *Terra nova*: hoc est, mutatio in terra facta inopinatissima & mirabilis, evecto in imperium Orbis homine Christiano Constantino: & per hoc exarmata suis præsidiis Idololatria, cui Romana catenùs universa potentia militaverat: instructa verò è contrario totis opibus Imperii latissimè in cunctas ferè Gentes dominantis, inope hactenus & humili Christi religione. Hæ duæ insignes mutationes symbolis *Cœli novi*, & *Terræ novæ* Joanni ostensorum, significantur.

Primum enim Cœlum & prima terra abiit.

Sicut modus providentiæ quo Deus gubernavit genus humanum à conditu rerum usque ad Moysem, respectu saltem Israëlitarum mutatum est, quandò lex scripta est data & in usum inducta: perstititque is status rerum usque ad adventum Christi: sic dicimus, post Christi mortem, primam formandi promovendique Evangelij rationem qua Deus voluit Ecclesiam fun-

dari ſummis laboribus deſtitutorum omni humana ope Apoſtolorum, augeri tolerantiâ tormentorum, mutatam dicimus, quandò converſis ad Chriſtum Cæſaribus, Perſecutores perſecutioneſque deſierunt. hoc fuit *primum cœlum*, & *primam terram* abiiſſe, quandò nimirum Chriſtus dixit Eccleſiæ, quod olim Sponſus Sulamitidi Cant. II. 10. *Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. jam enim hiems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terrâ noſtrâ, &c.* Eſt hoc in vulgari etiam loquendi uſu tritiſſimum, tranſeunte anno ab hieme ad ver, dici *cœlum* & *terram* mutari.

Et mare non eſt jam.

Maris nomine ſuperiùs ſæpe oſtendimus Urbem Romam Orbis dominam ſignari. Ea non continuò à converſione Conſtantini eſſe deſiit: quin & diù poſt manſit in ſummo flore ac potentiâ: quamquam à Conſtantino tranſlatâ Conſtantinopolim, titulo novæ Romæ, nobiliſſimâ Coloniâ; quin & ſede ipsâ Imperii; non parùm videri poſſit decus ejus imminutum; duravit tamen in illuſtri ſplendore; & quidem, magnâ ſuorum parte, obfirmatiſſima in erroribus avitis: nam ex Hieronymo teſte oculato, tempore imperantis Honorii ibi degente, retuli aliàs: Senatum magnâ ex parte Idola coluiſſe: cives quoque tanto numero, ut in cunctis angiportubus & inſulis Idololatriæ veſtigia cernerentur. durabat igitur tunc adhuc memoratum hîc *mare*, tamen erga Chriſtianos, ob metum Cæſarum Chriſtum colentium, ex ſævo & procelloſo in tranquillum & placidum mutatum, ac ſic quodammodo novum factum. Verùm quia noſter Phopheta *novitatem* quam cœlo & terræ appingit, *mari* non tribuit: eâ parte vaticinii quâ deſiiſſe illud dicit, negans *jam eſſe*, rectiùs dici debet reſpexiſſe ad tempora extremorum Romæ laborum, conculcatæ à Barbaris, quando ab Erulis, ſub Odoacre, Imperio exuta, à Gothis duce Totilâ, capta, incenſa, vaſtata, verè deſiit eſſe quæ priùs fuerat, cineribus tantùm ejus & mutilis reliquiis ſuperſtitibus in conſequentes ætates.

℣. 2. Et ego Joannes vidi ſanctam civitatem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

Antea dixerat cap. XIX. 7. gratulans, ut ibi dixi, liberationem Eccleſiæ à perſecutionibus, inchoatam victoriâ Conſtantini de Maxentio relatâ: *Regnavit Dominus Deus noſter omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni; & uxor ejus præparavit ſe.* Hæc præparatio tunc cepta, in plenâ Conſtantini de omnibus perſecutoribus victoriâ, quâ ultimum Licinium dejecit, quodammodò conſummata eſt. ſic tamen ut creſceret, amplioribuſque augeretur ornamentis, toto à Conſtantini Monarchiâ tempore ſtatim à redacto in ordinem Licinio, inchoante;

non solùm per totum reliquum Constantini principatum, & succedentium ipsi Christianorum in occiduis partibus Cæsarum usq; ad Augustulum; sed longè magis post excisam à Totilâ Romam: quando illa superiùs posita verba *& mare jam non est*, eventum, ut dixi, sortita sunt. Tunc enim qualiscumque à Belissario superfuit Roma, opibus quidem, numero civium, & cæterâ sensibili claritate inferior priori, pietate tamen & religione illi antecelluit; quippe tota jam ferè in Romani Pontificis, Christi in terris Vicarii, potestate: cujus luminibus obstruxerant, Cæsares etiam Christiani quamdiù in Italiâ Imperarunt. Respublica igitur Christiana, illa Theopolis, à Deo in terris palàm gubernata communitas, tunc potissimùm in mundo apparuit suis absolutâ partibus, & numeris omnibus, Romano subdita Pontifici, Christi vices gerenti, suâque liberè per orbem totum munia obeunti; Regibus ubique Christianis ipsum venerantibus, & enixè cooperantibus; fulciendâ spirituali supremâ potestate; quam in ipso agnoscunt, opibus viribusque temporalis suæ, quam à Deo acceperunt. Illam promiserunt Prophetæ veteres, indicantes eam nomine allegorico, *Jerusalem*: quali & Joannes noster hîc utitur: recito unum & alterum. Tobias senior cap. XIII, 11. *Jerusalem civitas Dei .... Luce splendidâ fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes è longinquo venient: & munera deferentes adorabunt in te Dominum; & terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen enim magnum invocabunt in te. Maledicti erunt qui contempserint te: & condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te: benedictique erunt qui ædificaverint te. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum. Beati omnes qui diligunt te: & qui gaudent super pace tuâ. Anima mea benedic Dominum: quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam à cunctis tribulationibus ejus, Dominus Deus noster. Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. portæ Jerusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ ejus sternentur: & per vicos ejus alleluia cantabitur. Benedictus Dominus qui exaltavit eam, ut sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam, amen.* Hactenus Tobias. Isaïas cap. LX. *Surge illuminare Jerusalem quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, ... & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortûs tui ... & ædificabunt filii Peregrinorum muros tuos: & Reges eorum ministrabunt tibi .... Et aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium: & Reges earum adducantur.* Hæc ibi Isaïas, & idem alibi in eandem sententiam plurima, uti & cæteri Prophetæ: quorum ultimus Joannes luculenter hîc prædicit breviori post tempore visendam in terris Christianæ Reipublicæ fundatissimè stabilitæ, & prorsùs absolutæ, perfectéque ornatæ illustrem, & Orbe latissimè toto conspicuum splendorem.

℣. 3. Et audivi vocem magnam de Throno, dicentem: Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus.

Unde ipsa Jerusalem *descendit* (ut modo dictum est) *de cœlo à Deo*, inde auditur ejus elogium ab ipso qui fecit & ornavit ipsam pronunciatum: Deo videlicet ac Christo: quod satis innuitur, dum vox *de Throno*; in quo non alius quàm Deus ac Christus sedet, significatur processisse. Ecclesia dicitur: *Tabernaculum*, licet antea vocata sit *Civitas*: quia peregrinorum statio est ad Patriam pergentium, cœlestem videlicet felicitatem; ad quam per Sacramenta, ritus & doctrinam militantis in terris Ecclesiæ initiamur & ducimur. Est tamen *Tabernaculum Dei*, à Deo & erectum & inhabitatum per præsentiam etiam corporalem Christi in Eucharistia, semper in Ecclesia servata. inhabitatum autem ab hominibus communi cum Deo utentibus diversorio: ut sit Theopolis civitas Dei, à Christo præsente gubernata custodita, & protecta.

℣. 4. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor; neque dolor erit ultrà: quia prima abierunt.

Hæc si intelligantur de Ecclesiâ adhuc in terris militante, comparativè accipienda sunt; collato Ecclesiæ statu qualis fuit post Constantinum plenè victorem extincto Licinio, cum eo in quo erat sub Diocletiano. In hoc secundo absterſæ sunt lachrymæ piorum sub Persecutionum acerbitate gementium. Mortes ultrà non cernebantur, aut audiebantur Martyrum in tormentis: luctus Patrum, Matrum, Fratrum, Cognatorum, ob Filios, Fratres, consanguineos cæsos, vinctos aut exules, cessavit: dolor denique verberum & equuleorum desiit. *quia prima abierunt*, mutata jam scena est. Contrarius hinc incipit providentiæ tenor, non jam, ut ante, inopiâ & patientiâ; sed opibus & prosperitate Ecclesiam promovere decernentis. hæc novitas Cœli est: terræ autem inde consequens innovatio cernitur in provectione Christianorum ad apicem Romani Imperii, & Urbis Romæ etiam sub Christianis in Idololatriâ perseverantis, exautoratio per abolitionem Occidentalis Imperii operâ Odoacri, & destructione, incendio, extremâ desolatione per Totilam: qua impletur quod erat prædictum illis verbis *& mare non est jam*. Dixi, *si intelligantur hæc de Ecclesiâ militante*: nam cum unum quodammodò faciat cum alia beata regnante in Cœlis: sæpe fit ut quædam de priori prædicantur, quæ perfectum eventum tantum in altera sortitura sint: qualia hæc sunt, si *absolutè*, & non, ut dixi, relatè ac comparativè accipiantur: absterſio integra omnium lachrymarum, cujuscumque mortis exterminatio, luctus & doloris omnis æterna securissima carentia.

℣. 5. Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.

Emphasim habet inconcussæ immutabilisque firmitatis τὸ *dixit*, attributum summam obtinenti potestatem ; qualis autor dicti declaratur verbis sequentibus ; *qui sedebat in throno*. quod Deus dixit *fatum* est, ineluctabiliter eventurum : quò respicit illud Psal. *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Deus enim omnipotens dicendo creat, ut cernere est Gen. I. *Dixit Deus fiat lux & facta est lux* : sic nunc denunciat *Ecce nova facio omnia* simul operans quod loquitur, mutatione inopinatissima rerum in Imperio Romano.

℣. 6. Et dixit mihi : factum est.

In originibus pro *factum est*, legitur γέγονε *fuit* : quo latini quoque veteres mutationem statûs, non qualemcumque : sed fixam & regressum non habituram signant. Maro Æn. II.

Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum.

Ego sum α & ω, principium & finis.

Tacitè his assignatur ratio immutabilitatis & irrevocabilitatis novæ sortis rebus Ecclesiæ allatæ per pacem Constantini, successionem Cæsarum Christianorum, extinctionem Imperii Romani Occidentalis, & desolationem extremam urbis Romæ : hæc enim &quæ ex his nascuntur, profectus Ecclesiæ, splendor major &liberior potestas Romani Pontificatûs : ideo & certò futura & longum duratura sunt : quia qui ea & promittit & præstabit, *principium & finis* rerum omnium est, dans cunctis initium & præstituens metam.

Ego sitienti dabo de fonte vitæ gratis.

Ut Deus per Nathanem enumeratis Davidi beneficiis quibus ipsum affecerat II. Reg. XII. 8. addidit : *Et si parva ista sunt, adjiciam tibi multò majora* : ita hîc Christus promissa & repræsentatâ Ecclesiæ tranquillitate ac faustitate temporali, haud acquetaturam in ea suam liberalitatem addit : se se enim prætereà paratum dare Christianis florenti jam in statu vitæ hujus constitutis, æternam in cœlo felicitatem, dummodo eam *sitiant*, hoc est, vehementer optent : nec fruitioni bonorum præsentiuum affectu nimio incubantes, obliviscantur se esse *advenas & peregrinos*, nec habere hîc *civitatem parmanentem* : unde omittant *futuram inquirere* : quod hîc dicitur, *sitire fontem aquæ vivæ* : nam *fontis* symbolo signari felicitatem æternam, docet Christus, Samaritanæ dicens Joan. IV. 13. *Qui biberit ex*

aquâ quam ego dabo ei (hæc est gratia habitualis semen gloriæ) *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* : hoc est, quot quisque moriens habuerit gradus gratiæ sanctificantis, tot ipsis correspondentes obtinebit gradus gloriæ in Dei visione ac fruitione sitæ, æternùm duraturæ. Cur autem dicit : se daturum *gratis*, cum certum sit mercedis loco dari : quod autem in mercedem datur, *gratis* non datur ? Ad hoc duplex responsio est. Prior : ideo dici *gratis* dari *gloriam æternam*, quia merita seu actus boni quibus homines justi felicitatem sempiternam promerentur, dona Dei sunt. Sicut ergo si aliquis rem pretiosam habens venalem, cuipiam emere volenti pecuniam donaret, quâ deinde receptâ rem traderet, rectè diceretur *gratis* dedisse, quantumvis accepto pretio vendidisse videretur : ita Deus dum, ut ait Augustinus, remunerans merita nostra, remunerat munera sua, gratis dat illud idem quod in mercedem dat. Respondetur secundò : gloriam quæ rependitur in cœlo meritis Sanctorum infinitis partibus exsuperare valorem actuum & operum bonorum, quibus pro mercede redditur : quæ causa fuit Davidi Deo dicendi de Sanctis glorificandis : *Pro nihilo salvos facies eos.* Ps. LV. 6. ubi *nihilum* vocatur exiguum quid, respectu infinitæ magnitudinis præmii repensi planè instar nihili obtinens. Quemadmodum ergo qui regnum aliquod ampliſſimum obolo emeret, rectè id *gratis* accipere diceretur : pari modo Sancti dum in mercedem obsequiorum in vitâ mortali Deo præstitorum, à Deo coronantur vitâ æternâ, jure dicuntur *gratis* eâ donari : verè siquidem judicavit Apostolus ad Romanos cap. VIII. 18. sic scribens : *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

℣. 7. Qui vicerit possidebit hæc.

Anteà cap. II. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* vers. 11. *Qui vicerit non lædetur à morte secundâ.* vers. 17. *Vincenti dabo manna absconditum.* vers. 26. *Qui vicerit ... dabo illi potestatem super gentes.* cap. III. vers. 5. *Qui vicerit sic vestietur.* vers. 12. *Qui vicerit faciam illum columnam in Templo Dei mei.* vers. 21. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo.* Hæc toties in hoc libro Christus repetens, ostendit eundem esse se qui nunc in visione Joanni loquitur, cum eo qui olim conversans in terris dicebat : *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Mat. XI. 12. Magni videlicet momenti & usus erat inculcari Christianis, præsertim persecutionum tempore, quando Apocalypsis est edita, contentione ac certamine opus esse volentibus ad felicitatem pervenire : sed & hoc quoque loco, ubi describitur alta & secura Ecclesiæ pax, nihilominùs esse certandum, admonere his verbis curavit, ne cui obreperet falsa opinio, remitti contentionem posse, quando externæ impugnationes cessant : cum omnium temporum lex sit à Paulo generaliter promulgata : *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* II. ad Tim. II. 5.

Et ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

Valet hîc Pauli illatio: *Quod si filius, & heres per Deum.* etiam per gratiam sanctificantem adoptat Deus, dans *potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus*, ut in Joannis Evang. legitur cap. 1. Sed est altera longè felicior & sublimior adoptio per gloriam, qua filii continuò cernunt & irrevocabiliter possidere incipiunt hereditatem Dei, *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, ut Paulus habet Rom. VIII. 17. de hac excellentiori adoptione agitur hoc loco.

℣. 8. Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & Idololatris, & omnibus mendacibus; pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

Pleraque hæc partim per se nota, partim superiùs exposita sunt. Explicandum modò supereſt, quinam dicantur *execrati*, in Græco ἐβδελυγμένοι puto hîc respici locum Levit. XVIII. 22. *Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est.* Septuaginta, quorum versione Apostoli græcè scribentes utuntur, μὴ ἄρσενος κοιμηθῇς κοίτην γυναικείαν· βδέλυγμα γάρ ἐστι quin ab hoc, βδέλυγμα, suum ἐβδελυγμένοι Joannes formaverit, non videtur dubium; ac proinde, quin in mente habens hunc Levitici locum, nefandum id & ore virgineo haud dignum nominari flagitium sic obscurè adumbraverit ἐβδελυγμένους *execratos* vocans, quos Paulus exertè ἀρσενοκοίτας *Masculorum concubitores* dixit. In Hebræo fonte Levitici pro βδέλυγμα legitur תועבה *Thoabah* à rad. תעב *Thaab* quod sonat *abominari, execrari*: unde תועבה *Thoabah*, erit abominatio, execratio. Porrò sicut Joannes in adjuncta πόρνων *fornicatorum* voce, similes luxuriæ species, ut adulteria & incestus, comprehendit: sic hoc *execratorum* vocabulo non solam Sodomiticam abominationem, sed & bestialitatem, mollitiem, & si qua sunt alia contrà naturalem usum libidinum piacula, collegisse censendus est. qui extremo loco vocantur hîc *mendaces*, non cujuslibet, etiam jocosi aut officiosi, mendacii rei existimandi sunt; cum addicendi pronuncientur igni æterno, quæ lethalium tantum criminum pœna est: sed eos intelligere oportet quos Apostolus Paulus 1. ad Tim. cap. 1. 10. in simili enumeratione damnandorum ψευσὰς in Græco vocat, quæ vox eadem in quibusdam Manuscriptis antiquis codicibus hoc item Apocalypsis loco ponitur. sunt autem ψευσαὶ longè sceleratiores quam ψευδεῖς, falsi testes, perjuri, plagiarii, inficiatores debitorum, detractores, calumniatores, &c. quæ sunt crimina inferno digna. Timidi quoque hîc memorati, ii sunt

sunt intelligendi qui timore victi fidem abnegant, aut ad grave scelus trahuntur.

℣. 9. Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, & locutus est mecum dicens: Veni & ostendam tibi sponsam Uxorem Agni.

Hæc manifestam habent antistrophen eorum quæ superiùs scripta sunt initio capitis XVII. ubi sic legimus. *Et venit unus de septem Angelis, & locutus est mecum dicens: Veni ostendam tibi damnationem Meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum quâ fornicati sunt Reges terræ: & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi Mulierem sedentem super Bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ.... & mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso & margaritis... Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu, & miratus sum cum vidissem illam admiratione magnâ.* Hic liber à capite duodecimo quasi drama quoddam, duabus scenis repræsentat, primò Romam Idololatram imperantem Orbi, & vi suæ potestatis totâ utentem, ad propugnandam & propagandam superstitionem; veram autem religionem opprimendam. Deinde Romam Christianam, præsidente in eâ Christi Vicario summo Pontifice, cum liberrimo usu suæ supremæ spiritualis potestatis, Orbem universum, & veræ dogmatibus Religionis imbuente, & ex ejus legibus regente. Prior scena Romam veterem temporali potentiâ fulgentem, armatam in Sanctos, & atrociſſimè conantem exscindere Christianissimum, ob idque plagis per septem phialas prænunciatis attritam, imperio exutam; denique penitùs excisam exhibet. Scena posterior, quæ clausula dramatis est, à tertio jam retrò inchoans capite, sed in hoc & sequenti terminata, substitutam in locum Romæ Idololatræ Romam Christianam proponit; eodem quidem loco in ruinis prioris sedem habentem; ut cum longè minore temporali splendore; ita cum eminentiori & latiùs patente spirituali autoritate. De quo versus sunt elegantes S. Prosperi

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris,
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

Ut igitur priorē illam dum floreret, unus ex Angelis septem phialas habentibus in illâ cap. XVII. visione Joanni monstravit: ita nunc novam Hierusalem Christi sponsam Ecclesiam Romanam Orbi toti Religionis jura dantem Angelus item unus è septem habentibus phialas Joanni eidem ostendit. In quo statim occurrit quærendum, cur ad hoc utrumque ministerium potissimùm deligantur Angeli ex illo numero gestantium phialas? Hoc ideò fit, quia

iſti ſeptem Angeli & denunciatores & miniſtri fuerunt ſuppliciorum de Româ Idololatrâ in ultionem oppreſſæ per eam Eccleſiæ ſumptorum: prout ex capitibus XV. & XVI. & iis quæ ad ea notavimus, cernitur. Cum enim per illa ſupplicia deſtructa tandem & abolita Roma Perſecutrix, & in ejus loco ac ſorte juſtiſſimo Dei judicio collocata Roma Chriſtiana fuerit: conveniebat oſtenſiones utriuſque iſtius Romæ Joanni factas per quoſdam eorum Angelorum adminiſtrari, quibus commiſſa fuerat executio ſuppliciorum & exterminii Romæ veteris in eum finem decretorum ut in prioris vicem, poſterior in terris dominaretur.

℣. 10. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum & oſtendit mihi Civitatem ſanctam Jeruſalem.

Vidimus paulò ante Angelum qui oſtendit Joanni Romam Idololatram non *ſuſtuliſſe* illum ut nunc *in ſpiritu in montem magnum & altum*: ſed *abſtuliſſe in ſpiritu in deſertum*: quæ differentia ſumma fide ex archetypo græco tranſlata eſt à Vulgato noſtro. Nam in priori loco legerat in originibus: ἀπήνεγκέ με ἐν πνεύματι εἰς ἔρημον. In poſteriori autem ἀνήνεγκέ με ἐν πνεύματι εἰς ὄρος μέγα καὶ ὑψηλόν. Et ſi hodiè in hoc quoque loco legatur, ἀπήνεγκε, quod levi mutatione per Amanuenſes fuiſſe corruptum ex ἀνήνεγκε, indicat verbum *ſuſtulit* hic poſitum pro *abſtulit*, ab Interprete ſcrupuloſiſſimè ſolito omnes apices græci contextûs exhibere. Cauſa diverſitatis hæc opinor eſt: Repræſentabatur illic Roma vetus ſpecie antiquæ Babylonis qualis olim fuit cum in eâ Nabuchodonozor captivum Dei populum tenens, & ſtatuam auream, pœna vivicomburii præſenti propoſitâ, cogens adorari, regnabat. Accommodatur ergo tunc viſio ad loci naturam in quo ſita erat; *Babylon magna*, cujus nomen in fronte Romæ Idololatræ ſic oſtenſæ proſcriptum extabat. ſed cum adjuncto vocabulo *myſterium*, quo ſignificabatur: non verum & proprium id eſſe Romæ nomen: at *myſtycum* duntaxat & allegoricum. Jacebat autem vera vetus Babylon in planitie irrigua & fertili, ad Euphratem amnem: unde figuratur *ſedens ſuper aquas multas*. Confines autem habebat terras aridas & ſteriles. Nam ad Chaldæam è Syriâ iter eſſe per Arabiæ deſerta, ex antiquis & recentibus viatorum relationibus, & Geographicis Tabulis conſtat. Accommodatè igitur ad continuationem Allegoriæ non *ſuſtollitur*, ſed *defertur* planâ viâ *in ſpiritu* Jonnes *in deſertum*, ad ſpectandam illinc è propinquo Romam Idololatram ſpecie priſcæ Babylonis efformatam. Contrariâ verò ratione nunc, ductus ad videndam Romam piam in iiſdem ſoli & ſitûs veſtigiis impiæ ſucceſſuram: ibique futuram Arcem ſparſæ Orbe toto Religionis Chriſtianæ, ſub pleno arbitrio illic in ſolidum dominaturi Chriſti Vicarii Pontificis Romani: cæterùm imagine ac nomine Urbis *Ieruſalem* & Arcis *Sion*; quarum ſitus eſt in montibus, expreſſam, debuit in ſpirituali hâc referendâ viſione mutari loquendi forma, pro diverſitate naturali ſitûs urbis utriuſque: & non velut per

planum *adduci* Joannem *in desertum*, sed *sustolli in montem magnum & altum*. Alludunt hæc, ni fallor, ad illud Isaiæ cap. 11. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus Mons domus Domini in vertice montium: & elevabitur super colles: & fluent ad eum omnes Gentes: & ibunt Populi multi & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Hæc Sion & Jerusalem Isaiæ visa: sita *in vertice septimontii Romulei*, & exaltata suprà septem famosos Romæ veteris *colles*, eadem sine dubio est cum ostensâ hîc Joanni *Civitate sanctâ Ierusalem*; Româ nempe novâ Christianâ, Orbis magistrâ, centro communionis Catholicæ, post extinctum ab Erulis occidentale Romæ veteris Imperium: & ipsam à Gotthis deletam, in ejus excitatâ ruinis, Romano plenè Pontifici subjectâ. Minori longè structuræ magnificentiâ, opum temporalium copiâ, potentiæ sæcularis apparatu: sed vicissim incomparabiliter ampliori & illustriori splendore gratiarum virtutumque divinarum: qualem mox sequentia describunt.

Jerusalem descendentem de cœlo à Deo.

Hoc est, in Cœlo dudùm decretam & præformatam; deinde in terrâ à Christo Dei Filio & Deo ipso, nunc ad Dei Patris dexteram sedente, per se ac per Apostolos fundatam & dilatatam.

℣. 11 Habentem claritatem Dei.

Claritas Dei eâ formâ hîc dicitur, quâ superlativa Hebræi per Dei mentionem efferunt, dum *montes Dei*, montes supra modum excelsos vocant: *flumen Dei*, immensâ exundantem copiâ cumulum aquarum. & similia passim: ad quod exemplum claritas Romæ Christianæ, sedis Pontificatûs vices Christi tenentis in terris, universalis Ecclesiæ Pastoris; appellatur *claritas Dei*, hoc est, claritas summa, claritas permanens; ideoque similis non volitanti vibratæ, coruscæ flammæ, citò extinguendæ, vel venti afflatu, vel aquæ affusione, vel materiæ defectu; sed instar gemmæ solidæ naturâ suâ fulgidæ ac splendentis, duratura. quod consequentibus verbis exprimitur.

Et lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi Jaspidis, sicut crystallum.

Pro *& lumen ejus*, in Græco est: καὶ ὁ φωστὴρ αὐτῆς. Est φωστὴρ Græcis non *lux* mera, quam appellant φῶς: sed corpus solidum lucem fundens; & quidem majus, qualia solaris & lunaris globi, ideo in Genesi *luminaria* vocati, quod stellis ibi non tribuitur. Indicat hîc igitur Joannes aliquam

ſubſtantiam luminoſam, cujus fulgore illuminetur ſancta civitas: & eam ſimilem eſſe ait lapidi *jaſpidi*, non cujuſvis formæ (plures enim ſunt ejus gemmæ ſpecies,) ſed ejus quæ κρυσταλλίζει, cryſtallina eſt, de quo audiendus Dioſcorides libro v. cap. XLIII. *jaſpidum quidam*, inquit, *ſmaragdum imitantur*; *alii cryſtallum*, de hujus lapidis naturâ, dicetur infra ad verſ. 19.

℣. 12. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim: & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum Filiorum Iſraël.

His ſymbolicè ſignatur ſecuritas civitatis hujus ab omni incurſu hoſtili per objectam molem muri impenetrabilis ob ſoliditatem, & propter altitudinem inexſuperabilis: tum ob cuſtodiam ad portas patentes poſitam, cuivis inimicæ poteſtati prorſus imperviæ; nec cuſtodia unius infirma videri debet, cum cuſtos portæ cujuſlibet ſit Angelus: qualium vel unum quamlibet numeroſis hominum exercitibus momento delendis parem eſſe, triſti experimento Sennacherib comperit, centum octoginta quinque millia militum ſuorum uno ictu ab uno Angelo interfecta conſpiciens, IV. Reg. cap. XIX. 33. Duodecim Tribus Iſraël univerſam ex gente qualibet fidelium multitudinem myſticè ſignant *non enim* ſoli *qui ex Iſraël, ii ſunt Iſraëlitæ*, ait Paulus ad Rom. VI. 9.

℣. 13. Ab oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & ab auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres.

Significatur ex omnibus Orbis partibus vocari homines cujuſcumque nationis in Eccleſiam, admittique, modo in eam per Baptiſmum ingredi velint. Hæc porta eſt per quam ſolam patet illùc aditus. In triplicitate verò portarum putant SS. Ambroſius & Auguſtinus alludi ad formam Baptiſmi, trium divinarum Perſonarum expreſsâ mentione conceptam.

℣. 14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim: & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.

Etiam Paulus Epheſ. II. 20. dicit Fideles *ædificari ſuper fundamentum Apoſtolorum*; cum traditam ab iis amplexi Doctrinam Eccleſiæ coaptantur per Baptiſmum: quid autem aliud ſymbolicè deſignari congruentiùs putemus hâc fundamenti mentione quàm ſummam dogmatum fidei, quâ Chriſtiani ſumus, ſymbolo Apoſtolico comprehenſam. Antiquiſſima & conſtantiſſima Patrum traditio eſt: compendium illud breviſſimum & cunctis notiſſimum Doctrinæ Chriſtianæ, ideò Symbolum Apoſtolorum appellari, quia illud Apoſtoli, antequam in Gentes ad prædicationem diſpergerentur, collatâ quiſque ſuâ ſymbolâ formarunt; unde manifeſtum eſt, quod vulgò

etiam citrà dubitationem creditur, duodecim illam particulis, sive articulis constare: verum quidem est, non eamdem ab omnibus articulorum servatam partitionem; quibusdam interdum unum simplicem in duos partientibus, duos vicissim conflantibus in unum: cæterùm duodecim esse membra ejus corporis, ipsa duodecim ejus Autorum mentio demonstrat, quorum singulis respondeat in eo quidpiam necesse est, quod illorum quisque contulerit; nec si in quibusdam antiquis libris (quod objicit Grotius) minùs interdum distinctè is numerus exprimatur: movere quemquam hodiè debet ad dubitandum de re indubitatissimè à cunctis creditâ: cum vigens nunc ubique persuasio Ecclesiæ, testimonium habeat irrefragabilis autoritatis, cui paucorum si forte codicum discrepantia nihil præjudicet; casui videlicet temporum, negligentiæ Amanuensium, μεταφρισμῷ quinetiam & inadvertentiæ Autorum majoribus attentorum, imputabilis. Constat, exempli gratiâ, certissimè: Assem æreum Romanum veterem decem partibus constitisse; denarium item Romanum veterem totidem, hoc est decem complexum fuisse particulas. Hoc quis hodiè sanus revocare audeat in dubium, ex eo quod, dum explicitè memorantur assis partes, solæ tres proportionales recensentur; semis, quadrans, minutum: cum denarii complexus singillatim expenditur, quinque tantum ejus portiones nominatim exprimantur: quinarius, sestertius, libella, sembella, teruncius: quis, inquam, prudens pudensque inde ansam arripiat negandi, plures quaternis in denario, ternis in asse, partes olim fuisse numeratas? cum sit evidentissimum, tribus assis, quatuor denarii proportionalibus, & aliquot minores continentibus, particulis, totum tam assis quàm denarii modum in decem partitum comprehendi: quod pariter de duodenario articulorum Symboli Apostolici numero existimandum est; etsi forte uspiam minùs enucleatè ac signatè invicem distincti reperiantur: sed de his plus satis.

℣. 15. Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem & portas ejus & murum.

Mensura hæc figuram aut formam arundinis, materiam ex auro habuit: ideò & *arundinea* & *aurea* verè dicta: sicut pyxis argentea, vas ex argento ad similitudinem arculæ buxeæ formatum.

℣. 16. Et civitas in quadro posita est: & longitudo ejus tanta est, quanta & latitudo. Et mensus est civitatem per stadia duodecim millia: & longitudo & altitudo, & latitudo ejus æqualia sunt.

In ultimis versûs hujus verbis difficultas eminet cunctis animadversa Interpretibus, & ab iis variè soluta. Ea in hoc sita est: quod *longitudo*, *latitudo* & *altitudo* civitatis *æquales* inter se dicuntur: nomen autem civitatis, ut

declaratur versu proximè præcedenti, complexè ambit, *civitatem & portas ejus & murum.* Ante omnia intelligendum *stadia duodecim millia* per quæ mensus civitatem Angelus dicitur, ad muri, portarum & civitatis mensuram per auream perticam ab Angelo factam non pertinere, sed ad solum & ambitum civitatis, cujus spatium non ut cannâ mensoria deprehensum, sed ut aliunde compertum hîc ponitur. Nihil igitur est opus fingere: *altitudinem civitatis*, puta fastigia turrium, ut par sit *longitudini* & *latitudini*, quæ ἰσόμετροι *ejusdem mensuræ*, esse debent in *quadro* perfecto (qualis figura civitatis ponitur) non inquam necesse est, apices & summos margines tectorum portarum & mœnium in prodigiosam celsitatem stadiorum duodecim millium evehi. Adhuc tamen perplexitas restat non parva in exæquatione aptâ & ad Architecturæ regulas exactâ latitudinis cum altitudine; qualis hîc videtur affirmari verbis illis: *altitudo & latitudo ejus æqualia sunt*; etenim sequenti mox versu additur.

℣. 17. Et mensus est murum ejus, centum quadraginta quatuor cubitorum.

Unde videtur sequi, domos Urbis pariter fuisse sublatas in altitudinem centum quadraginta quatuor cubitorum; atque adeò intra muros occultatas, ut nec videri possent ab advenis appropinquantibus, nec prospectum in agros civibus præbere: quod & ab elegantiæ, & amœnitatis rationibus deficit plurimùm. Responderi forte posset: indicatum fuisse supra vers. 10. ubi se *sublatum in spiritu* Joannes dicit *in montem magnum & altum*, ut hanc videret civitatem; fuisse illam in monte constructam, cujus ab montis radicibus murus illam undique per quadrum ambiens attolleretur; ita ut mœnium pinnæ, licet ad centum quadraginta quatuor cubitorum suggestum elatæ, vel in superficie areæ ac soli Urbis desinerent, vel non multò altiùs tollerentur, ut sic palatia in eâ planitie ædificata, conspicua se procul adventantibus darent: & vicissim incolis commoditatem plenam offerrent despectûs in omnes circùm partes latè liberrimi: ad cujus hypothesis confirmationem non ægrè fortasse traheretur illud Isaïæ de hâc eadem civitate prophetantis cap. 11. 3. *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & ambulabimus in viis ejus. vias ejus* dicit *vicos* & plateas ejusdem illius Jerusalem, per quas Tobias senior prædixerat cap. XIII. 24. fore ut *cantaretur alleluia.* Hæc si cui non satisfaciunt, est aliud quod dicatur: nempe in illis verbis: *& longitudo & altitudo & latitudo ejus æqualia sunt*: quæ in Græcis originibus sic leguntur: τὸ μῆκος, καὶ τὸ πλάτος, καὶ τὸ ὕψος αὐτῆς ἴσα ἐστι. Ubi pronomen femininum αὐτῆς, non ad *murum*, sed ad *civitatem*, hæc esse referenda clarè monstrat: sed præterea observandum est, vocem ἴσα pro quâ Vulgatus ponit, *æqualia*, non semper sonare commensurabilem æqualitatem; at aliquando proportionalem convenientiam, ut cum Homerus de convivio scribit Iliad. à. οὐδέτι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐίσης.

Nec cujusquam appetitus fraudatus est esca simili: (nam, ut Eusthathius ad eum locum admonet, ἴσον illic pro ἴσων per epenthesim formatur) non sanè significat quemvis convivam, parem moli sui corporis escam comedisse: sed proportione respondentem singulorum appetentiæ. Ergo hîc licet intelligere: longitudinem altitudinē & latitudinem civitatis mysticæ Jerusalem, ἴσα *æqualia* dici: quia illæ invicem juxtà Architectonices rationem debitâ proportione responderent. Est & aliud præterea in quo illæ tres dimensiones verè inter sese *similes* agnosci debeant: quod sacer Vates non nisi obscurè ac tacitè innuit: videlicet, quod dimensionum istarum partes omnes duodenario vel simplici vel multiplicato numerentur. Fundamenta sunt duodecim, portæ duodecim: ambitus stadiorum duodecim millium spatio tenditur. Altitudo muri in duodecies duodecim cubitos tollitur: nam centum quadraginta quatuor nihil aliud, nisi quadratus, sive in se ductus, duodenarius sunt. Similia existimanda de latitudine, longitudine & altitudine civitatis sanctæ præscribere Joannem, verisimile apparet: dum hîc illas dicit invicem ἴσους, *æquales* sive *similes* esse, in hoc scilicet convenientes, quod partibus per duodenarium simplicem vel multiplicatum numerabilibus mensurentur: etsi partes illæ diversorum inter se nominum ac modorum sint: prout talem varietatem proportio structuræ, ac speciei usûsque scita ratio exigit: hoc ipso enim quod Joannes disertè memorat, in definiendâ mensurâ circuitus *murorum*, adhibita fuisse *stadia*, in dimensione verò altitudinis *muri*, usurpatos *cubitos*: facilè dat suspicandum nobis, aliam mensuram, puta, palmorum, aut digitorum in dimensionibus aliarum Urbis partium fuisse adhibitam, congruè ad eam molem quæ cuique propriè ad artis & elegantiæ rationes competebat: cui tamen qualicumque nomini ac generi mensuræ, altitudinem aut latitudinem variam diversarum Urbis partium significantis, illud commune affirmet cum *stadiis* & *cubitis* expressè nominatis, ut similiter duodenario simplici vel composito numerabiles sint. sic cum in mundo sint elementa quatuor, quorum commixtione variè temperatâ cuncta corpora, licet inter se formâ, mole, colore, textu diversissima, conflantur: nihilo tamen minùs universa in hoc conveniant, quod ex quatuor elementorum commixtione constent: unde *mixta* uno nomine vocantur: Ita Ecclesiæ mystici corporis, è duodecim velut elementis Apostolorum concreti, partes & membra singula pariter duodenarium eundem, ex quo moles tota coaluit, numerum in sui mensurâ referant; & in hoc (quod hîc dicitur) *longitudo*, *latitudo*, *altitudo* Urbis mysticæ hujus *æqualia sint*.

Mensura hominis, quæ est Angeli.

Videtur hîc esse quædam trajectio, nam recta esset oratio ex sensu scribentis, si legeretur: *mensurâ Angeli quæ est hominis*. Dixit supra Joannes apparuisse sibi Angelum ut civitatem Sanctam ostenderet, nec expressit cujus is esset staturæ. Viderat idem Joannes antea cap. x. *Angelum Dei*

fortem ... amictum nube ... qui pedes haberet tamquam columnas ... quorum dexterum poſuit ſuper mare : ſiniſtrum autem ſuper terram ; ex quibus facilè colligitur : Gigauteo illum Angelum corpore apparuiſſe, ſuſpicari poſterioris hujus loci lector poterat, coloſſei pariter corporis hunc qui nunc memoratur, Angelum fuiſſe ; atque adeo credere *cubito* hunc ſuo, hoc eſt humani vulgaris cubiti modum excedente, hanc qua functus dicitur, menſuram exegiſſe. Cubitus autem Giganteus longè utique amplior vulgari eſt : quare quantus ſit ſuggeſtus muri, ex eo quidem quod hic exprimitur, intelligi haud poſſe. Tali dubitationi occurrit hic Joannes, indicans viſum ſibi Angelum in corpore non Giganteo, ſed ſtaturæ qualis hominum viventium plerumque eſt : unde menſura cubiti par ſit hîc intelligenda ei quam ſibi quiſque homo ſubjicit dum nominari *cubitum* audit, hoc ſonant iſta, *menſura hominis quæ eſt Angeli.*

℣. 18. Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide.

Dicturus paulò poſt eſt : fundamentum primum muri civitatis eſſe jaſpidem : unde intelligitur peculiaris hujus gemmæ, ſors in eo ſita quod non tantum unum, & quidem primum, è duodecim muri fundamentis ex ea ſit : ſed etiam præterea quantum è muro ſupra fundamenta eminet conſtruatur jaſpide : non hoc de ſapphiro, non de calcedonio, non de ſmaragdo, aut omninò aliorum ullo undecim mox enumerandorum lapidum dicitur. Symbolica hæc ſine dubio ſunt, & myſticum continent ſignificatum eventûs cujuſpiam hîc prædicti, poſteà ſuo tempore ſenſibiliter patrandi. Prænunciat hæc viſio ſtatum Eccleſiæ Catholicæ qualis eſſe cepit florens & felix temporalique etiam fulgens claritate, jam tum quidem à pace per Conſtantinum Chriſtianis datâ ; multò autem pleniùs poſt exutam Imperio & exciſam Romam veterem, etiam ſub Chriſtianis Cæſaribus magnâ ex parte Idololatram ; & in ejus veſtigiis erectam Romam merè Chriſtianam, ſedem Petri, Metropolim Eccleſiaſtici Orbe toto diffuſi Imperii. Iſtius ſtabiliendæ in mundo Reipublicæ, ſub ſpecie civitatis ſanctæ Jeruſalem deſcendentis de cœlo à Deo, hic conſtitutio prophetatur, & gloria deſcribitur, in quo non fuit ſilendum ; utcumque illam duodecim omnes à Chriſto electi & miſſi cum plenâ poteſtate Apoſtoli pro ſe quiſque fundaverint : tamen in hoc decus fore ſingulare Petri, quod & Eccleſiam Romanam caput Orbis Catholici futuram ipſe propriè inſtituerit : & in ejus regimine continuè poſt ejus obitum ſucceſſores cum plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis ſemper habiturus ſit Chriſti Vicarios, Petri Sedem tenentes, in quâ centrum eſt Chriſtianæ communionis ; & unde petitur nota certa Catholicæ unitatis : quæ cauſa eſt ut cunctis per orbem verè fidelibus & ad Chriſti ovile pertinentibus nomen quo à cunctis non talibus diſcernantur, aſſignetur Catholici Apoſtolici Romani. Comparemus rem hanc ad ſymbolum quo ea figuratur hoc loco. Fundamenta muri Jeruſalem duodecim ponuntur

tur è gemmis nominatis totidem ; in quarum qualibet nomen unius Apoſtolorum Chriſti duodecim erat inſcriptum, ut ſupra ponitur verſ. 14. Nec dubitari poteſt quin Jaſpis gemma quæ verſu mox 19. dicitur *fundamentum primum*, primi Apoſtoli Petri nomine inſignia fuerit; cum Matt. cap. x. 2. eam illi diſertè notam apponat in enumeratione XII. Apoſtolorum, ſic ſcribens : *Primus Simon qui dicitur Petrus*, cæteri poſt illum Apoſtoli gemmis undecim ſunt inſcripti : ſed harum nulla gemmarum pluſquam ſemel in ædificio : Jaſpis Petri toto muro replicatur, & una totam munitionis molem implet : nam, ut hic dicitur, *ſtructura muri ejus ex lapide Iaſpide*. Innuitur per hoc : undecim Apoſtolorum ampliſſimam immediatè acceptam à Chriſto poteſtatem haud ipſis totam in ſummâ plenitudine fuiſſe ſuperſtitem : ſed illis vivere in terrâ deſinentibus, ad ſucceſſores ipſorum Epiſcopos tranſiiſſe cum reſtrictione quæ facit differentiam, inter ipſos Diœceſeon particularium regimen gerentes, à Romano Pontifice Petri ſucceſſore Chriſti univerſali Vicario, ſupremam in omnes Orbis Eccleſias obtinente poteſtatem. Hinc orta unitas peremptrix Schiſmatum & Hæreſum per quam ii ſoli Catholici agnoſcuntur qui communionem habent cum Sede Petri Romanâ, Eccleſiæ munimentum & murus eſt, qui propterea hic conſtare dicitur *Iaſpide*, Petri & Sedis Romanæ ſymbolo : ita ut cernentis eum murum exteriùs, nihil undique niſi Jaſpis oculis occurrat : quod ex allegoriâ redditum, deſignat appellationem *Apoſtolici Romani* cunctis Orthodoxis Catholicis tribui ſolitam, ad diſtinctionem ab Heterodoxis & Acatholicis quibuſlibet.

Ipſa vero civitas aurum mundum ſimile vitro mundo.

In Græco eſt aliqua diverſitas, legitur enim : ἡ δὲ πόλις χρυσίον καθαρὸν, ὁμοία ὑάλῳ καθαρῷ. *Et civitas aurum mundum, ſimilis vitro mundo*, ut non *aurum ſimile vitro*, ſed ipſa civitas *vitri* ſimilis dicatur. Auri ergo ſpeciem obryzi excoctiſſimi civitas undecumque viſui objicit, ſed perfectiſſimè levigati inſtar ſpeculi, & ſicut ſpecula ſolis radiis objecta faciunt, lucem acceptam ſubitò ad ejus fontem referentis. Duo per hæc in veris Fidelibus & perfectis Catholicis ſignantur. Primum excellentium & heroicarum virtutum opera ex verâ caritate in Deum facta, quorum ſancti autores dicuntur Paulo I. ad Cor. III. 12. *ſuperædificare ſuper fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos*. Deinde fidelitatem in reddenda Deo pro iis gloriâ, laudem eorum omnem à ſe repellendo, & Deo boni omnis autori in ſolidum aſſignando ; ad quod experimentum accommodatiſſima eſt ſpeculi terſi lucem à ſe reflectentis ſimilitudo, quam alicubi pereleganter Plutarchus adhibet.

℣. 19. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata.

Omni lapide pretioſo ornata muri fundamenta dicuntur, etſi duodecim

ſolùm prætioſi lapides qui illa ornent, enumerentur : quoniam illæ gemmæ duodecim præſtantiſſimæ putantur & virtutes ac dotes aliarum omnium colligunt. imo pleræque genera ſunt ad quæ univerſæ cæteræ velut ſpecies referantur ; quia verò hæc omnia myſticè dicuntur ; ita ut ſignificatus magis quam ſpecies ipſa & quaſi corpus allegoriæ attendendus ſit : intelligere hîc convenit, ideò à Joanne dici : Fundamenta duodecim, etſi duodecim diverſis ſingula gemmis conſtantia, quarum proprietates gemmarum uniuscujuſque ipſorum ſingillatim doctrinam ſanam, & ſanctos mores deſignent: non tamen eſſe putandum id quod ejus generis uni tribuitur, aliis deeſſe : ſed eadem decora eaſdem virtutes ineſſe pariter omnibus quæ in ſingulis laudantur. quoniam autem hiſce gemmis duodecim ordine recenſitis nomina duodecim Apoſtolorum Chriſti fuiſſe inſcripta Joannes qui vidit, ſuprà docuit, ut quæ cuique adaptetur intelligamus, ſtatuenda eſt una quam ſequamur eorum ſeries; variæ quippe ſunt : cum in Evangeliis & libro Actorũ non eodem ordine recenſeantur. Mihi quam ponit primus Evangeliſta Matthæus ; cui Lucas conſentit (niſi quod ſe Matthæus Thomæ poſtponit, cum Lucas Thomam Matthæo ſubjungat) pro verâ & hic à Joanne ſpectatâ rectè poſſe videtur uſurpari. Hæc hujuſmodi eſt, ſuppleto pro Juda Iſcariote, Matthiâ.

I. Petrus.	VII. Thomas.
II. Andreas.	VIII. Matthæus.
III. Jacobus Zeb.	IX. Jacobus Alphæi.
IV. Joannes.	X. Thadæus Judas.
V. Philippus.	XI. Simon.
VI. Bartholomæus.	XII. Matthias.

Obſervandum porrò eſt, dum fundamenta Eccleſiæ Apoſtoli dicuntur, de fundamentis ſecundariis accipi debere, ſalvâ uni Chriſto propria & præcipua ratione fundamenti primi, & in eo primatu incommunicabiliter unici, juxtà illud Pauli, I. Cor. III. II. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus* : Itaque hiſce ſingulis fundamentalibus lapidibus Apoſtolos duodecim indicantibus ſingillatim adaptandum eſt illud Iſaïæ XXVIII. 16. *Hæc dicit Dominus : ecce ego mittam in fundamentis Sion, lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum ; in fundamento fundatum.* Ut eatenus tantùm Apoſtolorum quiſque Eccleſiæ fundamentum agnoſcendus & prædicandus ſit, quatenus in Chriſto primario fundamento fundatus eſt.

Notandum denique non ſolas aut perſonas aut dotes perſonales duodecim Apoſtolorum ſymbolicè per has gemmas earumque proprietates indicatas videri debere : ſed præterea duodecim articulos ab eorum unoquoque collatos in eam ſummam Catholicæ fidei, quàm vulgò Symbolum Apoſtolicum vocamus. ita cenſet Autor Gloſſæ cujuſdam veteris, & poſt hunc Alcaſar noſter : idque mihi eo veriſimilius videtur : quod, maxime ob traditam Ec-

cleſiæ Doctrinam ſacram, Apoſtoli dicantur Eccleſiam fundaſſe, unde quando ii fundamenta nominantur, reſpectum ad illud potiſſimùm oportuit in quo iſta fundandi actio præcipuè ſita eſt: traditionem videlicet ſanæ Orthodoxæque Doctrinæ, præſertim cum Symbolo Apoſtolico non minùs quàm Athanaſiano conveniat illud: *Hæc eſt fides Catholica*, fides nempe *objectiva*, ut Scholæ loquuntur: ſive collectio præcipuorum objectorum fidei, cujus perſuaſio & profeſſio nos facit Chriſtianos. Ea porrò fides fundamentum omnis ſpiritualis in homine boni pro certo eſt: & talis à Paulo dicitur dum ad Heb. XI. 1. ſcribit: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*, in Græco ὑπόστασις: quæ vox ibi ſignificat fundum ſolidum cui tutò inniti grave quidpiam poſſit, ut & in illo Pſalmi LXVIII. 3. loco: *infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia.* In ſignificatum ergo ſymbolicum & myſticum gemmarum duodecim totidem Apoſtolis adaptatum includi oportet reſpectum ad argumentum proprium duodecim ſententiarum quas quiſque ipſorum contulit ad integrandam brevem illam ſynopſim Catholicæ Doctrinæ cuivis fideli tenendæ ac profitendæ; quæ Symbolum Apoſtolorum vulgò dicitur: unde mihi videtur neceſſe, expandere hîc veram ſeriem iſtorum duodecim articulorum, qualem credi debet Joannem dum hæc ſcriberet ſpectaſſe. In quo eſt quædam difficultas, ex aliquâ varietate ordinis & diſtinctionis eorum qualis in Catechiſmis vulgò per manus euntibus cernitur. Alcaſar noſter in hujus indagatione diſcriminis tantam adhibuit diligentiam, ut ei tutò credi poſſe videatur, circumſpectis attentiſſimè omnibus pronuncianti pag. 949. ſuæ operoſiſſimæ & accuratiſſimæ veſtigationis arcani ſenſus in Apocalypſi, hanc quam mox deſcribam, veram eſſe ſeriem rectè diſtinctorum inter ſe duodecim articulorum Apoſtolici Symboli, quorum cuique, ex prius poſito juxtà Evangelia Apoſtolorum catalogo, nomen horum cujuſque è regione apponam, ut intelligatur, quem unuſquiſque contulerit.

Petrus I.	Credo in unum Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cœli & Terræ.
Andreas II.	Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum Dominum noſtrum.
Jacobus Zebed. III.	Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto; natus ex Mariâ Virgine.
Joannes IV.	Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.
Philippus V.	Deſcendit ad inferos.
Bartholomæus VI.	Tertiâ die reſurrexit à mortuis.
Thomas VII.	Aſcendit ad Cœlos; ſedet ad dexteram Patris.
Matthæus VIII.	Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.
Jacobus Alphæi IX.	Credo in Spiritum Sanctum.
Judas Thadæus X.	Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum communionem.

Simon XI. Remissionem peccatorum.
Matthias XII. Carnis resurrectionem, vitam æternam.

Fundamentum primum Jaspis.

Hoc fundamento primo Jaspideo signatur primus Apostolorum Petrus, simulque collatus ab eo primus Articulus Symboli: ac tam ad Petri dotes, acta, virtutes, quàm ad rem expressam verbis primi Articulorum Symboli respondent qualitates & proprietates gemmæ cui nomen *Jaspis* inditum est; propterea hîc recensendæ; ut quam proportionem ad suum significatum habeant, possit perspici. Jaspis antiquissimè nota & in pretio habita gemma est. unde, vel si cætera ipsi gemmarum posteriùs celebratarum decora deessent, antiquitatis certè reliquarum omnium ævum superantis ei negari gloriam non posse, Plinius affirmat. Convenit primo Symbolo Deum unum Patrem omnipotentem, cœli & terræ Creatorem profitenti. Veritas hæc enim est antiquissimè nota, ab ipso Mundi principio velut experientiâ quadam hominum primorum: quin & cuique uti ratione incipienti oboriens. Addunt de Jaspide Scriptores: omnibus eam fermè in terris reperiri: & quidem facile; quoniam non effodienda laboriosè est, in summâ ferè utiquę superficie se ostentans. aptissima cuncta symbola significandæ notitiæ Dei omnipotentis Creatoris: quæ ubique Gentium ex solo Mundi aspectu in cujusvis sanæ mentis oculos ultrò incurrit. Etiam quod S. Hieronymus Commentario ad cap. Isaiæ LIV. scribit *fugari* præsentiâ Jaspidis *omnia phantasmata*: cui & Dioscorides concinit lib. v. cap. CLX. aiens: *omnes Jaspides amuleta esse dici*, primo Symboli articulo apprimè convenit. Ac de toto quidem Symbolo S. Augustinus dixit: esse illud *amuletum contra venena serpentis*. quis tamen non videt eam præcipuè vim ac dotem primæ symboli convenire sententiæ, Polytheismum & omnes Idololatricas superstitiones solâ mentione perimenti.

Petri quoque Apostoli similitudinem Jaspis habet, eo quod, aiunt, maculosus est. Magna in Petro varietas. Ex Piscatore Apostolus, è Christi Confessore ejusdem negator, mox pœnitens. punctis sparsum sanguineis Jaspidem ferunt. Quidni hæc in Petro & Longi ærumnas Apostolatûs, & mortis cruentæ martyrium signent? Lego apud Plinium lib. XXXVII. cap. IX. de Jaspide gemmâ de quâ ceperat agere paulò post medium capitis præcedentis: *Totus verò Oriens pro amuletis dicitur gestare eam quæ ex iis Smaragdo similis est, transversâ lineâ albâ præcingitur & grammatias vocatur*, &c. Hæc jure mihi videor Petri Apostoli personæ ac dignitati symbolico significatu adaptare. Gestatur pro amuleto non oriente solum toto, sed universo jam olim orbe, dum antiquitùs in literis formatis quæ tessera Catholicissimi erant, unius ex Apostolis Petri nomen primore literâ in numeros solutum exprimebatur. Idem solus Apostolorum diadema Principatûs Ec-

cleſiæ lineâ candidâ formatum gerit: Paſtor Paſtorum unus & perennis in mundo per ſucceſſores ſuos, vicarius Principis Paſtorum; cui non agnos duntaxat ſuos Chriſtus; ſed & oves paſcendas commendat Joan. XXIII. Viror Jaſpidi naturalis non ineptè quadret ad innuendam differentiam Apoſtolicæ poteſtatis Petri cæterorumq; illius collegarum undecim: in eo ſitam, quod ea in iis caduca, ſi in tota plenitudine ſumatur; nec enim in illâ, *adæquatè*, ut cum ſcholis loquar, ſumptâ, ſucceſſores habuerunt ex aſſe hæredes. In hoc Petro Diſſimiles, qui integrum quantus in ipſo fuit, Chriſti vicariatum in Romanos poſt ipſum Pontifices tranſmiſit, virore in hunc diem perennante, ac porrò duraturo ad Mundi finem. Ad id quod dixi, videri poſſe principatum Eccleſiæ Petro eximiè collatum ſignificari per lineam albam quæ coronat Jaſpidem omnium perfectiſſimam Grammatiam: quoniam Diadema Regni inſigne nihil aliud eſſet quam faſcia candida caput cingens, facit fortaſſe quod Plinius idem docet: tales Jaſpides in Ponto & Galatiâ naſci: quas regiones primis quaſi rudimentis ſuæ paſtoralis curæ Petrum Apoſtolum excoluiſſe: teſtatur hodieque ipſius I. Epiſtola inſcripta, *Electis adventis Ponti, Galatiæ.* Ubi nimirum Amiſus eſt Emporium ad Euxinum & Thermodoon amnis, ubi reperiri, & unde in alias oras exportari Jaſpidas Grammatias omnium præſtantiſſimos Plinius docet. Sed hæc vereor ne cui enucleata nimium exiliaque videantur; ergo hîc deſino.

Secundum Sapphirus.

Apoſtolus Andreas, & quam contulit in Symbolum, ſententia Chriſti humanitatem Divinitati unitam profitens, ſymbolico ſapphiri ſignificatu innuitur. Eſt ſapphirus ex Plinio & Antiquis aliis qui de talibus egerunt, gemma cærulea punctis aureis guttata, cœlum ſerenæ noctis diſtinctum ſtellis referens, idoneum ideo ſymbolum verbo Dei deſignando. Ut enim principis & antiquiſſimi omnium cœli ſtellati Sapphirus in terris luculenta imago eſt: ita Spirituum ſupremi, Patris æterni, Verbum plena perfectiſſimaque imago eſt. Verbum autem caro factum Jeſus Chriſtus Dominus noſter, pleniſſima item & perfectiſſima Cœli Archetypi Dei figura eſt, Divinitatem ipſam in ſe corporaliter habitantem, ut Paulus loquitur, continens. præterea, cùm magno conſenſu Veteres tradant, Sapphirum gemmam eſſe *pontificiam*, proprium geſtamen ſacrificantium; idque Eccleſia comprobaverit uſu dudùm recepto annulos Epiſcopales iſtâ potiſſimùm gemmâ inſigniendi: patet quàm ea convenienter Verbo Incarnato Chriſto adaptetur: qui, ut Paulus fusè ac luculenter in Ep. ad Hebræos docet, unus ſummus eſt Pontifex, mediator Dei & hominum, unius unicus ſacrificii oblator, quod in cruce ſemel per ſe oblatum, quotidiè per Sacerdotes, ſuos miniſtros, in altari iterat. Denique, quod etiam Judices in Ægypto geſtare pro inſigni Sapphirum ſolitos tradit Ælianus Hiſt. var. lib. XIV. cap. 14. quàm aptè Chriſto, Judici unico à Deo conſtituto vi-

vorum & mortuorum, ut Petrus in Actis docet, congruat facilè cernitur. Andreæ quoque ſecundi Apoſtoli ſymbolum in ſmaragdo agnoſcitur: vel quod hæc gemma diademate quo Jaſpis inſignitur, caret: ſic indicans ſpecialem Petro collatum Primatum, ne in ipſo quidem, etſi Petri fratre majore, reperiri; vel quod effigies cœli in Sapphiro expreſſa deſignet, cogitationem aſſiduam & deſiderium Regni cœleſtis, contemptu conjunctum terrenarum omnium rerum: qualia elucent in vitâ & Actis, præſertim in morte ſanctiſſimi ejus Apoſtoli.

Tertium Calcedonius.

Reſpondet Jacobo Majori: nec non Symboli articulo tertio his verbis expreſſo: *Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria virgine* Calcedonius gemma eſt coloris ignei prunas referens ardentes: unde paſſim carbunculus dicitur. nec minus ei nunc vulgare à rubro colore nomen eſt *rubini* datum. Calcedonii memoratum hîc vocabulum ſunt qui ducant à Græca voce χάλκος *Æs* ſignificante. quod carbunculus gemma colorem referat æris liquefacti. Placet tamen quod ſuggerit ad hunc locum Aretas, ideò Calcedonium hanc gemmam dici, quòd circa Calcedonem Urbem Bithyniæ, Conſtantinopoli oppoſitam in orientali Boſphori littore, in ſaxis & ſcopulis gemmæ Carbonibus ſimiles reperiantur. Ex his poteſt perſpici quam aptè gemma hæc ſumatur in ſymbolum Dogmatis Incarnationem Verbi divini profitentis: cum utique Chriſtus *conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*, miras habeat cum pyropo, rubino, carbunculo, calcedonio ſimilitudines. ſi enim nomen ejus à χαλκῷ *Ære* derivetur; rectè mirabile illud compoſitum ex divinâ humanaque naturâ Chriſtus, æri liquefacto & in fuſorio candenti, comparabitur. in quo eſt ignis, referens divinitatem, juxtà illud Deut. IV.24. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* quem locum & Paulus recitat ad Hebr. XII. 29. & metallum humanitatem ſignans: ambo inter ſe ita mixta, ut invicem non confundantur. nam nec diſpari ſpecie Incarnatio verbi præmonſtrata Moyſi eſt in rubo ſic ardenti ut non conſumeretur. Exod. III. quin & ipſe Joannes eamdem priùs informaſſe Incarnati Verbi ſpeciem videri poteſt, dum ſuprà cap. I. 15. Chriſtum ſibi apparentem deſcribens, ait: *Pedes ejus ſimiles auricalcho, ſicut in camino ardenti* aurichalcum (ſive, ut Veteres ſcribunt, *Orichalcum*, æs puriſſimum, montanum, chalcolibanus) dum in fornace fuſum liquefit, igne ſimul cum materiâ fuſili mixtis, Chriſti pedes aſſimilat, hoc eſt, inferiorem ejus naturam humanam Verbo Deo hypoſtaticè unitam. Nam ipſius caput, ſuperior natura divinitas eſt, ut dixi aliàs Canticum Canticorum in ſchola enarrans, ad illa verba cap. V. II. *caput ejus aurum optimum*, concinunt his S. Juſtinus quæſt. XLIV. ad Orthodoxos & S. Cyrillus lib. de Incarnatione Verbi, & Patres alii Chriſtum ignito carboni comparantes. ſanè tanta eſt ſimilitudo gemmæ hujus cum carbone (quæ propterea Græcis

ἄνθραξ, hoc est *carbo*, dicitur) ut ea locum fabellæ dederit in libro inscripto, *Specimen sapientiæ Indorum veterum* à me olim edito ad calcem prioris tomi Historiæ Pachymeris, ubi dissertatione parabolicâ prima, sectione xxv. pag. 578. refertur: simios per hiemem algentes: *vidisse forte lapidem carbunculum: cujus fulgore prunarum speciem habente, in falsam inducti opinionem, arida circa illum aggerentes folia, certatim congregati circùm omnes, in lapidem sufflabant, flammam, ut putabant, elicituri. frustrà ex arbore inclamante corvo: ne erretis, ô boni, petra hæc gelida est, nihil ignis habens præter colorem.* quadrat etiam in usum symbolici significatûs, color carbunculi, carnem humanam referens, adeò ut à Corvis carnivoris interdum pro carne rapiatur. Ejus rei exemplum extat memorabile in vitâ sanctæ Jdæ cujus carbunculus à corvo raptus, & à quodam Juvene nobili venante in corvi nido repertus, argumentum famosum dedit funestæ tragœdiæ ex zelotypiâ Mariti ejus, viri Principis, natæ; qui opinatus carbunculum à suâ Uxore illi Juveni donatum, & inde pejora suspicatus, tam conjugem quam Juvenem decrevit perdere. Recte igitur carbunculus Incarnati Verbi carnem designet. Facit eodem nitor carbunculi lucem quæ noctis vincat tenebras fundentis, ut testantur S. Augustinus lib. II. de Doctrina Christianâ cap. XVI. Et Isidorus lib. XVI. cap. XIII. his verbis: *Carbunculi fulgor nec nocte vincitur; colore ignitus vt carbo lucet in tenebris.* cujus rei prona est appropriatio ad Incarnatum Verbum, de quo Joannes scribit Evang. cap. I. 4. *lux in tenebris lucet.* Denique quod Calcedonius hic lapis dicitur, egregiam symbolicè allusionem habet ad Concilium œcumenicum Calcedone; in eâdem nempe Urbe illâ Bithyniæ è regione Byzantii, sub Martiano & Pulcheriâ Augustis celebratum, in quo damnato primum Eulyche, qui naturas divinam & humanam in Christo confundebat; & iterùm Nestorio, qui Personas in eodem geminabat, stabilita est de Incarnatione Verbi Dei Doctrina Catholica.

Jacobi tertii Apostoli, cujus nomen huic tertio fundamento, gemmæ carbunculi, erat inscriptum, character item proprius in carneo & sanguineo carbunculi rubore observari potest. quòd ille primus omnium Apostolatum suo sanguine purpuravit, *occisus gladio ab Herode*, ut Lucas testatur Act. XII. 2. Est & alia similitudo in fulgore igneo carbunculi, fulgur referente, non ægrè accomodabili significatu symbolico, ad nomen *Boanergis*, sive *filiorum tonitrui*, hoc est, *fulgurum*, Jacobo & Joanni filiis Zebedæi, cum sunt ad Apostolatum vocati, à Christo impositum, Marci III. 17. Idem etiam mox videre licebit in Joanne fratre Jacobi minore signatum per gemmam smaragdum, & ipsam coruscam & fulgurantem. unde hi duo Zebedeidæ duobus Virgilii Scipiadis in hoc similes, eleganter à Nostro Cornelio, ad hunc locum, dicti sunt: quod ut illi *duo fulmina belli* ita hi *duo fulgura cœli*, dici jure potuerint.

Quartum Smaragdus.

Smaragdus gemma eſt, fulgoris & fulguris notionem ipſo nomine præferens. Nam Hebræis dicitur. בַּרֶקֶת *Bareketh* fulgurans aut *fulguratrix* à verbo & radice בָּרַק *Barak fulguravit.* conſentit græcum nomen, quod Latini ſervarunt σμάραγδος *Smaragdus* à rad. σμαραγέω *ſtrepitum, ut tonitru edo.* poſt quod ſtatim fulgur prodit, hujus gemmæ fulgore ſimulatum. proprietate ſignificatûs aptiſſimè Joanni, alteri *filiorum tonitrui*, à Chriſto, ut diximus, nuncupatorum accomodabili. Quadrat id quoque quod ut in rationali Aaronis, in quo pariter erant Gemmæ duodecim, inſcriptæ nominibus duodecim Patriarcharum filiorum Jacob, quarto illorum Judæ reſpondet Smaragdus, prout diſertè traditur Exod. xxviii. 18. ſimiliter enim hic quarto Apoſtolo Joanni gemma eadem Smaragdus adaptatur. Habet etiam Joannis ſemper Virginis characterem quod de Smaragdo referunt Albertus Magnus, Abulenſis, Berchorius, & alii fugare illam ab eo qui geſtet ipſam venereas cogitationes; imo & diſrumpi quando qui eam annulis inſertam habent in digitis, libidine polluuntur. quo ſanè nomine apta eſt, ut ſit ejus ſymbolum *qui Virgo à Chriſto electus Virgo in ævum permanſit:* cuique propterea *Matrem Virginem Virgini moriens commendavit.*

Videamus jam quam propriè Smaragdus congruat ſymbolicè ſignando quarto articulo Symboli Apoſtolici concepto his verbis: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus mortuus, & ſepultus eſt.* Smaragdus virore vernat herbas ipſas vincente, ut ait Plinus; eóque ſub quavis injuriâ durabili. ſimulacrum idoneum virtutis Chriſti durantis immutabiliter inter atrociſſima tormenta paſſionis, vulnerum & mortis in cruce. quo non ægrè trahi poteſt illud Chriſti dictum flagellati crucem portantis, ad mulieres hebræas Luc. xxiii. 13. *Si in viridi ligno hæc faciunt* &c. quibus ſe ligno viridi comparat. Nec mihi dubium videtur, quin ſpecies Moſi objecta rubi ardentis nec conſumpti: hoc eſt virorem ſuum in flammarum ardore conſervantis, ſalvo vulgari priùs indicato ſignificatu, etiam extendi rectè poſſit ad denotandum *Chriſti patientiam ſub paſſionum ictibus inconcuſsâ firmitate durantem.* Appono ad extremum quod Theophraſtus de Smaragdo memorat: naſci eam ex Jaſpide; hoc eſt, intrà Jaſpidem interdum, tamquam in matrice ubi ſit formata, clauſam reperiri. quod elegans videri ſymbolum queat Paſſionis & mortis Chriſti, per quam reſtitutus homo eſt in locum primæ creationis, ex quo per culpam exciderat, lapſu non aliter reparabili: quàm ſi Hominem idem qui creaverat, redimeret: quod per mortem fecit. creatus igitur Homo per Verbum Dei, per idem carne indutum mortali redemptus eſt, ſic complens beneficium primæ creationis. Unde quia Amor Dei erga hominem, ut primæ ejus creationis cauſa, rectè comparatur Jaſpidi, Gemmæ omnium, ut diximus, antiquiſſimæ, & ante omnes alias Priſcis hominibus notæ; ita opportuniſſimè ad ſymbolicum ſignificatum, in eodem lapillo

pillo Jaſpide concepta inclusáque reperitur Smaragdus, Redemptionem hominum ſignans; cujus conſilium prodiit ex eadem Dei in homines caritate quâ primùm ad eoſdem creandos fuerat impulſus.

Quintum Sardonyx.

In Sardonyche gemmâ ſymbolicam ſimilitudinem facilè accommodabilem ad quintum Symboli Apoſtolici articulum agnoſcere licet ex iis quæ Gemmarii, Naturales Hiſtorici; aut graves alii Scriptores de iſtâ gemmâ docent. Articulus is tribus hiſce concluditur verbis: *Deſcendit ad Inferos*; Plinius, Solinus & Iſidorus ſcribunt in Sardonyche cerni triplicem quaſi circulum, infimâ in parte nigrum, mediâ, album; ſupremâ, rubrum. An non hæc Imago eſt Chriſti Animæ ſtatim à morte in Cruce obitâ deſcendentis primo ad Limbum Patrum, circulum meritò *album* dictum: quod eo attinerentur Animæ Sanctorum qui ab Orbis conditu in Dei gratiâ deceſſerant, expectantes Chriſti adventum, ut in cœlum pro merito tranferrentur. Alius eo inferior circulus eſt, jure niger vocatus: continet enim malos Dæmones & Animas Deo exoſas hominum qui peccato infecti lethali vitam abſolverunt; quales non ad conſolandos, ſed terrendos, & quodammodò in Triumpho traducendos, proceſſit eò uſque victrix Chriſti Anima. circulus ſummus ruber Corpus Chriſti eſt in Cruce mortui ſuo cruore purpuratum: ex quo ejus Spiritus carne ſolutus, ad limbi Patrum album, & damnatorum atrum deſcendit circulum. In quinto quoque Apoſtolo hujus collatore Articuli Philippo ſi pleniùs ejus vitam, mores, dotes, virtutes, acta noſſemus, notaremus haud dubiè quædam Sardonichæ proprietatibus reſpondentia.

Sextum Sardius.

Sextum Articulum in hæc verba: *Tertia die reſurrexit à mortuis.* contulit ſextus Apoſtolus Bartholomæus, alias dictus Nathanaël, ut fusiùs oſtendi Joannis Evangelium enarrans. Plinius de Sardio ſcribit lib. XXXVII. cap. VI. eſſe hunc lapillum conſimilem colore carni humanæ, ſed ſolidæ, perſpicuæ, & pellucidæ: ita ut caro humana in pellucidam & ſplendentem videatur converſa. unde aiunt hodiè vulgo gemmam hanc Carnerinam, corruptè *Cornerinam* vocari. quo quid aptius poteſt fingi ad Chriſti Reſurrectionem adumbrandam, quâ ejus caro ex paſſibili & malis ac morti obnoxia: repentè in lucidam æternúmque permanſuram in pleno vigore, ſpecieque ſplendidiſſimâ, mutata eſt. Addit Epiphanius libro de Gemmis, vim eam eſſe propriam lapilli Sardii, ut ſanguinem fluentem mirabiliter ſiſtat. Nempe *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur*, ait Paulus Apoſtolus, non ampliùs flagellis, clavis aut lanceâ ex eo elici cruor poteſt: quin etiam etſi manuum, pedum ac lateris quinque plagas apertas poſt Reſurrectionem Chriſtus ſervaverit (ob quod, Joannes Agnum illum appellans in memoriam ſacrificii Cru-

cis, quo tanquam Agnus immolatus Deo eſt in expiationem peccatorum Mundi: ſuprà cap. v. 6. dixit: ſe illum vidiſſe *tanquam occiſum ſtantem*) tamen ex illis nullus fuit cruoris effluxus, quaſi *Sardio*, hoc eſt Reſurrectione retinente. Denique perelegans alia ſimilitudo eſt Sardii cum Chriſti Reſurrectione in his obſervabilis Plinii verbis de Sardâ ſive Sardio agentis lib. xxxvii. cap. vii. *Laudatiſſima reperta eſt circà Babyloniam, cum lapidicinæ quædam aperirentur, hærens in ſaxi corde.* Vides hîc claram effigiem Chriſti triduo à morte vivi prodeuntis è *corde terræ* & *ſaxi*; ſepulchri nimirùm in petrâ exciſi, & obice ſaxeo clauſi. Quidni verò Bartholomæi ſexti Apoſtoli Martyrium, quo pelle crudeliſſimè detracta excoriatus eſt, carnem jam humanam puram putam nullo tectam cortice oſtentans, per Sardium gemmam à ſimili colore *Carnerinam* dictam, rectè hoc loco ſignatum videri queat?

Septimum Chryſolithus.

Chryſolithi ſymbolo rectè ſignari Chriſtum *Aſcendentem in cœlum & ſedentem ad Patris dexteram*: quæ materia eſt Articuli ſeptimi; inde patet, quod Chryſolithus *gemma eſt aureo colore tranſlucens; eoque ita ardente, ut aurum cum eo collatum albicare videatur*, ait Plinius. In ſymbolis ſacris aurum magno conſenſu ad divinitatis indicationem trahitur: unde cum Sponſa Cantic. v. 11. Dilecti ſui *caput aurum optimum* dicit: Interpretum doctiſſimi intelligunt divinitatem Chriſti per id ſignari, quod adſtruitur illo Pauli dicto 1. Cor. xi. 3. *Caput Chriſti Deus*: quia verò in Chryſolitho, ut nomen ipſum indicat, aurum ſimul & lapis χρυσὸς καὶ λίθος, miſcentur, aut in unam coaleſcunt rem, aptiſſimè gemma illa Chriſtum refert, mixtum mirabile ex divinâ humanâque naturâ in Verbi Divini Hypoſtaſi unitis: in quâ compoſitione lapis humanitatem, aurum divinitatem ſignat. In vitâ mortali Chriſti, humanitas in eo longè clariùs quàm divinitas apparuit: unde *Petra* dictus eſt Paulo 1. Cor. x. 4. & *lapis quem reprobaverunt ædificantes*, Petro Apoſtolo 1. Ep. ii. 7. ex Pſal. cxvii. 22. Fuit ergo quoad vixit Chriſtus λιθόχρυσος *Lithochryſus* manifeſtiùs naturam humanam petra & lapide figuratam præferens, occultiùs celans divinam in eo latentem. At palàm & luculentiſſimè natura in eo divina priùs abſcondita ſe prodidit, ipſumque è Lithochryſo Chryſolithum reddidit, quando Aſcendens in cœlum ſeſſionem ad Patris dexteram, ut Deo ſibi debitam occupavit, ſublimatus *in caput anguli*, hoc eſt, collocatus ſupra omne faſtigium creatarum rerum ad *Patris* ſibi conſubſtantialis *dexteram*, quæ, quare *caput anguli* dicatur explicandum eſt. Sancta Trinitas vulgò ſolet à Pictoribus repræſentari ſpecie trianguli perfecti. In hoc tria ſunt capita, inter ſe paria, ſe mutuò reſpicientia; ſymbola Trium Perſonarum ſolo reſpectu ſeu relatione ad invicem inter ſe diſtinctarum. Primus ibi Angulus Patrem æternum deſignat ingenitum; ſed qui radio quodam divinæ generationis rectà dextrorſum fera-

tur in Verbum ſecundum Angulum, ex quo quaſi reflexus ad Sanctum Spiritum unà ſibi cum Verbo communi ſpiratione producendum procedit. Hic tertius eſt Angulus, meta in Deo ultima productionum ad intra. Chriſtus ergo Aſcenſu elevatus in cœlum, dum ſedet ad Patris dexteram, *caput Anguli* occupat ſibi proprii, nempe dextri reſpectu Patris, quo momento ei tandem datum eſt id, quo dudùm ſibi debito volens abſtinuerat, publica videlicet declaratio divinitatis: quem honorem cum hereditario æternæ nativitatis jure potuiſſet à principio humani ſui ortûs occupare, maluit illum emereri patientiâ dolorum ac ignominiarum, & obedientiâ uſque ad mortem, mortem autem crucis. Vide Paulum hoc clarè ac fusè docentem ad Philipp. cap. 11. à verſ. 5. ad 12. idem ipſe Chriſtus dixerat Emaüntis viatoribus Luc. xxiv. 26. idipſum cap. hujus libri v. 12. ſupra declaratum eſt, acclamatione illa curiæ cœleſtis: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & divinitatem*, hoc eſt, ut ibi expoſui, publicationem indubitabilem divinitatis. Quod ſi, prout hactenûs monſtravi, Chryſolithus aptè ſignat Chriſtum pro Deo manifeſtè agnitum, cauſa non inepta eſt, cur Thomas ſeptimus Apoſtolus ejuſdem Chryſolithi ſignificatûs participatione aſpergatur quadam, ob diſertam illam divinitatis in Chriſto humanitati junctæ confeſſionem à Joanne relatam Evang. cap. xx. 28. *Reſpondit Thomas & dixit ei* (Chriſto ſua vulnera monſtranti) *Dominus meus & Deus meus.*

Octavum Beryllus.

Non puto poſſe perfectè intelligi convenientias horum ſymbolorum, quæ divinus ſpiritus omnia intimè pervidens elegit ad myſticos ſignificatûs, niſi ab eo qui penitiſſimè noſſet veras proprietates rerum quæ adhibentur ad hunc uſum, putà hic gemmarum, de quibus valde variam & plerumque confuſam notitiam reperimus in ſcriptis Veterum qui de his egerunt, Plinii, Solini, Dioſcoridis & aliorum: uſuvenit hoc in nunc memorato Beryllo, de qua gemma pauca extant plauſibiliter applicabilia octavo Articulo Symboli Apoſtolici, concepto hiſce verbis: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Reperio tantùm in Plinio: *Beryllos ſolos gemmarum eſſe, qui auro carere malint*, hoc eſt, quorum nitor non adjuvetur ſubſtratâ puri & benè lævigati auri bracteâ. In quo mihi videor quemdam obſervare characterem Judicii finalis Chriſti, in cunctis hominibus judicandis nullam habituri rationem adventitii, ſi cui judicandorum talis ſubeſt, ſplendoris ex famâ, dignitate aut aliis præjudiciis: ſed ex ſola meritorum uniuſcujuſque penſitatione rem deciſuri. Eſt & in hoc ipſo, ni fallor, obſervabilis proprietas Matthæum Apoſtolum ſpectans: nam is è Telonio converſus & Publicanorum auro relicto, factus Chriſti Diſcipulus & octavus Apoſtolus, ex eo ipſo quod aurum ſprevit factus eſt clarior: ſolo ſuo Berilli, hoc eſt Chriſti Diſcipuli nitore abundè ſplendens.

Nonum Topazius.

Nonus Symboli articulus eſt: *Credo in Spiritum Sanctum.* Tertiæ illius Perſonæ in ſanctiſſimâ Trinitate Topazius gemma quamdam adumbrare ſimilitudinem videri poterit has ejus pretioſi lapidis dotes reputanti. S. Ambroſius in Pſal. cxvii. 3. ad illa verba: *Super aurum & Topazion,* ſic ſcribit de Topazio: *Splendenti ſimilis eſt, maximè cum Solis ſplendore percutitur.* Et ex eo Abulenſis ad Exod. xxviii. *Topazius ante Solem poſitus ſuper cæteras omnes gemmas lucet.* Chriſtus ſua Reſurrectione & in Cœlos Aſcenſu Solis in mundo vicem accepit cum luce majori, quippe ſuperioris ordinis; quâ minora cuncta luminaria, hoc eſt dignitates humanæ omnes, ut Sole culminante Luna & Stellæ, ſic exſuperantiâ Solaris jubaris hebetantur, ut conſpicuæ non ſint. Spiritus tamen Sanctus die Pentecoſtes in Apoſtolos illapſus ſignis valde ſenſibilibus, ut tunc ſtatim totam Urbem Hieroſolymam in ſui notitiam & admirationem traxit; ita orbi exinde univerſo continuatione mirabilium effectuum fuit inſigniter conſpicuus: characterem inde præferens conſubſtantialitatis cum Verbo Incarnato ſuæ; quod hujus per orbem lucentis meridianis radiis, non tamen obſcuraretur ejus ſplendor, prout erat neceſſe lumen omne creatum tali cum increato comparatione vaneſcere. Plinius præterea tres Topazii dotes verbis his totidem memorat. *Voci, fœcunditati, ſomnoque multùm confert*: quæ ſymbolicam cuilibet obviam in Sanctum Spiritum accomodabilitatem habent: nam is linguarum ſpecie apparens, & uſum expeditum omnium diverſiſſimorum per terrarum Gentes idiomatum momento rudibus Chriſti Diſcipulis infundens: iiſdemque donum cœleſtis eloquentiæ miro longi ſtudii compendio tribuens, jure inde celebratur illo in Eccleſiaſticis Officiis verſu: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* Ex libro Sapientiæ cap. i. 7. fœcunditas in generatione ſpirituali Fidelium ſatis apparuit primo ipſo divini Spiritûs in Diſcipulos appulſu, quo afflatus Petrus tria hominum millia ipſo Pentecoſtes die una concione convertit ad Chriſtum: ſucceſſu deinceps ab ipſo & cæteris in omnem locum, omne tempus, paribus experimentis propagato. Somnus, quies & pax animi eſt, præſertim in altiſſimam contemplationem rapti. An non hi *fructus* ſunt *ſpiritus* enumerante Paulo ad Gal. v. 22. Caritas, Gaudium, Pax, &c. Quid quod eam pacem, eam requiem, in procellis, in laboribus, in morte ipſa Sanctus Spiritus conſervat intrà mentes eorum quos inſidet: ita Paulus gaudio ſuperabundabat in omni tribulatione, ii. Cor. vii. 4. Paſſim ex Actis SS. Martyrum diſcimus; eos vi animantis divini Spiritûs, in tormentis acerbiſſimis & nece ipſa, lætitiam quæ riſu proderetur, admirantibus ſuprà modum ſpectatoribus, oſtendiſſe: quo non ægrè trahas quod *Praſoidem* hanc gemmam quoque dictam refert Plinius, quaſi diceres *Porraceam*, aut coore oleri notiſſimo *Porro* ſimilem. Porri autem hanc vim propriam ferunt,

Plinio eodem memorante lib. XIX. cap. VI. ut qui eam herbam aut ejus ſuccum copioſiùs hauſerit, *mortem ſine ullo cruciatu perferat.* Abulenſis loco ſuprà laudato addit : *Topazium contrà paſſiones lunaticas & phreneſim valere*, quibus alii adjungunt : iræ motus vehementes à Topazio in eo qui ipſum geſtat mitigari denique Rueus fidenter ſcribit : qui Topazium annulo digitis inſerto clauſum ferat, poſſe ſine noxâ manum in aquam bullientem immittere ; quod etſi quidam irridens dicat : *malle ſe credere quàm experiri* : tamen quoniam ad Symbolicæ ſignificationis uſum, etiam vulgò jactata fide qualicumque, ſufficiunt : jure ni fallor, queunt iſtæ Topazii licet fortè fabuloſæ proprietates S. Spiritui pias mentes inhabitanti adaptari, quòd in iis perturbationes ſedet, concupiſcentiam extinguat ; dictus ideò ab Eccleſiâ, *dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium, in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.* Ingeniis jam Lectorum relinquo applicationes proprietatum hactenùs relatarum Topazii ad Acta, virtutes, vitam & necem S. Jacobi Alphæi, vulgò dicti minoris, & fratris Domini, qui nonum in ordine Apoſtolorum locum tenens, hunc in Symbolum contuliſſe articulum dicitur.

Decimum Chryſopraſus.

Decimus hic eſt articulus Symboli : Credo *Sanctam Eccleſiam Catholicam ; Sanctorum communionem*, cujus autor, ſeu collator putatur Judas Thadæus, autor Canonicæ Epiſtolæ. Chryſopraſum ſive Chryſopaſium Plinius modò citatus, cap. VIII. *Porri ſuccum & ipſam* (ut & topazium) *referre* ait : *ſed paulùm declinare à Topazio in aurum.* Hoc jam à ſymbolico Eccleſiæ Catholicæ ſignificatu non abhorret, utique in quâ Chryſolithus Chriſtum in Cœlo ſedentem, ut diximus, ſignans, & Topazius Sancti Spiritûs pios in terris homines inſidentis imago, quadam coloris & qualitatum confuſione miſcentur. Præterea cum in comparatione gemmarum communem quadamtenus colorem habentium Theophraſtus & Plinius ſoleant, eas quæ ab acriori & excitatiori coloris flore in paulò magis languentem hebeſcunt, feminas vocare, ad priores velut mares relatas, rectiſſimè ad rem noſtram convenit figurari Eccleſiam per Chryſopraſum, Gemmam à Praſoide ſeu Topazio, paulò dilutiore porri virore declinantem, ut ex Plinio vidimus, ac conſequenter juxtà eundem, Topazii quaſi maris feminam : cum vulgò Eccleſia Catholica & mulieris ſpecie pingatur ; & Sancti Spiritus ſponſa nominetur. Quadrat & hoc in Eccleſiam Catholicam quod de Chryſopraſo S. Iſidorus lib. V. cap. XIV. ex Plinio & Solino referens ſcribit : *Quem lapidem lux celat, prodit obſcuritas : nocte enim igneus eſt, die aureus.* Id enim nemo non videt, quàm aptè ad Catholicam Eccleſiam conferatur, cujus ſplendor numquam fulgentius quàm per noctes adverſitatum & perſecutionum emicare cernitur. Judæ quoque Thadæi hujus articuli collatoris zelus Epiſtolâ Canonicâ oſtenſus, occaſione noctis offuſæ per tenebriones quoſdam hæreticos primordia Eccleſiæ corrumpere molientes, luculentiùs exarſit.

Undecimum Hiacynthus.

Remiſſionis peccatorum per pœnitentiam quæ articulo Symboli undecimo exprimitur, ſymbolum perelegans in Hyacintho veteri hîc à Joanne memorato cernitur. dico: *Hyacintho veteri.* Nam quæ hodiè gemma paſſim *Hyacinthus* nominatur, ab ea quæ Plinii ac Joannis Apoſtoli tempore ita vocabatur, diverſa eſt, ut manifeſtè demonſtrat Alcazar notatione xxx. ad cap. Apoc. xxi. Proprius Hyacinthi veteris illius & veri hoc loco ſignati character eſt cærulei coloris cum violaceo mixtio ſic temperata ut color cæruleus, quaſi tantum incipiat, qui mox à violaceo prædominante abſorbeatur. hoc ſic exprimit Plinius: color in Hyacintho cæruleus, *primo aſpectu ſit gratus & evaneſcat, antequam ſatiet: adeóque non impleat oculos, ut penè non attingat.* Ex quibus patet, violaceum colorem fuſcum & lugubrem Hyacinthi de quo hic ſermo eſt fuiſſe proprium. In quo quis non ſtatim obſervet ſignificationem Pœnitentiæ, rei triſtis ac funereæ? Hæc prior ſimilitudo Hyacinthi ad pœnitentiam eſt; etiam in florem ipſi concolorem & cognominem tranſiens, utique ſpecie mœſtum, & ut Poëtæ fabulantur ex dolore natum; indéque Græcâ interjectione dolendi figuratum in foliis, in quibus ductûs aliqui cernuntur literis Grecis αι αι, quæ Latinis, *heu heu, ſonant*, quadamtenus ſimiles. Altera forte Inculentior Hyacinthi veteris ad pœnitentiam relatio ſita eſt, in virtute gemmæ hujus alexicacâ, expultrice venenorum, & reparatrice valetudinis hominum lapſæ. Hodiéque in uſu ac famâ ex antiquo eſt *confectio Hyacinthina*, ex Hyacintho gemmâ veteri conflari debita: cum hodierni Pharmacopœi (ut queritur Mathiolus) eam adulterent ex Hyacintho nunc nominato, qui ab antiquo longè diverſus ſit, eam componentes. Nec ſolùm ore ſumptus, ſed & collo geſtatus Hyacinthus averruncat lethales afflatus. Audi Rueum bonum de his Scriptorem: Proprium (ait) Hyacinthi veteris eſt; *virtutes (cordis præſertim) tueri à populatim ſæviente peſte: ideóque ſuſpendi collo è regione cordis.* Elucet in his ſymbolicè adumbrata ſalubritas efficaciſſima Chriſtianæ pœnitentiæ, morbos animi omnes, hoc eſt peccata, morſus ſtygiorum aſpidum, punctûras ſcorpionum, & quorumvis ſpiritualium animabus per aſſenſum ad ſuggeſtiones pravas afflatorum venenorum perniciem ab iis repellentis. Quod ſi & in eâ quoque, quæ in hâc gemmâ contigit, mutatione paulò ſuperius indicatâ reſpectum propheticè in hoc ingenioſæ profunditatis ænigmate ſuſpicemur. Hodierni Gemmarii, quem Smaragdum ſimpliciter Antiqui vocabant, pro eo lapillo accipiunt qui olim *Smaragdus Hyacinthinus*, ut diſcimus ex Plinio, apellabatur. cum tamen inter hos duos lapides ea ſit differentia, ut Smaragdus veterum hodiè habitus & dictus Hyacinthus, merè cæruleus ſit: Hyacinthus vetus verus minimum cærulei, violacei plurimum præferat; nempe mœſtior auſteriorque olim primis Eccleſiæ ſæculis, crimina longis & acribus piaculis publice purgantibus, color erat Chriſtianæ pœnitentiæ:

nunc dilutior & mero velut hilaratus cæruleo. Sed hæc subtiliora Lectorum ingeniis arbitranda dimittamus, uti & indagandum quâ symbolicâ ratione Hyacinthus hic pro undecimo Cœlestis Hierosolymæ fundamento positus, ad Simonem Cananæum, sive Zelotem, undecimum Apostolum referatur.

Duodecimum Amethystus.

Matthiæ in Christi Apostolorum albo succenturiati Judæ proditori nomen præfert ultimus Symboli articulus: *Carnis resurrectionem & vitam æternam profitens* Ecquam cum his connexionem adumbrationis allegoricæ Amethystus habeat, explorandum modò est. Prima in eo luculenta cernitur dogmatis de resurrectione hominum ad gemmam Amethystum proportio, quod ea sardii proles dicitur esse; quem sardium suprà in sexto fundamento vidimus Resurrectionis Christi è mortuis illustrem præ se ferre characterem. Refert id Alcasar not. XIX. ad c. XXI. Apoc. ex fide Gemmariorũ & ex ipsâ oculari experientiâ sæpe visi Amethysti conjuncti Sardio, & ex eo quasi germinantis, cujusmodi unam dono sibi à viro primario datam penes se habere ait. An non hoc cuivis obviam habet significationem Christiani dogmatis quo docemur: causam exemplarem Resurrectionis omnium in fine sæculi futuræ, esse Resurrectionem Christi, propterea vocati, *primogeniti mortuorum*? suprà cap. 1. 5. Hùc facit quod, teste Theophrasto Amethysti in sinu ac corde saxorum confractorum reperiuntur: cujus simile de Sardio suprà retulimus ex Plinio, quo quid aptius ad indicandum corpora hominum è sepulcris (quorum pleraque lapidea sunt) in ultima Resurrectione ad vitam processura. Amethysti color etiam applicabilem ad rem quâ de agitur qualitatem offert. Est duodecimus articulus Symboli non usquequaque lætus: utique Resurrectionem universim generalem omnium hominum signans, majori ex parte reproborum: qualibus illa iterata corporis cum animâ conjunctio, mali auctarium, non solatium erit. Electis duntaxat festiva ista & expetibilis erit mutatio. Satis proinde congruè ad generalem Resurrectionem adumbrandam Amethystus electa est: gemma ex parte mœsta; quippe violacei coloris; cæterùm non meri, sed in vini lætificantis cor, amœnum visu succum, desinentis; etiam flore quodam ignitæ purpuræ desuper insperso fulgurantis blandè. Vino gaudium beatificum ultimâ parte articuli XII. *æternæ vitæ* mentione designatum, indicari Scripturæ passim docent. Christus Matth. XXVI. 29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum quo illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.* Ps. XXXV. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos*: quia tamen in vini symbolo ne quàm aptissimè optari posset accommodabile videatur ad vitam æternam, obstant: primò, brevitas voluptatis bibendi, 2. ebrietas illam consequens: ebrietatis quidem species & metus ab hoc cœlesti & divino potu removetur nomine ipso gemmæ hujus: nam *Amethystus* ἀμέθυς & græcè sonat, *ebrietatis*

expers & incapax : inſtabilitas autem ac momentaneus tranſitus ſuavitatis quæ bibendo guſtatur, ne ineſſe putetur fruitioni ſummi boni, arcet ſoliditas lapilli ſic vocati, quo flos tranſitorius duratur, & quaſi tranſcribitur in perpetuitatem immutabilem gemmæ inalterabilis. Sancti quoque Matthiæ non incongruum ſymbolum in Amethyſto valet agnoſci, vel quod, ut de iſtâ dictum eſt, ejus Apoſtolatus natus eſt ex corde Petræ : nimirum ex liberâ determinatione S. Petri Apoſtolorum Principis, qui pro ſuo munere univerſalis Eccleſiæ Paſtoris, propoſuit eligendum alium in locum Judæ proditoris, prout narratur Act. 1. 15. ineſt etiam fuſco, & quadamtenus mœſto colori Amethyſti character promotionis S. Matthiæ, eâ ex parte triſte quidpiam præ ſe ferentis ; quod, cum is in locum alterius fœdè lapſi ſuffectus ſit, exaltationis ejus notitia cum alterius infeliciſſimi casûs miſerabili recordatione ſit conjuncta.

℣. 21. Et duodecim portæ duodecim Margaritæ ſunt per ſingulas : & ſingulæ portæ erant ex ſingulis Margaritis.

Hîc duo conſideranda : corpus ipſum allegoriæ, & ſignificatus : quoad prius : cum repræſentetur hoc loco Eccleſia Chriſti militans in terris ſub imagine civitatis magnificentiſſimè ſtructæ & ornatæ, debuerunt ei dari Portæ ſpecioſiſſimæ. laudatur autem ad hunc uſum marmor candidiſſimum ; quale olim eruebatur è lapidicinis Inſulæ *Pari*, inde *parium* dictum. At quantuſcumque ſit antiqui Parii, vel hodierni Genuenſis marmoris candor, aut lævor, incomparabiliter vincitur candore ac lævore unionum, qui Margaritæ hîc dicuntur. *Portæ* hoc loco memoratæ, in Græco πυλῶνες, non ſignificant oſtia : ſed quæ ſuprà, infrà, & à lateribus ambiunt : qualia ſolent in nobilibus ſtructuris è materiâ fulgidâ & ſplendidè conſpicuâ formari. Æs aut marmor in ædificiis Templorum aut Palatiorum ferè ad id adhibentur. Peringeniosè autem ſacer hîc Vates uniones in hoc impendit, tantæ illos fingens magnitudinis, ut è quovis eorum ſuperliminare, limen, & ambo latera portæ latæ ac celſæ compingi poſſent : idque non coagmentatione partium ad partes, prout fit in marmoribus : ſed continuo ductu ; ita ut, non ſolum *per læve ſeverum effundat junctura unguem*, ut vetus Poëta loquitur, ſed nulla omninò appareat. Hæc eſt ſententia Verborum illorum : *Singulæ portæ erant ex ſingulis Margaritis.* Græca expreſſiùs : ἀνὰ εἷς ἕκας Θ τῶν πυλώνων ἦν ἐξ ἑνὸς μαργαρίτου : quæ utcumque vim excedunt humanæ facultatis, nihilominùs aptè utiliterque adhibentur ad uſum ſignificatûs ſymbolici, de quo nunc agendum. Per has portas civitatis Jeruſalem de cœlo in terras delapſæ, hoc eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, indicantur qualitates requiſitæ iis qui ad Eccleſiam accenſentur. Eæ duæ ſunt, portarum è Margaritis colore ac nomine declaratæ : prior animi candor, omni deterſa maculâ nitentis : altera concors adhæſio membris Eccleſiæ reliquis : ſive rectoribus per obedientiam : ſive fratribus per caritatem. Priorem ſignant candor levorque

levorque Margaritarum, parii marmoris nitorem superans: alteram adumbrat *unionum* nomen Margaritis olim datum: utrumque istud alludunt verba paulò inferiùs vers. 25. posita: *Non intrabit in eam* (cœlo delapsam Jerusalem) *aliquod coinquinatum; aut abominationem faciens & mendacium* (en quo referatur immaculatus plusquàm niveus Margaritæ candor) *nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* En quid per *unionem* signetur: nexus nimirùm necessitudinis arctissimæ plusquàm fraternæ inter cives immatriculatos à Christo suæ isti familiæ.

Et Plateæ civitatis, aurum mundum, tamquam vitrum pellucidum.

Diligenter notanda est differentia commatis hujus à simili superiùs posito, vers. 18. *Ipsa verò civitas aurum mundum simile vitro mundo.* Græca originaria sic habent: καὶ ἡ πόλις χρυσίον καθαρὸν, ὁμοία ὑάλῳ καθαρῷ: ubi vides, non *aurum* dici simile, *vitro mundo*: ne quis hìc perspicuitatem pelluciam auro isti symbolico putet affingi: sed ipsam civitatem (ἡ πόλις ὁμοία) comparari auro terso & polito: nondum tamen *pellucido.* Id enim differebatur in versum, quem modò tractamus, 21. cujus comma ultimum suprà latinè descriptum: in Græcis archetypis sic habet: καὶ ἡ πλατεῖα τῆς πόλεως, χρυσίον καθαρὸν ὡς ὕαλος διαφανής. Et hic διαφανὴς non ad χρυσίον refertur: sed ad πλατεῖαν, ut qui exæquare perfectè Latina Græcis voluerit: sic debeat ponere: *Et platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum pellucida.* Civitas hæc viri sancti sunt immaculatè in terris intrà Christi Ecclesiam unanimi concordiâ viventes. Iis cunctis communæ est: *aurum* esse *mundum* χρυσίον καθαρόν. (censetur enim hæc civitas hoc loco à potiore sui parte: justis & Deo gratis hominibus. Nam Christiani peccatores, quamdiù expertes habitualis gratiæ sunt, potiùs ad suburbia pertinent Urbis hujus mysticæ, quàm ad ipsam civitatem) hoc est in caritate & gratia apud Deum esse. Verùm quia duplex in Ecclesiâ genus est hominum, aut eorumdem hominum duplex status: aliqui enim sibi solis vivunt; aliqui cum aliis hominibus conversantur, aut potiùs iidem aliquando privatim agunt, aliquando foràs prodeunt in ministeria & conversationes; ad istas duas vel species vel statûs, accommodantur duo hæc nostri Prophetæ dicta. Prius illud: *Ipsa vero civitas aurum mundum, similis vitro mundo* ad statum aut ordinem privatum fidelium seorsum agentium, & Deo solo teste operantium pertinet, significans eos fidelitate summâ Deo reddere laudem omnium quæ ab eo acceperunt; quomodo superficies auri tersissima radios à sole acceptos repercussu splendido statim reddit, sicut ad eum suprà locum exposui. Aliud genus, aut alius status conversantium cum proximis aptissimè designatur symbolo *plateæ civitatis*, ubi congressus promiscui in luce publicâ fiunt. In hoc positi statu justi *aurum* esse debent non solùm ut anteà καθαρὸν *purum*; sed præterea διαυγὲς *pellucidum*, quia tunc non sufficit habere bonam ad

Deum conscientiam, & unis Dei oculis conspicuam caritatem: sed insuper opus est agere, ut interior ille nitor foràs sensibilis proferatur, & aurum internæ caritatis in oculos hominum pellucens exeat: juxta illud Christi præceptum: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Matth. v. 16.

℣. 22. Et Templum non vidi in eâ, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus.

Pergens sacer Vates imaginem hîc exprimere Ecclesiæ Christianæ sub specie ac nomine *civitatis Ierusalem de Cœlo à Deo descendentis*, Characterem in primis notabilem unum è multis distinctionis ejus à Synagogâ signat his verbis, in eo situm, quod vetus Israëlitarum Ecclesia unicum selecto in situ Templum habuit in, quo solo fas esset Deum legitimis sacrificiis honorare: cum in Christi Ecclesiâ liceat ubicumque Deus est, qui nusquam deest, eum etiam aris positis sacrificio colere. Hoc discrimen veteris & novæ legis ipse Christus notavit Joan. IV. Samaritanæ respondens interroganti ecquid necesse esset ire ad Templum Hierosolymitanum ad Deum ritè adorandum, dicens ei vers. 21. *Mulier crede mihi quia veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*, & paulo post vers. 23. *Venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*, Ad quem locum Ammonius in Catena Græcâ: οἱ ἀληθεῖς (inquit) προσκυνηταὶ ἐν παντὶ τόπῳ προσάγουσι τῷ Θεῷ τὰς πνευματικὰς θυσίας. *Veri adoratores in omni loco Deo offerunt spirituales hostias.* Hæc ergo causa est cur Joannes in Jerusalem Cœlo delapsâ Templum non viderit: quod addit: *Templum* ejus *Deum* esse & *Agnum*, ad attributum spectat immensitatis per quam natura divina cum tribus æternis Personis omnis loci locus est, ideo Rabbinis מָקוֹם *makom* dictus, ambiens undique & intimè penetrans, quidquid uspiam rei creatæ est, aut esse potest. Nec solùm id *Agno*, id est Christo, juxtà Theologiam convenit, quatenus Dei Verbum & Deus est; sed etiam quadamtenus κατ' οἰκονομίαν juxta *œconomiam*, ut Græci Patres loqui amant, hoc est secundùm Incarnationem, & quatenus homo est. etsi enim ei non communicatur totalis immensitas per quam ubicumque Deus est, corporaliter sit, qui fuit stultissimus error Ubiquistarum: tamen idem necessario præsens est omni loco in quo sacrificatur, cum verum & unicum sacrificium legis novæ peragi nequeat citrà veram & realem ipsius sub speciebus panis vinique transubstantiatorum præsentiam. Unde in catacumbis etiam, antris & cryptis, olim sub persecutoribus aris positis & ritè sacrificabant Christiani Sacerdotes: quorum unus Lucianus pectus suum pro arâ habuit, reputans fortè illud Pauli I. Cor. III. 16. *nescitis quia Templum Dei estis?* Quia enim Deus speciali etiam modo per gratiam in sanctis habitat, rectè ii, eorumque corpora & membra, ut expressius ejusdem prioris ad Cor. Ep.

cap. VI. 19. scribitur *Templa sunt Dei.* quam in rem eleganter Chrysostomus Opusc. I. Thesauri Ascetici à me nuper editi, scribit instruens Monachum, ubi & quando debeat orare: ὅπου περ ἂν ᾖς, εὐχὴ ναὸς εἶ. *Ubicumque fueris, ora: Templum tu ipse es.*

℣. 23. Et civitas non eget Sole neque Luna, ut luceant in eâ: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus Agnus est.

Sol & Luna hoc loco symbolicè designant, notitias humanas Philosophicorum Politicorumque dictaminum: qualibus hæc à Christo in terris instituta Respublica non utitur: pro legibus fundamentalibus habens Prophetica & Evangelica præscripta, è diametro Philosophicis & Politicis plerisque opposita.

℣. 24. Et ambulabunt Gentes in lumine ejus.

Sumptum ex Isaiæ IX. 3. ubi palàm Propheta de Christianâ olim in terris futurâ vaticinatur Ecclesiâ. quod & Isaias ibi, & hîc Joannes prædicit, *Gentes ambulaturas in lumine* Jerusalem novæ, eventum habuit in conversione Gentium plurimarum ad Catholicam fidem: Unde secuta est mutatio Institutorum & legum patriarum, quas partim abdicarunt, partim attemperarunt ad Evangelicam & Ecclesiasticam disciplinam; Respublicas, ex quo Religionem susceperant, suas gubernantes ad lumen Christianæ doctrinæ ac fidei.

Et Reges terræ afferent Gloriam suam & honorem in illam.

Ceperunt hîc prædicta evenire in conversione Constantini, qui & opes suas ad ornandam Ecclesiam largissimè contulit: & exemplo plurimis exinde secutis Imperatoribus, Regibus, Dynastis præivit ad sumptuosè construendas: copiosè dotandas Ecclesias, fundos opimos & Dynastias Episcopatibus addicendas, ad Romani Pontificis summam in spiritualibus potestatem, Temporalis quoque Domini subjectis ipsi principali jure Provinciis quibusdam, claritatem humanam adjungendam.

℣. 25. Et Portæ ejus non claudentur per diem: Nox enim non erit illic.

Sensus est: cum Portæ Civitatum non claudantur nisi nocte, non erit causa novæ Jerusalem portas umquam suas claudendi; quia semper in die mansura, noctis expers erit. symbolicè per noctem persecutiones designantur, quas totis ferè trecentis ante Constantinum annis fermè continuas Ec-

cleſia paſſa eſt. Eæ poſteà totis præſertim mille ſuprà memoratis annis nullæ futuræ, ſaltem generales & antiquis ſimiles, hoc loco prænunciantur, quod verè prædictum experientia eventuum docuit. nam Juliani Apoſtatæ brevis furor, & Aritaorum rabies, nimbi potiùs ac procellæ diem obſcurantes quam nox dici debuerunt.

℣. 26. Et afferent gloriam & honorem Gentium ad illam.

Tunc ſublimabitur Eccleſia honore etiam, ut dictum eſt, temporali, largitionibus Gentium Dominaturarum Orbi poſt extinctum in Auguſtulo Occidentale Romanum Imperium. Hæ fuerunt, Franci, Gotthi, Burgundiones, Angli: & aliæ ſupra memoratæ ad verſ. 11. capitis XVII.

℣. 27. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium; niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

Occurritur his tacitæ ſuſpicioni facilè oborituræ audientibus, aggregandas ad Eccleſiam Gentes de quarum ſuperſtitionibus, legibus pravis, flagitioſiſſima vivendi licentiâ, cum publica ubique notitia ferretur, jure timeri videbatur, ne harum appulſu ſanctitas Chriſtiana macularetur. quod ſedulò negat metuendum hoc loco Joannes, quoniam ita duntaxat Peccatoribus patet aditus in Eccleſiam ſi crimina priùs ſua per pœnitentiam & baptiſmum ritè ſuſceptum expiaverint. *Liber vitæ Agni* eſt catalogus in mente ac memoriâ Chriſti omnium ſpirituali vitâ viventium, hoc eſt habituali gratiâ lethale quodvis peccatum excludente, præditorum. Intelligitur ex aliquot Scripturæ locis, fuiſſe uſum in Republicâ Hebræorũ ſervandi in Archivis publicis matriculas omnium Iſraelitarum viventium: quorum nomina inde expungerentur ubi quemque fato fungi contigerat. unum & alterum hîc ejus generis de multis teſtimonium referre ſuffecerit. Iſai. cap. IV. 3. *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion*, & reſiduus (hoc eſt, vivens ſuperſtes) *in Ieruſalem, omnis qui ſcriptus eſt in vitâ in Ieruſalem.* In vita, hoc eſt, in vitæ libro ſeu viventium catalogo, è quo expungi ſceleratos optat David zelo ardens divini honoris dum ait Pſ. LXVIII. 29. *Deleantur de libro viventium*, hoc eſt vitâ priventur. cui ſe pœnæ ſubjiciebat Moyſes cupidus impetrandæ Populo veniæ Exod. XXXII. 32. dum Deo ſupplicans ait: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* nimirum occide me quoque cum ipſis pariter. & eadem damnatione involve. Ad hoc exemplum hîc figuratur Chriſtus librum vitæ habens, hoc eſt præſenti notitiâ perſpectos in numerato habens univerſos qui gratiæ ſanctificantis compotes vivunt.

AD CAPUT XXII.

℣. 1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ, procedentem de sede Dei & Agni, splendidum tanquam crystallum.

℣. 2. In medio Plateæ ejus.

FLUVIUS hic per Plateam novæ Jerusalem decurrens, symbolicè designat scientiam rerum divinarum; qua longè pleniore, clariore, latiùs fusa, quam quâ Synagoga instructa fuerat, pollet Ecclesia Christiana. Eam expressit luculenter Isaïas Christi Ecclesiam manifestè describens cap. XI. 9. dum ait: *Repleta est terra scientia Domini: sicut aquæ maris operientes.* In quem locum juvat audire Patres Græcos Veteres ex Catenâ in Isaiam, quam ineditam habeo, latinam hîc solum meam versionem ponam. Cyrillus. *Sanctum montem dicit* (nam paulò ante descripta Verba, Isaïas Sanctum montem memoraverat) *Ecclesiam, quod ea in magnam* (excellentiæ supra Synagogam) *altitudinem elevata sit: & propter Dogmatum quæ in eâ traduntur, sublimitatem. Repletam verò esse ait terram scientiâ Dei: hoc est sic redundare notitiâ rerum ad Dei honorem, venerationemque spectantium, quemadmodum latè in immensum patens mare plenissimè confertum aquis undantibus est.* Idem Cyrillus paulò inferiùs. *Maris enim instar effusa ubique est salutaris prædicatio ... Et hoc olimnobis declarabat dicens per Prophetæ vocem Universorum Deus: & revelabitur quasi aqua judicium: & justitia quasi torrens fortis.* Amos. cap. v. 24. Eusebius quoque ibidem sic scribit ad eumdem Isaiæ locum: *Aqua hîc memorata, sicut & per anteriùs dicta declaratum est; non aliud quidquam est à cœlesti & Evangelicâ Doctrinâ, suprà quam Domus Dei & Ecclesia ipsius ædificata est. ne igitur quis Montem cujus hoc loco Propheta meminit, ipsum putet esse qui in parte Anguli Palæstinæ, Judæis relictus est, declarat veram hujus montis notionem Propheta consequenter inferens* Repleta est universa Terra scientiâ Dei, sicut aquæ maris operientes: *ita significans eam quæ in universo terrarum orbe aquâ, hoc est scientia salutis, inundatur, Ecclesiam Dei, & absconsam in eâ piam orthodoxamque doctrinam: quæ quidquid ante superat pravæ falsuginis è malitiâ sæculi, velut multâ reduntante eluit eluvione, & omnem animæ nequitiam expurgat.*

Ex hoc Isaiæ loco juxta mentem Antiquorum Patrum intellecto constat, non temerè nec sine idoneo fundamento credi posse: cognitionem rerum divinarum, quæ longè amplior, & universaliùs diffusa in Christi Ecclesiâ, quam in Synagogâ fuit, fluvio hîc à Joanne memorato designari. Quod ut

distinctiùs declaretur, Sacra doctrina Ecclesiæ Catholicæ in duas dividenda species est: Harum prior scientiam continet studio ac contentione humani ingenii per fidem directi, & à Deo adjuti, partam: Posterior alteram illapsu miro & repentino divini Spiritûs affusam. Ad illam spectant Theologicæ disquisitiones, quibus scholæ Ecclesiasticæ ab initio promulgati Evangelii vacare laboriosissimè ceperunt, dogmata declarantes singillatim & profundè: ac multa quæ strictim dumtaxat & superficiariè de naturâ divinâ, de Personis Trinitatis, de officiis virtutum & censura morum è Principiis scripturâ canonicâ traditis illata,& ordine digesta, ubertim differentes: qualium multos & plenos commentarios priscorum Patrum, jam tum à 1. & 2. Ecclesiæ sæculo partim habemus hodiéque; partim Ecclesiasticis memoratos Fastis, & ab ævi ejus æqualibus laudatos desideramus casibus temporum absumptos. Ad posteriorem pertinent Revelationes, Visiones, Arcanæ notiones,contemplantibus per raptus & extases oblatæ. Etiam hæc secunda classis scientiæ divinæ symbolo aquæ inundantis in Scripturis exprimitur. De hoc extat locus insignis Joëlis Prophetæ cap.II. 18. *Et erit post hæc effundam de Spiritu meo super omnem carnem:& prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt: & Iuvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas meas in diebus illis effundam Spiritum meum.* Vides hic *effundendi* verbum inundationem exprimens, quâ major incomparabiliter copia doctrinæ Sacræ, Ecclesiæ quàm Synagogæ concessa figuratur. Olim apud Judæos pauci tantum Scribæ ac legis Doctores super Cathedram Moysi sedebant: quæ non multa nec exquisita noverant, parcè communicantes. Cum hoc confer sparsas Orbe toto in cunctis Urbibus,oppidis, pagis scholas catecheticas, conciones quotidianas ad plebem, Academias & Gymnasia passim aperta erudiendæ Juventuti, Asceticas in cœnobiis utriusque sexûs Institutiones: & reperies verè dixisse Isaiam comparantem Ecclesiam veterem cum novâ cap. xxxv. 7. *quæ priùs arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.* Rectè autem hic fluvius notitiam rerum Divinarum signans in *platea* novæ Jerusalem ponitur: quia Ecclesia non ut priùs Synagoga, mysteriorum cognitionem abscondit in sinu, sed palàm offert, & sine invidiâ promiscuè omnibus objicit: sic à Christo edocta facere verbis illis: *quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta* Mat. x. 27. Hic fluvius procedit *de Throno Dei & Agni* constat enim Scientia Sacra Ecclesiæ vel sententiis à Deo & Christo revelatis per fidem divinam creditis: vel conclusionibus inde ratiocinatione Theologicâ deductis.unde non mirum si sit *splendidus tamquam Crystallum*, hoc est purus & limpidus nullo humanarum opinionum & philosophicorum errorum luto infectus aut turbidus.

Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum.

Lignum hic collectivè & genericè ponitur, pro lignis, ſive arboribus ſpeciei variæ; repræſentatur enim hic fluvius utraque præcinctus ripâ ſerie amœnâ felicium omnium & fructuum diverſi generis optimorum feracium plantarum. Et arbores quidem ipſæ primariò ſignare videntur Dogmata & partes varias Sacræ Diſciplinæ per fluvium collectim & univerſaliter figuratæ: ſed & ſimul ſignificant perſonas iis Diſciplinis meditandis attendentes: ſive audiendo illas, quod fidelium Laïcorum, & plebis indoctæ, aut rudis juventutis, proprium eſt: ſive commentando ipſas ex profeſſo quod Magiſtris Eccleſiæ, Epiſcopis, Concionatoribus, Doctoribus Academiarum & Cathechiſtis Idiotarum convenit: non enim dubiam hæc Joannis verba alluſionem præ ſe ferunt ad illa 1. Pſ. ſcripta de Juſto in lege Dei meditante die ac nocte: quales ſunt aut eſſe debent omnes perfecti & aliis perficiendis Præfecti Chriſtiani: *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Innuitur autem his quiddam eximiè proprium omnis Eccleſiaſticæ Doctrinæ, ut ad opus continuò reddendũ conferatur, nec in otiosâ contẽplatione acquieſcat: ſed ſtatim excitet affectus liberos voluntatis aptos ex tali cõſideratione naſci, varios pro diverſitate materiæ objectæ; & in occaſione ſubjectas voluntati potentias admoveat ad exercitium operum externorum Lege Dei præſcriptorum aut alioqui convenientium, & Deo placentium: quæ hîc *fructus* vocantur; uti & in illâ parabolicâ Chriſti ſententiâ: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Matth. VII. 19. quod additur: *per ſingulos menſes reddens fructum ſuum*, ſignificat diſcrimen naturalium arborum à moralibus, in eo ſitum, quod ab illis ſemel tantùm in anno fructus expectetur: niſi ſi quæ raro privilegio ſint biferæ: à rationalibus autem plantis omni tempore quo liberè operantur, fructus bonæ actionis exigatur: quod ſymbolicè indicans Dominus, ficum in quâ verno tempore poma non reperit jam matura, maledicendo arefecit, Marc. XI. 14. quare hoc loco menſtruus à Juſtis fructus non è ſupererogatione gratuitâ, ſed ex obligatione debitâ exhibendus declaratur illo *reddendi* verbo, dum dicitur: *reddens fructum ſuum*; quin & ipſa reſtrictio ad duodenarium numerum ſymbolica eſt, in omne tempus, etiam quotidianum, quin & in horas omnes ac momenta quibus quivis juſtus vigilia rationis utitur, boni operis interni vel externi feracitatem injungens: ut enim rectè obſervavit Auguſtinus, duodenarius numerus Univerſitatis indicativus eſt. Quare hîc non modò partes omnes temporis, dies, horas, & momenta; ſed etiam ſpecies virtutum & officiorum omnes in quâvis occaſione exercendorum amplectitur. Non negarim tamen, reſpectum hîc peculiariter videri poſſe ad illa Pauli verba Gal. V. 22. *Fructus autem ſpiritus eſt: Caritas, Gaudium, Pax, Patientia,*

Benignitas, *Bonitas*, *Longanimitas*, *Manſuetudo*, *Fides*, *Modeſtia*, *Continentia*, *Caſtitas*. En fructus duodecim, ad quos non ægrè reducantur: quæcumque bona opera quavis varietate occaſionum à Juſto mente vel corpore patranda.

Et folia ligni ad ſanitatem gentium.

Pereleganti continuatione allegoriæ Sacer hîc noſter Vates per *folia* arborum juſtos, ut oſtenſum eſt, divinâ ſcientiâ perfuſos ſignantium, libros & ſcripta Theologorum, veterum, inquam, ac recentium Eccleſiæ Magiſtrorum indicavit. In foliis enim veris arborum olim ſcribi conſueviſſe docet inter alia quod de Sybilla Maro ſcripſit Æn. VI.

Foliis tantùm ne carmina manda:
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Sed & poſtquam in arborum interiori cortice, in papyro, in membranâ, in chartâ, exarari literas inſtitutum eſt, ipſæ omnium Scriptorum è qualicumque materia paginæ paſſim ab omnibus *folia* vocantur. Igitur hoc loco *folia* circumſitarum *fluvio vitæ* ſacram Evangelicam Theologiam ſignante, Arborum, hoc eſt Patrum & Doctorum, dum ad ſanitatem Gentium πρὸς θεραπείαν τῶν ἐθνῶν utilia dicuntur, indicant Commentarios à multis olim & recentiùs Eccleſiæ Doctoribus elucubratos & vulgatos, cum ingentis operæ pretii ſucceſſu, adversùs Philoſophos Gentiles, & alios impugnatores Chriſtianæ veritatis; puta Tatiano, Origene contra Celſum, Theophilo ad Autolycum, Clemente Alexandrino in Libris Stromatum, Juſtino Martyre, & Tertulliano in Apologeticis, Julio Africano, Euſebio contrà Hieroclem, Gregorio Nazianzeno in Steliteuticis Juliani, Auguſtino in libris de Civitate Dei, Lactantio, Arnobio, Minutio Felice, ac longè citeriore ab his memoriâ S. Thomâ in ſummâ contrà Gentes: denique, ut multis omiſſis, unum diſertè in titulo quod dicimus exprimentem memorem, à Theodoreto in vaſto & pereleganti Opere libris XII. luculenter expanſo, cui titulum inſcripſit Θεραπευτικὴ τῶν ἑλληνικῶν παθημάτων quem poſſis latinè reddere *Curatio parata ſanandis morbis Gentilium*. Dixi *Gentilium* ſive Ethnicorum: nam ἑλλήνων vox apud Veteres Eccleſiaſticos Scriptores, ad ſuperſtitionis indicationem potiùs, quàm Nationis aut linguæ conferri ſolet; ut ſit idem ac quod hic ponitur, ἐθνῶν. Ergo hujus generis decòra & fortia Ingenia, quæ argumentorum vi, eloquentiæ nitore ac copiâ tumidam Gentilis loquacitatis ſuperbiam contunderent, in Eccleſiâ ubere ſatu proventura, tanti duxerit hoc loco Divinus Spiritus prædicere. Quod eo tamen trahi nolim, ut putentur ea ſola Patrum ſcripta quæ Gentiles errores coarguunt, iſtis felicium arborum foliis ſignari. univerſaliter ac verè olim dictum de bonis ſcriptis eſt.

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι,
Animæ ægrotantis Medici sunt libri.

Quidquid ergo sacri Ecclesiæ Doctores in chartas victuras retulere; sive in Enarrationibus Scripturarum, sive in Homiliis ad Plebem, sive in Increpationibus vitiorum vel Paræneticis ad laudem omnem; seu demùm in confutationibus Hæresum, æquè hic innuitur mentione foliorum sanandis Gentibus aptorum. ἐθνῶν enim *Gentium* generico nomine Populos vel adhuc Idololatras aut alio pravo errore detentos, vel conversos ad Christum, sed ab eo vel per Hæreses, vel per morum pravitatem declinantes, rectè comprehendi fateor. uti non dubito quin David quoque dum ligni plantati secùs decursus aquarum *folium* dixit *non defluere*, cuncta Sanctorum scripta indicaverit.

℣. 3. Et omne maledictum non erit ibi.

In græco pro *maledictum* legitur καταν άθεμα; quæ vox videtur indicare excommunicationem Ecclesiasticam vulgò *anathema* vocatam: quâ Hæretici & alii quidam Peccatores diù fruſtrà moniti, & crediti incorrigibiles, ab Ecclesiâ separantur: unde tales in sancta Jerusalem, hoc est in collectione fidelium & Deo gratarum Animarum, qualis hîc, ut suprà dixi, describitur, non reperiuntur: quod etiam verba sequentia declarant.

Sed sedes Dei & Agni in illâ erunt: & servi ejus servient ipsi.

Nemo in istâ quasi Arce & ἀκροπόλει militantis Ecclesiæ per mirifica gemmeorum murorum & auri pellucidi symbola descriptâ, residet cui Deus non insideat per gratiam habitualem. à quâ qui exciderunt, utcumque Christiani & credentes, pars quidem sunt peregrinantis in terris Ecclesiæ: sed extra hujus velut Acropoleos pomœria interim relegata, & in suburbiis habitans, donec per pœnitentiam iterùm intrà portas admittatur.

℣. 4. Et videbunt faciem ejus.

Deum præsentem per fidem intuebuntur certa spe nixi ejus clarè videndi in gloriâ.

Et nomen ejus in frontibus eorum.

Non erubescent Evangelium: sed Christi nomine, quod palàm Christiani vocati præferunt, gloriabuntur.

℣. 5. Et nox ultrà non erit.

Plurimis hæc legentibus apparet: nullo modo per hanc gemmeam spe-

ciem novæ Jeruſalem deſcribi Eccleſiam militantem: ſed quæ hîc dicuntur omnia unicè referenda ad ſtatum Beatitudinis æternæ SS. cum Chriſto triumphantium in Cœlis: cui uni verè convenit, in perpetuâ meridianâ luce vivere, ſine viciſſitudine ſuccedentium diebus noctium. Nec ego inficias iverim, informari per hæc ex mente ſcribentis, qualemcumque poteſt humana mens corpori mortali adhùc juncta capere ideam ſperatæ illius felicitatis, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in eor hominis aſcendit*, ut de illa Paulus loquitur 1. Cor. 11. 9. Canit Eccleſia in Hymno Dedicationis Templorum, Jeruſalem cœleſtem & terreſtrem junctas invicem eſſe per angularem lapidem Chriſtum: unde non mirum, quod de unâ dicitur ad aliam extendi. Concedo ergo, per ſenſum, quem vocant anagogicum & accomodatitium hæc rectè adaptari cœleſti Jeruſalem: quin & hoc ipſum diſertè ſum ſuperiùs profeſſus ad verſ. 10. capitis XIX. cæterùm contendo nihilominùs, in primario & litterali ſenſu totam hanc deſcriptionem, non in cœlis hærenti, ſed è cœlo in terras delapſæ Jeruſalem convenire, ex clarâ profeſſione Scriptoris ipſius ſacri, qui ejus initio verſ. 2. capitis XXI. id verbis hiſce ſine ullâ ambiguitate teſtatus eſt: *Ego Joannes vidi ſanctam civitatem Ieruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*: nondum uxor, ſed quæ paratur ad conjugium in cœlis celebrandum, ſponſa hæc Jeruſalem dicitur. Non eſt igitur merè cœleſtis illa, ſed inde in terris peregrinans; quæ propterea mox vocatur: *Tabernaculum Dei cum hominibus*, in quo *Deus cum illis habitabit*. Nec *Tabernaculi* vocabulum, nec *habitatio Dei cum hominibus*, aptè quadrat Jeruſalem cœleſti; quæ nec temporaria & aliquando deſitura manſio eſt: quod ſonat vox *Tabernaculum*: nec in eâ Deus cum hominibus ſolis, at ſimul etiam cum Angelis, & novem expertium materiæ Spirituum Choris habitat. Igitur quod hîc legimus *de morte ultrà non futura*, ſymbolicè accipiendum eſt, ut in illis Pauli Rom. XIII. 12. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit*: & Iſa. IX. 2. *Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam*: quem locum Matthæus cap. IV. 16. iis applicavit, qui Chriſti prædicationi crediderunt: quod confirmans Chriſtus ipſe Joann. VIII. 12. ait: *Ego ſum lux Mundi*: unde eſt conſequens, ante ejus adventum, Mundum in tenebris jacuiſſe. Perſtituram autem in mundo Evangelicam doctrinam uſque ad conſummationem ſæculorum, ut alibi ſæpe in ſacris Propheticis libris, ita & hoc loco prædicitur, dum *noctem ultrà futuram* in terreſtri, cœlo delapſâ Jeruſalem, negatur. Convenit autem obſervare: non excludi per hæc ab univerſo mundo, in quo tot Infideles & peccatores tolerantur, reditum aut continuationem noctis, ſed à ſolo ambitu civitatis hîc deſcriptæ, quæ ſolos, ut dixi, juſtificatos habituali gratiâ complectitur: quos *filios lucis*, Chriſtus appellat, opponens eos *filiis hujus ſæculi*: hoc eſt, infidelibus aut peccatoribus, Luc. XVI. 8. Etſi enim Juſti omnes etiam perfecti, quamdiù ſunt in viâ, libertate indifferente in alterutrum pollentes, deficere à bono poſſint, & in peccati noctem ultrò labi: tamen nec ſic nox introiret in ſanctam

Jeruſalem : quoniam hoc ipſo quod quis à Dei gratia excidit, ex iſta quadam, ut eſt dictum, Eccleſiæ militantis acropoli intelligitur excluſus.

Et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis : quoniam Dominus Deus illuminabit illos.

Lumen Solis ſignificat veritates naturali lumine evidentes, lumen autem lucernæ, opiniones. Neutris egebunt Chriſtiani Juſti & Sancti in directione morum & vitæ : abundè quippe ad hoc ipſis proderunt notitiæ à fide acceptæ, & hauſtæ è ſacrâ Doctrinâ cujus Deus autor eſt.

Et regnabunt in ſæcula ſæculorum.

Duratio regni civium novæ Jeruſalem, dum hic extenditur *in ſæcula ſæculorum* : certò denunciatur exceſſura ultrà fines temporalis ſingularium quorumvis hominum vitæ, & conſummationis mundi totius. Id fiet per tranſitum cujuſvis Sanctorum morientium animæ in ſtatum felicitatis æternæ. His ergo verbis innuitur diſcrimen Eccleſiæ Chriſti peregrinantis *in terris*, ab aliis Communitatibus aut Rebus-publicis humanis : quæ non aliud ſpectant quàm pacem & tranquillitatem hujus vitæ, morte civis cujuſcumque, quod ad ipſum attinet, terminandam : cum, longè feliciori ſorte, inſtituta, leges ac ritus Chriſtianæ Reipublicæ eò dirigantur, ut certò perducant unumquodque membrum hujus corporis ad felicitatem incomparabiliter majorem ; eamque ſempiternam, vitæ mortalis paci ac quieti ſucceſſuram, Regni cum Chriſto, Deo, & Angelis perpetui : cujus poſſeſſionem ſolæ juſtorum morientium animæ ſtatim ineuntes, id ſuo tempore, poſt conſummationem ſæculi, ſuis corporibus per reſurrectionem univerſalem ipſis rursùm junctis, communicabunt.

℣. 6. Et dixit mihi : hæc verba fideliſſima ſunt & vera.

Opportunè interſerit promiſſionibus rerum maximarum, confirmationem : ne quæ ſupra votum apparebant, ſuprà fidem eſſent.

Et Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis quæ oportet fieri citò.

In Græco pro *Spirituum* eſt ἁγίων *Sanctorum*, ut ſit adjunctum ſequentis vocabuli *Prophetarum*. ratio hæc eſt & probatio rei aſſertæ proximè præcedenti commate. Ideo enim hæc verba fideliſſima ſunt & vera quia Deus, qui Prophetas inſpiravit veteres, ea revelavit per Angelum à ſe miſſum. cum autem omnia hactenùs dicta evenire ac conſpici in mundo, intelligimus, totam hanc deſcriptionem Cœleſtis Jeruſalem, non ſignificare (quod multi, ut dixi, putant) Regnum Beatorum in Cœlo Deo clarè viſo gaudentium, niſi extenſe & accommodatitio ſignificatu : ſed proprius

ſymbolis depingere ſtatum florentem Eccleſiæ Chriſtianæ, qualis futurus erat ſub Conſtantino, ducentis ferè poſt editam Apocalypſin annis : & deinceps duraturus ſub Imperatoribus & Regibus Chriſtianis.

℣. 7. Et ecce venio velociter.

Chriſtus hoc dicit, quemque Chriſtianum de morte ipſi eventurâ admonens. In parabolâ ſervorum expectantium Dominum ſuum Luc. xii. 35. paſſim Interpretes & Patres per adventum Domini mortem intelligunt. Tota Chriſtiana diſciplina in eo laborat ut quiſque ſe comparet ad vitam feliciter claudendam : quod fit quando qui moritur judicatus à Chriſto, abſolvitur, & dignus gloria cœleſti pronunciatur.

Beatus qui cuſtodit verba Prophetiæ libri hujus.

Qui ex minis hoc libro intentatis, & remunerationis promiſſis intelligens quid Deo placens ad conſequendam felicitatem juvet; quid Deo exoſum, æternam homini accerſat miſeriam, illud vitans, hoc amplectens, ſibi rectè conſulit.

℣. 8. Et ego Joannes qui audivi & vidi hæc.

Subaudi, ſum. profeſſio eſt αὐτοψίας *oculatæ notitiæ* vulgò ſolita autoritatem irrefragabilem oculato & aurito teſti addere.

Et poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc oſtendebat.

℣. 9. Et dixit mihi : Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum, & eorum qui ſervant verba Prophetiæ libri hujus, Deum adora.

Hæc vide ſupra cap. xix. verſ. 14. fusè à nobis expoſita, quibus nihil addo, niſi hoc unum : dum ibi dixi hoc cap. xxii. repræſentari Eccleſiam ut in Cœlo triumphantem, intelligendum id quo ſenſu paulò ante id conceſſi : per quamdam extenſionem & accommodatitiè. Nam revera hîc deſcribitur per ſpecioſa & ſplendida ſymbola Eccleſia militans ut cap. xxi. verſ. 2. dicitur, de Cœlo à Deo deſcendens, & in terris degens cum ſpe certâ aſcensûs ad beatiorem in Cœlis, cujus ſperatæ felicitatis bracteæ quaſi quædam Propheticæ iſti picturæ inſperguntur, dum aliqua dicuntur, ad literam, & in ſenſu primùm obvio, multò magis ſtatui conſummatæ in cœlo felicitatis, quam viatricis adhuc in terris Chriſtianæ Reip. convenientia : veluti dum ſcribitur cap. xxi. verſ. 4. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque dolor erit ultrà quia prima abierunt.* Hæc enim licet, ut ſonant, æternæ cœleſtium felicitati quadrent aptiſſimè : tamen agnoſcendum neceſſariò eſt ; de non in Cœ-

lis residente, sed de Cœlo à Deo descendente, commorantéque in terrâ Jerusalem hæc scribi. Unde manifestum est, huic quoque, & quidem primariò debere applicari, quæ hîc scribuntur, prout feci enarratione meâ ad illum vers. 4. Locum etiam hîc habet, quod aliàs observavi: quasdam esse à sacris Scriptoribus memoratas res inter se respectu mutuo connexas: Paulus ad Gal. IV. 25. vocat *conjunctas*, in Græco: συστοιχούσας. Tales sunt, Mons Sina & Jerusalem Judææ, destructio ac desolatio ultima Judaici Populi, & consummatio sæculi, &c. Hæc cum Christus & Prophetæ nominant, ferè semper ab uno ad alterum, sinè lectoris vel auditoris admonitione, transeunt; cujus simile quiddam hoc loco fieri à Joanne credi potest, dum pingendæ Jerusalem terrestri quosdam admiscet colores, qui non nisi ægrè huic adumbrandæ, illi effingendæ, plenè ac lucidè serviant. Sic ab Ecclesiâ militante ad triumphantem, quæ ambæ sibi invicem tamquam correlatæ respondent, repentè ac sine Lectoris sensu transgrediens.

V. 10. Et dixit mihi: ne signaveris verba Prophetiæ libri hujus: tempus enim propè est.

Præceptum aut prohibitionem obsignandi, sive sigillis claudendi Prophetias, indicationem habere longi, aut brevis temporis quo earum eventus adhuc distat, intelligitur ex his Danielis locis, cui cap. VIII. 26. post visionem quæ destructionem Regni Persarum per Alexandrum, & Tyrannidem Antiochi Epiphanis prædixerat, ait Angelus: *Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.* Dicuntur hîc *multi dies*, anni circiter quingenti, quot ab hâc Danieli oblatâ visione ad Antiochi Epiphanis obitum, qui anno Periodi Julianæ 4550. contigit, intercedunt. Rursus cap. XII. 4. post longam visionem tribus capitibus relatam, quæ anno Cyri tertio visa est, Danieli eidem præcipitur: *Tu autem Daniel claude sermones & obsigna librum, usque ad tempus statutum, plurimi pertransibunt, &c.* Et infrà vers. 9. *vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Hoc spatium à tertio Cyri anno, quo sibi ostensam visionem istam Daniel testatur initio capitis X. usque ad interitum Antiochi Epiphanis qui meta est signatarum ea visione rerum, annorum item est paulò plus minùsve quingentorum. At intervallum ab editâ Apocalypsi ad initium Imperii Constantini, non nisi ducentorum circiter annorum est, quin & intrà illud spatium annorum ducentorum, ceperunt evenire quædam ex hic prædictis, de pace ac flore Ecclesiæ: quæ non continenter tanto tractu annorum immanibus attrita persecutionibus est: sed intervalla quietis habuit sub Nervâ, Marco Aurelio, Commodo, Alexandro, Philippis etiam Christi fidem amplexis, & Gallieno: unde meritò vetatur hæc Prophetiâ obsignari ob brevitatem temporis quod ad ejus eventum supererat. Sic superiùs cap. V. liber Prophetiam continens eventuum in Judæâ visendorum, instante illorum tempore solutis à Christo signaculis aperitur, quo etiam forte innuitur expedire, dari

legendas iſtiuſmodi reſignatas Prophetias Fidelibus, ut ſpe promiſſarum per illas mutationum in melius, in ærumnis malorum præſentium recreentur.

℣. 11. Qui nocet noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc: & qui juſtus eſt, juſtificetur adhùc: & Sanctus ſanctificetur adhuc.

Hæc indicant quidem generale decretum Providentiæ Divinæ, facienti arbitrio humano plenam poteſtatem: conſulendi de ſe prout libet: ut merces æqua ſit eligenti bonum: juſta item pœna tranſgredienti cum *potuiſſet non tranſgredi*, ut loquitur liber Eccleſiaſtici in elogio viri laudabilis, cap. xxxi. 10. quod item indicatur Parabolâ Evangelicâ zizaniorum ſuperſeminatorum tritico, & jam radice fixâ germinantium, verbis illis Domini ad ſervos operam offerentes ad extirpandas herbas noxias, Matt. xiii. 30. *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*: Tamen hæc, opinor, peculiarem reſpectum habent ad ſtatum tunc præſentem, aut non multò poſt futurum, rerum: indicantia, velle Deum adhuc permittere multis Cæſaribus vim & ſævitiam in Eccleſiam, multis Magis exercitium diabolicarum artium in damnum Chriſtianorum: quaſi diceret, noceant per me licet, quantum poteſt Eccleſiæ Trajanus, Adrianus, Severus, Decius, Valerianus, Diocletianus poſt Domitianos & Nerones. Artificiis ſtygiis peſſumdare conentur Religionem Apollonius, Damis, Plotinus, Porphyrius, Hierocles, Philoſtratus, Alexander, Apulejus & Magi cæteri. Obſiſtentes tamen his ſervi mei, viri juſti, & Sancti Martyres, merita ex his ipſis ærumnis fortiter toleratis cumulabunt, & gloriosè coronabuntur.

℣. 12. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt: reddere unicuique ſecundum opera ſua.

Denunciatio eſt opportunè hùc inſerta judicii tum particularis in morte cujuſque, tum univerſalis in fine ſæculorum, exercendi à Chriſto in omnes homines, cum adjunctâ ſtatim retributione præmii aut pœnæ, prout merebuntur opera eorum bona vel mala.

℣. 13. Ego ſum α & ω, Principium & finis.

Titulum hæc tangunt duplicem poteſtatis modò indicatæ judiciariæ: quod Chriſtus idem primùm Creator hominum ſit, deinde per Incarnationem & mortem reparator eorumdem. Tali utique competit autoritas repetendæ ab iis Actorum rationis.

℣. 14. Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ: & per portas intrent in civitatem.

Eccleſia quidem militans univerſim complectitur omnes baptizatos in

Chriſtum credentes etiam malos : cæterùm hîc ea deſcribitur non adæquatè, ſed è potiſſimâ ejus parte : eorum nempe qui, ut in fine capitis ſuperioris ſcriptum eſt : *Scripti ſunt in libro vitæ Agni*, eſt autem, ut ibi dixi, hic liber, matricula eorum qui juſtificante gratiâ prædíti, quæ vita eſt animæ, labis omnis lethalis expertes animas habent. Hoc diſertè docetur tum illis verbis : *non intrabit in eam* (civitatem novam Jeruſalem) *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium* : tum ex iis quæ tractabimus verſu mox ſequenti : *foris canes, &c.* Unde concludendum eſt : Chriſtianos qui lapſu in peccatum mortale gratiâ excidunt, non exire quidem de Eccleſiâ, ſed tamen deleri de libro vitæ Agni ; hoc eſt expungi de Catalogo eorum, qui habituali ornati gratiâ Deo nunc placent. Hi potiſſima & præſtantiſſima ſunt pars Eccleſiæ, quam deſcripta hîc à Joanne civitas in quadro poſita, fundamentis innixa, muris cincta gemmeis, auro ſtrata pellucido, portis patens candidiſſimis, exprimit. Eſt ergo hæc Arx quædam, Prytaneum aut Regia civitatis ſanctæ, habitationi ſegregata Procerum. Horum à numero qui deficit locum habet interim in inferiori Urbe, aut quaſi ſuburbiis, donec per pœnitentiam lota iterùm ſtolâ in ſanguine Agni, denuò regrediatur eò unde exierat. Hi pariter omnes, ſive conſervatâ quam in Baptiſmo acceperant, ſive recuperata gratiâ, hoc habent commune, ut ſtolas gerant dealbatas in ſanguine Chriſti, cujus bonæ ſortis duo fructus hîc memorantur : prior : *Ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ* : alter, *ut per portas intrent in civitatem.* ut ſecundum priùs expediam: *per portas intrare in civitatem* eſt jure quam optimo in eâ domicilium habere. quod Chriſtianis, ut dixi, omnibus qui ſunt in ſtatu gratiæ, convenit : quid ſit, *habere poteſtatem in ligno vitæ*, paulò videtur obſcurius : exiſtimo ligni vitæ ſymbolo ſacram hîc Euchariſtiam ſignari, cujus participandæ jus ſemper plenum habent Baptizati omnes nullius noxæ lethalis aut convicti aut conſcii : & per hoc jure pleno communionis utentes.

℣. 15. Foris canes.

Maledici, obtrectatores, delatores calumnioſi, cynicâ protervitate infeſtantes bonos.

Et venefici.

Magi, præſtigiatores, maleficarum ope diabolicâ profeſſores artium.

Et impudici.

Omnes uno faſce colligit ἀσελγείας, *venereæ illicitæ voluptatis* ſpecies : quæ cum multùm invicem gravitate diſtent, tamen in hoc omnes conveniunt quod lethali noxâ animam inquinent, ac conſequenter per quamlibet

harum deleatur Chriſtianus de libro vitæ Agni, & excludatur intimo illo & ornatiſſimo ambitu Arcis aut Prytanei hic deſcripti Sanctæ civitatis *Jeruſalem deſcendentis de Cœlo à Deo.* Quod cum expoſitionem requirat pleniorem, hic eam vel ſerò reddam. quæri poteſt cur Eccleſia militans *deſcendere* dicatur *de Cœlo*, ubi numquam fuit? Reſp. 1. quia illius idea, forma, & deſtinatio in mente Dei regnantis in Cœlo ab æterno fuerat. 2. Quia cum Eccleſiæ caput ſit Chriſtus Verbum quod *erat apud Patrem*, & inde, *ut caro fieret deſcendit*, ratione capitis corpori deſcenſus is convenit. Denique inſtituta, leges, ritus quibus conſtat Eccleſia, gratiæ quibus viget, è cœlo à Deo ſunt, data utique optima & dona perfecta deſcendentia à Patre luminum, ut loquitur Jacobus Apoſtolus.

Et homicidæ.

Vel actu vel voto.

Et Idolis ſervientes.

Credibile eſt, ex illo Pauli Col. III. 5. *Avaritiam quæ eſt ſimulacrorum ſervitus*, etiam avaritiæ peccata ſub ſervitute Idolorum comprehendi, ut ſit plenior enumeratio lethalium omnium culparum.

Et omnis qui amat & facit mendacium.

Mendacium hic generaliter notat omne conſcitum contrà reclamantis legis dictamen ſcelus: ideò ſic dictum quia contra mentem fit: reluctante utique conſcientiâ. duo verò illa verba *amat* & *facit*, diſcrimen indicant ſcelerum vel ſolo mentis aſſenſu intùs in animo conceptorum, vel collatorum in rem & exteriùs patratorum, quorum priora Aſcetici Græci veteres ἐνδιάθετα; altera προφορικὰ nuncupant: utriſque autem commune eſt animam ea conſciſcentem occidere; hoc eſt habituali gratiâ privare, quæ vita eſt animæ: cujus amiſſione illa incidit in *mortem primam*: hoc eſt ſtatum damnationis, conjunctum tamen, quamdiù homo vivens vitâ naturali, durat, cum facultate pœnitendi ſi velit, & reconciliandi ſe cum Deo, recuperandâ, per abſolutionem Sacerdotalem collatam ei contrito, contritione perfectâ, vel imperfectâ, ſed tamen ſufficiente cum Sacramento, prout Concilium Tridentinum clarè docet, habituali gratiâ: quod ſi, ut Judæis obſtinatis in malo minabatur, & ominabatur Chriſtus Joan. VIII. 24. malint, fruſtratâ Dei patientiâ, in *peccato ſuo mori*: hoc eſt, in mente concepti, vel opere externo perpetrati criminis conſcientiâ inexpiati vitam mortalem finire, tunc tranſeunt in *mortem ſecundam*, irrevocabilem, & æternam; cujus mentio fit hujus libri cap. II. II. XX. 6. & 14. XXI. 8. Prior autem illa mors in admiſſione voluntariâ peccati lethalis ſita, dum adhuc

ſpirat

ſpirat peccator, memorata eſt à S. Paulo 1. ad Timoth. v. 6. ubi de *viduâ in deliciis vivente* (Græca σπαταλῶσαν vocant : hoc eſt luxuriantem in conviviis & converſationibus promiſcuis : unde vix poteſt abeſſe voluntarius aliquis conſenſus in impudicitiam : ſaltem intimo mentis aſſenſu concupitam) de tali, inquam, pronunciat : ζῶσα τέθνηκε : *vivens mortua eſt.* De aliis quoque qui quantumvis religionem profiteantur, & in ſeceſſu degant, tamen ibi à maligno ſpiritu, ſuggeſtis cogitationibus pravis, in conſenſum ad aliquid culpabile interiorem duntaxat, & Deo ſoli notum, prolabuntur : ſcribit eleganter S. Nilus Abbas, in Hiſtoriâ ejus à me dudùm editâ Pariſiis an. 1639. pag. 39. θάνατον illos pati ἔυκολον καὶ ἄδηλον, τοῖς τὰ ἔξω ὁρῶσιν ἀμάρτυρον, ἐν συγκαταθέσει προαιρέσεως συνισάμενον. *Mortem facilè obrepentem, ſigna ſui non dantem : teſtimonio carentem eorum qui ſolùm quæ extra ſunt vident, quippe in conſenſu ad malum liberi arbitrii arcano ſitam.*

℣. 16. Ego Jeſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.

Initio ſe diſertè declaraverat Chriſtus Autorem totius libri hujus. Titulus enim hic ei in fronte præfigitur : *Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palàm facere ſervis ſuis, &c.* Quia vero deinde variæ viſiones referuntur, in quibus non ſemper Chriſtus apparens loquitur : ſed interdum Angeli quidam præcipiunt aut prædicunt aliqua : his quoque partibus hujus libri volens Chriſtus autoritatis ſuæ divinæ ſigillum apponere : ait *Se miſiſſe Angelum* (quod diſtributivè ſumendum de ſingulis Angelis quorum in totâ Apocalypſi dicta vel facta præſaga ſunt deſcripta) *teſtificari hæc in Eccleſiis.* Eſt ergo hic liber ad autoritatem & fidem munitus bis nomine autoris Jeſu : primùm initio in inſcriptione : iterùm hîc ſub finem, ſubſcriptione ejuſdem : ſe omnium ibi ſcriptorum autorem profitentis.

Ego ſum radix & genus David.

Radix David Chriſtus eſt ſecundùm divinitatem, genus David ſecundum humanitatem : ut enim radix ſtirpem & ſurculum producit : ſic Verbum Dei cum Patre & Spiritu Sancto Davidem, Iſaï. hujus Patrem, Abraam, Adam, & omnia creata condidit. Idem tamen ex Virgine Davidicæ ſtirpis carne ſumpta : vere homo unus ex poſteris Davidis fuit, quod ſignificatur hîc, ubi Chriſtus appellatur *Genus David.* Addit :

Stella ſplendida.

In Græco ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρός : ea Stella eò inſigniter notabilis quòd ſupra modum ſit ſplendida : qualem eſſe neceſſe eſt illam : *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut ſcribitur Joan. Ev. cap. 1. 9.

Et matutina.

Duabus de causis *Stella matutina* Christus redivivus, qualem in hoc libro se exhibet, dicitur primò: quia inocciduus est, nec tendens, nec perventurus unquam ad occasum. *Christus* (enim) *resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultrà non dominabitur*, ait Paulus Ap. Rom. VI. 9. deinde quia sicut Lucifer, sive aurora, Solis ortum vicinum denunciat, sic tota Christi resurgentis, in cœlum ascendentis, Sanctum inde Spiritum mittentis, gloria certum Christianis signum affert, lucis æternæ ipsis per mortem, post vitam sanctè transactam, oborituræ; statim ipsis tunc communicandâ beatificâ Dei visione, quod Sanctis ante Christi resurrectionem morientibus non contingebat. Præclarè in hunc sensum Gregorius Magnus, Moral. XXIX. cap. XVII. *Christus vivus apparens post mortem, matutina nobis stella factus est: quia dum is in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur, indicavit.*

℣. 17. Et Spiritus & Sponsa dicunt: Veni.

Sponsæ nomine hîc ea Fidelium & Ecclesiæ pars signatur, quæ perfectioni studens Dei caritate flagrat. Tales inhabitantem Dei spiritum habent, & ejus instinctu passim concipiunt seraphicos affectus amoris in Christum & Deum; erumpuntque in ardentia desideria ejus similia quod Paulus Apostolus exprimebat his verbis: *Cupio dissolvi & esse cum Christo* Philipp. I. 23. optant videlicet mori; quod, ut aliàs dixi, adventu Christi designatur.

Et qui audit dicat: Veni.

Qui audiunt sunt discentes, rudiores, nondum initiati penitioribus sanctioris vitæ mysteriis. Hos hortatur hîc Joannes, ut & ipsi conentur cognitos perfectorum actus imitari; præsertim eos quibus vitâ mortali defungi cupiunt ut Deum videant. Refert Gaufredus Monachus in libro de vitâ B. Bernardi Tironensis Abbatis cap. VI. virum illum sanctissimum alio sensu verba hæc usurpasse: *Illud* (inquit) *quam maximè divinum Oraculum recolens*: qui audit dicat; Veni, *cepit omnes intùs introducere, & pauperes & ignobiles ad Deum trahere*; referens hoc ad zelum convertendarum ad Deum Animarum: quo flagrare par est eos qui auditu suggestionum divini Spiritûs edocti, magnâ divinarum rerum notitiâ pollent.

Et qui sitit, veniat.

Qui salutari perfectionis desiderio, quod sitim vocat, pungi se sentit,

accedat ad Deum per orationem, gratiam proficiendi poſtulans.

Et qui vult accipiat aquam vitæ gratis.

Facilè ac ſtatim hunc exaudiendum pollicetur: & gratis accepturum copioſam ulteriùs progrediendi in viâ ſpiritûs gratiam; quam hîc vocat: *aquam vitæ*, ex illo Chriſti Joan. IV. 10. *Si ſcires quis eſt . . . petiiſſes ab eo aquam vivam.*

℣. 18. Conteſtor enim omni audienti verba Prophetiæ Libri hujus.

Non facilè apparet quomodo hùc rationalis *enim* quadret: niſi novè pro vehementiori affirmatione uſurpetur, ut fieri videtur in *enimverò*: & in illo Virgilii Æn. VIII.

Tibi enim tibi maxima Iuno
Mactat ſacra ferens.

Ribera allegat veterem complutenſem MS. Codicem in quo ſcriptum græcè legitur μαρτυρῶ ἐγὼ pro noſtro συμμαρτυρῶμαι γὰρ. Sicque apparet legiſſe Andream & Aretham; quin & Primaſius, Anſbertus, Ambroſius, Rupertus & D. Thom. videntur latinè legiſſe: *Conteſtor ego*, quod longè videtur aptius.

Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in Libro iſto.

℣. 19. Et ſi quis diminuerit de verbis Libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de Libro vitæ, & de civitate ſanctâ, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

Erant illis temporibus audaces plagiarii & falſatores Scripturarum, de quibus queritur S. Petrus Ep. II. cap. III. 10. qui additione aut detractione etiam Apoſtolorum Epiſtolas corrumpebant. Tales his minis deterrere Joannes hîc ſatagit.

℣. 20. Dicit qui teſtimonium perhibet horum.

Nempe Joannes, cujus hac in parte denunciationes ratæ habendæ à Deo, & minis in rem deductis patrandæ haud dubiè ſint.

℣. 21. Etiam venio citò, Amen.

Interfatur ipse Christus, mortem cuique vicinam prædicens, ejus, ut dixi, adventu signatam.

Veni Domine Jesu.

Respondet Joannes, cupidè mortem, & Christi adventum, expectare se significans.

Mox clausulam Apostolicam adjungit.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus vobis, Amen.

Quâ Librum velut obsignat.

FINIS.

LAVS DEO.

AD

SYNOPSIM CHRONOLOGICAM

APOCALYPSIS ENARRATIONI SUBJECTAM,

PRÆFATIO.

LIBRUM hunc Sacrum *Apocalypſis*, qui ut ejus quinto capite legitur, *ſignatus ſigillis ſeptem* in dexterâ Dei oſtenſus fuerat Joanni, multùm dolenti quod nemo reperiretur qui eum reſignaret; nunc à Chriſto apertum perpetratione prædictarum in eo rerum, ipſe Joannes modò patentem & explicatum en porrigit nobis: nobis, inquam, *in quos*, ut Paulus loquitur Apoſtolus, *fines ſæculorum devenerunt*: meliore in hoc donatis ſorte, ſuprà Patres noſtros Chriſtianos Apoſtolicorum, aut quindecim ſæculis poſteriorum temporum: quod cum illis tot ætatibus pleraque hîc ſcripta vaticinia myſticis celata velis inintelligibilium ſymbolorum humani omnem ingenii hebetaſſent aciem, curioſitatem eluſiſſent, pro-

latis nunc in lucem executione palàm visâ rebus quæ umbris eatenus oraculorum occultatæ latuerant, ſponte jam ſe in ſenſus ingerunt: anteà mentium, etiam enixè contendentium conatibus incontigua ſolita perſtare.

Omninò enim, Prædictionum ænigmaticarum, quamdiù eventâ differuntur, una pernoſcendarum ratio eſt *divinatio*: quam humanæ non eſſe facultatis, ipſo ejus vocabulo monſtratur. At ubi Prophetia, fatali appulſo articulo exitûs, in Hiſtoriam tranſit, capacia tum demùm *Enarrationis* Oracula fiunt.

Hæc una mihi rerum conditio præſentium fiduciam indidit Enarrationis Apocalypſeos aggrediendæ; abſque hâc fuiſſet, illi *Equi Equiteſque* verſicolores, illi *Dracones*, illæ *Beſtiæ*, illi *Montes in mare immiſsi*; illæ Pompæ minaces *Angelorum iræ Dei phialas effundentium*: ſimiliaque in hâc quaſi ſcenâ comparentia ſpectra, terruiſſent me avertiſſentque retrò procul: quæ modò, poſtquam iis Tempus, eventa ræpreſentando, detraxit larvas, audens gaudenſque conſpicor cominús, & familiariter non dubito tractare.

Aio igitur: pleraſque hujus libri Prophetias diſpunctas eventibus, aut Annalium memoriâ teneri: aut præſenti conſpectu cerni: Et quoniam non id omnes animaduertunt: prætereáque oboritur mihi ſpes, fore ut quæ mihi res ad hæc ſcribenda injecit alacritatem, eadem ad legenda invitet obvios: decrevi ſelectum ſpecimen præcipuorum eventuum hoc ſacro volumine promiſſorum, divinaque inde fide ſignatis cujuſque momentis redditorum, chronologicò expanſum ordine, hîc in fine Operis proponere, idque adeò jam hinc ordior.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA EVENTUUM LIBRO APOCALYPSIS PRÆDICTORUM.

PARS PRIOR.

Usque ad caput duodecimum, complectens quæ ad Synagogam, Ecclesiam ex Circumcisione, Gentemque ac Rempublicam Judaicam attinent.

I. EVENTUS.

IPSO Pentecostes die cepit Evangelii prædicatio per Apostolos in Urbe Hierosolyma; inde continuata per eosdem & Christi Discipulos per universam Judæam annis 32. usque ad bellum Romanum. Hic eventus prædicitur in libro Apocalypsis cap. VI. 2. symbolo *Equitis Arquitæ coronati* insidentis *Equum album*, *qui exiit vincens ut vinceret*. Eques ille Christus est, nunc victor mortis per Resurrectionem, & per Ascensionem, ac ad Patris dexteram consessum, in Cœlo coronatus. quod is *arcum* tenet, nec gladio cominùs pugnat, significat, eum non jam, sicut dum vitâ mortali viveret, per se prædicare: sed rem gerere per Apostolos à se missos, velut per sagittas à se directas. quod denique dicitur: exiisse *vincens ut vinceret*, designat, ipsum postquam per suos Judæis prædicando, subjecisset ex iis sibi quotquot lucem oblatam sequi voluissent, cogitare prædicationem ad Gentes alias, ut & eas Ecclesiæ suæ adjungeret, prout prædixerat verbis illis Joan. X.16. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere.* *Annô christi* 33.

II. EVENTUS.

35. Judæi triennio post inchoatam ad ipsos prædicationem Evangelii sævire ceperunt usque ad cædem in Discipulos ejus Ministros, & in quoscumque Christi fidem amplexos. Narrat hoc Lucas libri Actorum c. VI. VII. & VIII. Ubi Stephani lapidationem & generalem indictam in omnes Christo credentes persecutionem refert, atrociter exercitam à Saülo *devastante Ecclesiam, per domos intrante, & trahente viros & mulieres in custodiam*, quin etiam ut cap. IX. additur; acceptis à Pontifice summo literis, ad idem Damasci quoque agendum proficiscente. Pertinet eódem caput libri Actorum XII. ubi narratur Jacobi Majoris cædes per Herodem facta, & comprehensio Petri, destinatioque ad necem: prætereà quæ scribuntur eodem Actorum libro capitibus à XXI. ad XXVIII. de multiplici conatu Judæorum ad interficiendum Paulum; denique trucidatio Jacobi minoris, & quorumdam aliorum à Josepho memorata lib. XX. Antiquitatum cap. VIII. Aggreganda his quoque sunt multa distinctè à Christo prænunciata, quæ fuisse perpetrata per illa tempora, etsi desint Historiæ que singillatim narrent, dubium nulli relinquit perspectissima veracitas Verbi Dei. Dixit ille Matth. X. 17. *Tradent vos in Conciliis & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Reges & ad Præsides ducemini propter me*, & vers. 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & Pater Filium, & insurgent Filii in parentes & morte eos afficient*; denique præter alia in Evangeliis similia: Joan. XVI. 2. *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.* Ex quibus pronum intellectu est, non paucas cædes primorum in Judæâ Christianorum fastis, aut libris extantibus non memoratas contigisse. Id quod etiam innuitur eo quod jacet hujus ipsius libri Apocalypsis cap. VI. 9. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, &c.* Hic secundus eventus Christianorum occisorum à Judæis, præsignificatus est verbis illis cap. VI. 4. *Et exivit alius equus rufus: & qui sedebat super illum datum est ei, ut sumeret pacem de terrâ: & invicem se interficiant: & datus est ei gladius magnus*: Quibus aptè in hanc sententiam respondet illa Christi ejusdem ad Discipulos oratio Matth. X. 34. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium.*

III. EVENTUS.

41. Sic ruere pergentes Judæos in contumaciam adversùs Christum, & crudelitatem in Christianos, admonere Deus flagello castigatorio voluit; leniori quidem: sed quod minas tacitè subindicaret graviorum, ni resipiscerent. Id fames fuit per Judæam invalescens Claudio, tertio Augusto, Romæ imperante: hanc prædixerat, ut Lucas Act. XI. 28. refert, Agabus Propheta. Prædixerat priùs & Joannes noster, hujus libri cap. VI. 5. his verbis

verbis : *Ecce equus niger : & qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua.* Testatur Lucas loco proximè citato, Apostolos & Discipulos magnam adhibuisse curam ejus calamitatis sublevandæ, procurandis largitionibus in egentes, prætereáque Deum videlicet exorando, ut eam minueret ; quod eos impetrasse Vates noster hîc innuit, dum addit se *exaudivisse quasi vocem in medio animalium* (hi erant præcipui Apostolorum) *dicentem : bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læseris,* cepit imperare Claudius anno Christi 41. quo sentiri cepit hæc fames. *Anno Christi.*

IV. EVENTUS.

Cum Judæi ex hâc admonitione primâ non profeciissent, sed nihilò 61.
seciùs incumberent in Christi odium & persecutionem Christianorum, divina eos justitia acrioribus flagellis increpuit, immissâ in obstinatam gentem frequentiâ mortium ex causis ortâ variis. Initium hæc duxit ab anno Neronis 8. duravitque ad 12. ei tunc succedente malo graviore ; bello scilicet Romano. Hujus luctuosissimi Judæis quadriennii, quod incipiens ab anno Christi 61. in 65. desinit, tragicam imaginem graphicè depingit Josephus lib. xx. Ant. cap. ix. & lib. ii. de bello à cap. xiii. ad xvi. quæ qui legerit, intelliget : per omnes Judææ regiones tantam hominum multitudinem variis absumptam casibus cladibusque periisse, ut facilè quarta pars totius Judaicæ Gentis (quod in Græcis originibus innuitur) interierit. Ideóque cumulatè per hæc agnoscatur eventum suum sortita Prophetia quæ de iis præcesserat, perscripta cap. vi. 8. in hunc modum : *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors : & infernus sequebatur eum. Et data est illi potestas super quatuor Angulos terræ* (Græce ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς) *interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.*

V. EVENTUS.

Quintus eventus non sensibilis quidem, aut hominibus conspicuus : cæterùm Joanni revelatus, ut magnam partem habens in causis ultimi Judaïcæ Gentis excidii mox ab eo prædicendi, fuit expostulatio animarum piarum quas corporibus ejecerat persecutio Judæorum in Christianos mota. Dicitur sanguis occisorum injustè, clamare ad cœlum, postulando ultionem cædis : quod allegoricè poni videtur, significando per sanguinem animas tyrannicè peremptorum immortales, corpori extincto superstites ; quò fortasse trahi potest illud Levit. xvii. 14. scriptum : *Anima omnis carnis in sanguine est.* Præsignatum hunc eventum priùs à Christo interest hîc meminisse. Sic ille loquitur Matth. xxiii. 34. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes & scribas : & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, à sanguine Abel*

justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ quem occidistis inter Templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam, &c. In his vides sanguinem, hoc est animas omnium in odium veræ pietatis interfectorum à Judæis, *venturum super* (hoc est, contrà) *generationem istam*, gentem scilicet Judaïcam, in contumaciâ contrà Christum obstinatam. Id videtur factum postquam Judæi quasi cumulum ultimum persecutioni Christianorum addiderunt occidendo Jacobum fratrem Domini; quod anno Christi 61. contigit, ex quo tempore prono lapsu in extremam perniciem Judæa ruit. Hoc momentum prædicitur, aut quasi præ-
61. sens, propheticâ hypotyposi sensibus subjicitur à Joanne verbis illis cap. VI. 9. *Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtùs altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant: & clamabant voce magnâ dicentes: Usquequo Domine sanctus & verus, non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ?*

VI. EVENTUS.

Etiamsi pet occisionem Jacobi minoris implevissent Iudæi mensuram criminum quæ tolerare ab iis divina patientia decreverat, post quod videbatur
62. debere sine morâ repræsentari ultimum exterminium illius perversæ Gentis, nullam jam spem resipiscentiæ reliquam monstrantis: quæ fuit occasio animabus interfectorum ab ipsis, illud, *usquequo Domine, &c.* quod modò descripsimus, clamandi: tamen visum adhuc est Dei justitiæ interjicere aliquam moram executioni sententiæ finalis; non Gentis Iudaicæ gratiâ, utique jam hinc irrevocabiliter ad supremum exitium damnatæ: sed ad expectandum complementum numeri electorum ex illâ Gente, quorum aliqui adhuc crediturі Christo prævidebantur; simul & ex his quidam, vel ex adhuc viventibus qui ante crediderant, ad martyrii gloriam fuerant prædestinati, cujus adipiscendæ coronæ occasio ipsis parabatur, dilatione istâ decreti Iudæis supplicii. Talis intervalli propter duas has causas interpositi, quantitas innuitur spatio intercepto inter apertionem sigilli quinti, quæ cap. VI. 9 memoratur, & apertionem sigilli septimi, capitis VIII. principio proditam. Est ergo sextus eventus, suspensio decretæ Genti Iudaicæ destructionis extremæ per annos circiter octo, quot fluxerunt, à cæde Iacobi minoris ad obsidionem expugnationemque Hierosolymæ, ob causas binas; prior est, spatii præbendi consummando numero præviso centum quadraginta quatuor millium convertendorum ad Christi fidem è Gente Israëliticâ, priusquam hæc finali excidio perderetur; altera, non subtrahendæ occasionis martyrii quibusdam ex circumcisione Christianis adhuc viventibus, quibus sors ea destinabatur. En verba nostri Prophetæ, quæ talia prænotant. Primùm, cap. VI. 11. dicitur animabus occisorum petentibus exscindi continuò Gentem Judaicam: *Ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut &*

illi. Deinde cap. VII. 3. edicitur Angelis quatuor executioni mandaturis exterminium finale Gentis Judaicæ: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. & audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu Filiorum Israel, &c. signari in fronte*, est catechumenum fieri, baptizari, Ecclesiæ adscribi. Pronum sane creditu est, hoc luctuosissimo Judæis quadriennio quod inter Jacobi minoris necem & initium belli Romani fluxit: infestum cladibus varii generis innumeris, unde creberrimæ hominum omnis fortunæ, statûs, ætatis, sexûs mortes quotidiè spectatæ sequebantur, quosdam ex hactenùs obduratis in Christi odio, contumaciam tandem exuisse. Probabile quoque similiter est: inter tot à latronibus, sicariis, zelotis, nefariè trucidatos intra Jerusalem & extrà per Iudæam, aliquos, etsi paucos, fuisse Christianos in Religionis odium cæsos, ut sic hi Martyrum: illi Christianorum è Iudaïcâ gente præscitum absolverent numerum, prout loca modò tractata sacri nostri Vatis poscunt.

VII. EVENTUS.

Docet fusè Iosephus lib. VI. de bello cap. XXXI. vel, ut Ruffino libuit latino interpreti aliter ordinare, lib. VII. cap. XII. Ante bellum Romanum 63.
multa & horribilia, que recenset, ostenta vehementer terruisse omnes omnium ordinum Iudæos. Id ipsum illa Christi verba præsignaverant: *Arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient, &c.* Luc. XXI. 26. Hoc ipsum prænuncians Ioannes scribit cap. VI. 12. *Et vidi, cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræ motus magnus factus est, & Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis, & Stellæ de Cœlo ceciderunt... & Cœlum recessit sicut liber involutus*, quæ ut per id tempus evenerint ex autoribus in commentario demonstro pag. 94. & seq. Tum de terrore ac consternatione inde ortis addit: *Et Reges terræ & Principes, & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus & liber, absconderunt se in speluncis, & in Petris montium, & dicunt montibus & Petris cadite super nos: & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab irâ Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?*

VIII. EVENTUS.

Bellum Romanum palàm indici & geri cepit anno Neronis 12. Christi
65. Hic eventus catastrophen ultimam continens Gentis & Reipublicæ Iu- 64.
daicæ, aptè signatur à sacro Vate nostro per apertionem sigilli septimi. cum enim liber signatus sigillis septem comprehenderet fortunam omnem ac statum illius Populi, qualis futurus erat à Morte & Resurrectione Christi usque ad destructionem finalem Urbis Hierosolymæ ac Templi, abolitionemque irreparabilem Gentis Iudæorum, singulæ apertiones sigillorum, gradus quasi quosdam exprimunt, per quos ad illam malorum voraginem

sensim suâ culpâ descenderunt; sunt hi velut actus diversi luctuosissimæ Tragœdiæ. In septimi autem aditu mirum quiddam præponit Propheta noster principio capitis VIII. sic scribens : *Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in Cœlo quasi media horâ.* Rem quidem sacer Vates, divino Spiritu revelante, in arcano cœli gestam prodit : sed cujus speciem hominibus conspicuam extare quoque Deus in terrâ voluit. Audiatur rem referens Iosephus cap. XXXI. lib. V. de bello : *Ante defectionem à Romanis, & initium belli, conveniente Populo ad festum Azymorum dies erat octava mensis Aprilis, circa noctis nonam horam, tanta lux circum altare & sacram Ædem effulsit, ut videretur esse dies clara. Et hoc duravit ad mediam horam.* En utrobique signatum spatium idem luculenti istius silentii, ut non videatur dubium quin illius vaticinii Ioannis, verba Iosephi modo descripta signent ἀπόβασιν *eventum.*

IX. EVENTUS.

65. Ut massa rerum prænunciatarum hâc priori Apocalypsis parte ad statum Synagogæ ac Reipublicæ Iudaicæ spectantium, eventurarum à Pentecoste anni Christi 33. usque ad commissum Romanos inter & Iudæos bellum quod anno Christi 65. contigit : distinctionis gratia digesta est in classes, seu partes, sex, apertionibus sigillorum totidem fatalis libri signatas : ita tota complexio eventuum bello Romano secuturorum quam septimi sigilli apertio exequitur, pari ratione distribuitur à sacro Vate in septem Tubicinia totidem Angelorum. Primum his effertur verbis cap. VIII. 6. *Et primus Angelus tuba cecinit : & facta est grando, & ignis, mista in sanguine.* His Symbolis, grandinis & ignis, sanguine mistorum, eleganter adumbrantur causæ tres proximæ conflati illius exitialis Iudæis belli ; prima fuit odium ingens mutuum Iudæorum in Romanos, & vicissim horum in illos, ex longo inolescens ; cui cum in utrisque obduratio indomabilis accessit, velut induruit frigus in gelu, hæc est memorata hoc loco grando, ex duobus, odio & obstinatione concreta. His tertius accessit *ignis*, eruptiones impatientes fræni, ex vehementi odio in cædes per seditiones, & incursiones, ante bellum indictum, utrimque erumpentes, quæ significantur per *admixtum* his *sanguinem.* Hæc per annos aliquot ante commissum palàm bellum apparuerunt, prout testis oculatus Iosephus refert, à cap. VII. libri XX. Antiquit. ad finem libri, exequens gesta in Iudæâ sub Procuratoribus Festo, Albino, & Floro, quæ fusiùs & diligentiùs tractat in Opere *de bello*, à cap. XII. libri II. ad XXII. inde belli jam cepti principia describens. Cædes & incendia patrata his præludiis erupturientis belli (quæ Christus eadem prædicens Marc. XIII. 7. vocat *opiniones prœliorum* : sic enim ait : *cùm audieritis prœlia & opiniones prœliorum, ne timueritis : oportet enim hæc fieri ; sed nondum finis,* in Græco πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων. Et alibi Matth. XXIV. 8. *Hæc autem omnia initia sunt dolorum.*) absumpserunt per annos quatuor à cæde

Jacobi fratris Domini, usque ad verum initium belli Romani intercedentes, facilè tertiam partem hominum, ædium & agrorum, per universam Iudæam extra Hierosolymam; quod satis indicat narratio Josephi locis jam laudatis, & sacer Vates hîc disertè prædicit, sic adjungens: *Et tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride consumptum est.* Quæ ut ex allegoriâ in rem conferenda sint, vide in Enarratione, à pag. 112. ad 116.

X. EVENTUS.

Tubicinium secundi Angeli sic à S. Propheta perscribitur cap. VIII. 8. *Et secundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare: & facta est tertia pars maris sanguis: & mortua est tertia pars* 65 *creaturæ eorum quæ habebant animas in mari; & tertia pars navium interiit.* Mare, ut clarè demonstrat Enarratio pag. 117. in hac Prophetiâ est Urbs Hierosolyma. Animæ sunt homines & jumenta, naves, ædificia: horum tertia pars periit vel instante, vel geri jam palàm inchoante Bello Romano, per incursiones infestas in Hierosolymitanos Exercituum Romanorum præsidio tenentium arces Antoniam & Palatium Herodis intra Urbem sitas, & validis legionibus insessas. Harum quæ plures fuerunt, una quidem quâ bello initium factum est, narratur à Josepho cap. XL. libri II. de Bello juxtà Editionem Græcam: nam in Latina caput numeratur XXIV. ait illic Historicus; mense Novembri anni XII. Neronis, Cestium Syriæ Præsidem cum exercitu Hierosolymam ingressum, castra posuisse in superiori civitate propè Aulam Regiam, hoc est Palatium Herodis (erat valde iratus tam ipse quam exercitus Judæis, à quibus gravissima passi fuerant) potuissetque unâ eâ die conficere bellum occupata & deleta universâ civitate, nisi malo consilio, contentus Templum oppugnare, & ab illo conatu leviter resiliens, turpissimam fugam iniviſſet, qua vix salvus evasit, magnâ parte exercitûs amissâ. Verùm ad hanc aliquot aliæ anteriores Præsidiariorum Romanorum ex Arcibus quas intrà Hyerosolymam tenebant, in Judæos eruptiones Propheticâ syllepsi aggregantur: quarum præcipua hîc potissimùm signata illa est quam Josephus narrat lib. XX. Ant. cap. IV. & libro II. de bello cap. XX. juxta Ed. Græc. Latinè verò XI. & ex eo Eusebius lib. II. Hist. Eccles. cap. XIX. referentes: à Ventidio Cumano tunc Procuratore Judææ, immisso ex Arce Antonia in Populum tumultuantem armato exercitu viginti hominum millia unâ die fuisse occisa. Similes Hierosolymitarum clades ab Albino & Gessio Floro Judææ Procuratoribus pari modo frequentatas, vide narrantem Josephum lib. II. de bello cap. Græc. XXIV. Lat. XIII. & lib. XX. Ant. cap. IX. itemque lib. II. de bello cap. XXV. Gr. XIV. Lat. vide Enarrationem à pag. 119. ad 124.

XI. EVENTUS.

65. Vers. 10. capitis VIII. sic legitur: *Et tertius Angelus tubâ cecinit: & cecidit de cœlo Stella magna ardens tanquam facula.* Signatur per hæc apparitio in Judæâ Impostoris cujus fit mentio Act. XXI. 38. qui dicitur ibi congregasse (ex Urbe scilicet Hierosolymâ) quatuor millia hominum: sed ex reliquâ videlicet Judæâ, tam multos à se pariter dementatos iis addidit, ut teste Josepho lib. XX. Ant. cap. VI. & lib. II. de bello cap. Græc. XXVI. Lat. XII. sibi adjuncta triginta hominum millia in montem Oliveti duxerit, vanâ spe injectâ ejiciendi ex Urbe Hierosolymâ Romanos illic dominantes. At Felix tunc Judææ Procurator, immisso Romano exercitu vicit disjecitque turbam, & severissimis inde in autores & conscios seditionis quæstionibus habitis, summis malis universam Judæam affecit. Fuisse similes per hæc tempora Pseudoprophetarum deceptiones plebem miseram & credulam in væcors odium Romanorum incitantes, etiam Christus prædixerat Matt. XXIV. II. & Marc. XIII. 22. Hæ omnes syllepticè hic uno fasce collectæ sunt sub initium belli Romani: primò quia magnam ei causam dederunt; deinde quia earum aliquæ, ut est verisimile, sub ipsum ejus exorientis inciderunt tempus. Enarrantur hæc à pag. 125. ad 127.

XII. EVENTUS.

66. Tubicinio quarti Angeli his verbis expresso vers. 12. capitis VIII. *Et quartus Angelus tubâ cecinit: & percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars Stellarum; ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.* Significantur cædes tertiæ partis hominum in totâ Judæâ extrà Hierosolymam patratæ primis duobus Belli annis ab Exercitu Vespasiani. Refert singillatim res gestas Josephus, lib. III. de bello. Enumerans centum triginta quinque millia Judæorum arma tenentium occisa, præter innumeram multitudinem inermium personarum omnis sexûs & ætatis, quæ facilè tertiam totius Judaicæ Gentis per Judææ Provincias tunc sparsæ partem adæquent. Vide Enarrationem à pag. 128. ad 132.

XIII. EVENTUS.

67. Josephus lib. VI. de bello juxta Exemplar Græcum capite XXXI. Latinè lib. VII. cap. XII. refert mirum ostentum hominis plebeii & rustici, qui toto septennio ante cladem Urbis Hierosolymæ, maximè autem annis Chr. 67. 68. 69. flagrante jam bello, constantissimè perrexit inclamare voce lugubri *Væ Civitati, væ Populo, væ Templo*, nihil verberatus conquerens, nihil omnium egenus, à quoquam requirens, nihil interrogantibus aliud res-

pondens, ac numquam perpetuo clamore factus debilior aut raucior, donec in muro Hierosolymæ jam oppugnari ceptæ, solitam cantilenam iterans, & tantùm tunc addens, *væ etiam & mihi*, ictu lapidis ballistâ excussi contritus occumbens obmutuit. Hunc E ventum propria prædictione dignandum sacer Vates noster divino afflante Spiritu censuit. Ea legitur cap. VIII. 15. his verbis: *Et vidi & audivi vocem unius Aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terrâ.* Enarrantur hæc à pag. 132. ad 134. *Anno Christi.*

XIV. EVENTVS.

Initio capitis IX. ponitur Tubicinium quinti Angeli. Eo prædicitur Tyrannis horrenda Zelotarum, quam plusquam immaniter exercuerunt in Urbem Hierosolymam, præsertim ab initio belli Romani usque ad obsessam à Tito Urbem, quod anno Chr. 70. contigit. Hîc S. Propheta Historiam à Prophetiâ distinguens accuratè, originem Factionis Zelotarum, quæ annis aliquot bellum Romanum antecesserat, tanquam dudùm transactam, verbo præteriti temporis memorat cum dicit, cap. IX. 1. *Et quintus Angelus tubâ cecinit: & vidi* cecidisse; non *cadere* sed *cecidisse* anteà *Stellam de cœlo.* Stellæ *stantes in cœlo*, sanctos Doctores signant: *cadentes in terram*, Hæresiarchas & pravorum dogmatum Autores denotant. In his fuit Eleazarus, qui primus dogma contrarium doctrinæ sanæ, & sacris Scripturis traditæ, pertinaciter defendit, asserens; nefas esse offerre sacrificia pro Regibus & hominibus non profitentibus Judaicam Religionem: ac ne vi coërceri posset, Templum cui erat Præpositus, insedit præsidio Sicariorum evocatorum undique, qui & magnam causam dederunt bello Romano; & quando id geri cepit, Templum omni scelere ac flagitio pollutum pro arce habuerunt, unde in miseros Hierosolymitas erumperent, cædibus, direptionibus, incendiis, longè plus iis nocentes, quàm ipsi hostes infestissimi Romani. quæ omnia fusè Josephus narrat in libris de bello, præsertim quinto. Hæc fuit famosa illa *Abominatio desolationis stans in loco sacro & Templo*, quam & dudùm Daniel, & recentiùs Christus prædixerant. Noster verò Joannes magnam capitis IX. partem ei mirabiliter præsignandæ impendit, Zelotas specie Locustarum è puteo Abyssi cum fumo avernali prodeuntium depingens. & non uno loco memorans datam illis divinitùs facultatem cruciandi Hierosolymam *mensibus quinque.* Quod quemadmodum evenerit ex Josepho scitur, clarè testante, Zelotas, cum Romanos alibi per Judæam pugnantes, viderent à Hierosolymæ oppugnatione abstinere, consuevisse in Hierosolymitas atrociter sævire. cui rei tria spatia, singula quinquemestria, ipsis ex voto contigisse demonstro ex Josepho in enarratione hujus capitis IX. à p. 134. ad 157. 68. 69.

XV. EVENTVS

Audiendus nunc est sextus Angelus tubâ canens; & quid portendat, si 70.

possumus, divinandum. Verba sacri Vatis hæc sunt cap. IX. 13. *Et sextus Angelus tubâ cecinit, & audivi vocem unam ex quatuor cornibus Altaris aurei, quod est ante oculos Dei, dicentem sexto Angelo qui habebat tubam: Solve quatuor Angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate: Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam & diem, & mensem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Prædicitur his verbis, obsidio & oppugnatio Urbis Hierosolymæ facta per Titum ad hoc missum à Vespasiano jam Augusto, qui bellum Judaicum à se adhuc privato, jussu & auspiciis Neronis tunc imperantis inchoatum, prosequendum perpetrandumque Tito filio commisit; adjunctâ plena potestate, qua Vespasianus, dum nondum regnans in Iudæa militabat, numquam impetratâ caruerat, abstrahendi à limite Euphratis quatuor legiones Romanas, ibi finem Imperii Orientalem tuentes. Hi sunt quatuor Angeli ad Euphratem alligati, quos inde solvit, sibi eos ad Hierosolymæ oppugnationem adjungens, Titus. Harum cæteris copiis adjunctarum ope, Titus Hierosolymam cepit oppugnare An. Chr. 70. *instante die Azymorum*, ait Iosephus libr. v. de bello, cap. XI. hoc est, circà mensem Aprilem. Templum expugnavit & incendit die 5. mensis Augusti, denique mensis ejusdem die 31. Urbem plenè in potestatem suam redactam, diruit & delevit, sic confecto bello Iudaico. Hæc fusè enarrantur à pag. 159. ad 172.

XVI. EVENTVS.

Eventum modò relatum expugnatæ Hierosolymæ prædixerat etiam Ar-
70. changelus Gabriël, Danieli cap. IX. 26. his verbis: *Civitatem & sanctuarium dissipabit Populus cum duce venturo.* Addit autem: *Et finis ejus vastitas; & post finem belli statuta desolatio.* Signatur per hæc ultima verba, novus eventus, secutus finem belli: hic vocatur *statuta desolatio*; & significat declarationem interminatæ & irrevocabilis perennitatis in desolatione Genti ac Reipublicæ Judaicæ per Romanos victores illatæ. Hunc eumdem eventum luculenter prænunciat Ioannes, dum cap. X. repræsentat Christum manu tenendo librum qui sigillis septem obsignatus fuerat, jam evolutum & apertum (quo significatur, patrata jam omnia quæ illo prædicebantur) dextro pede calcantem *mare*, hoc est Urbem Hierosolymam eversam, sinistro verò *terram*, nempe reliquam Iudæam exterminatis ejus incolis desolatam: & *levatâ in cœlum manu jurantem, quia tempus non erit amplius.* Tempus Reipublicæ cujusvis dicitur spatium quo illa proprias occupans sedes, suis legibus, sub electis aut admissis à se Principibus vel Magistratibus vivit. Tale tempus Iudæis non erit amplius post Hierosolymam & Templum à Tito destructa; utpote damnatis justo Dei judicio, ad dispersionem & servitutem variis per Orbem locis duraturam usque ad consummationem sæculi. Hæc declarantur à pag. 172. ad 183.

Hactenus recensiti sexdecim eventus soli sunt hac priore Apocalypsis parte

parte prædicti, qui redigi in ordinem Chronologicum queant, quippe qui jam evenerint. Horum vaticinia, ut diximus, continentur capitibus sex, nempe à IV. ad X. nam tria prima proëmialia & quasi nuncupatoria Operis, parùm aut nihil admodùm prædicunt, Paranetica, seu νουθετικὰ *objurgatoria*, potiùs quam Prophetica. In ipso porrò cap. X. quæ à vers. 3. ad 5. memorantur *septem tonitruum voces*, quas Joannes audivisse quidem se ait: sed vetitum scribere quæ dixissent, nec sciri, nec suis ordinari temporibus possunt. Exequebantur autem, ut est verisimile, quæ erant eventura miseris reliquiis Gentis Judaicæ toto infelici per Orbem exilio usque ad finem mundi, dispersis per quatuor terræ partes; pleraque adversa & tristia, partim jam cum hæc scribimus patrata, sed nobis ex majori parte incognita; partim sequentibus hinc usq; ad ultimum sæculis, futura: quæ Christus velut spectantia ad Populum à se prorsùs abdicatum, referri in Scripturam ad Ecclesiæ usum edendam vetuit. Denique absolvi hoc capite X. omnia vaticinia Joanni inspirata de rebus ad Synagogam & Gentem Judaicam pertinentibus, quæ quidem vulgari ad Ecclesiæ usum Deus voluit, inde ostenditur, quod sub finem istius capitis X. versu nimirùm undecimo & ultimo, scripta hæc extant: *Et dixit mihi* (Joanni Angelus, qui idem ipse Christus est, ut in Enatratione demonstro pag. 172. *oportet te iterùm prophetare Gentibus, & Populis, & Linguis, & Regibus multis.* Hæ novæ Joannis Prophetiæ perscriptæ sunt primùm capite XI. quod totum est de ultimâ Ecclesiæ persecutione per Antichristum, ad cui obstandum apparebunt Enoch & Elias: deinde quæ sequuntur à capite XII. ad libri clausulam. Hæ constituent alteram nostræ Synopseos Chronologicæ partem, quia jam eventis sunt patratæ, quod illis capite XI. comprehensis non contigit, prout necesse erat ut in seriem gestarum rerum ordine temporis digererentur.



SYNOPSIS CHRONOLOGICA EVENTUUM LIBRO APOCALYPSIS PRÆDICTORUM.

PARS ALTERA.

I. EVENTUS.

Anno Christi 43. SANCTUS Petrus anno tertio Imperii Claudii Romam venit: ibique Christi Evangelium prædicans fundare cepit Ecclesiam Romanam omnium per Orbem Ecclesiarum Matrem Magistram ac Principem futuram. Exprimuntur Evangelici Ministri Romæ Christum prædicantes, capite XII. Apocalypsis, specie Mulieris amictæ Sole, Stellis coronatæ, calcantis Lunam, & parturientis, insidiante ipsi Dracone ac partum expectante, ut prolem editam devoraret. Præcones Evangelii Sole amicti dicuntur, quia Christum induerunt Gal. III. 27. coronantur stellis duodecim, quia totidem Apostolorum doctrinam symbolo, quod dicitur Apostolicum, expositam promulgant. Lunam, hoc est, Synagogam, & legem veterem, uti jam abrogatam pede premunt, aut Christiano dogmati pro fundamento substernunt. Hoc agunt autem prædicando, ut auditores regenerent; & sic eos *parturiunt*, ut unus ex ipsis Paulus ait Gal. IV. 19. Draco insidians: Dæmon est, Idololatriæ armis Romanis succinctæ, Præses. Hic per Judæos obstinatos, qui multi Romæ tunc erant, per Idololatras obfirmatos in avitis erroribus, per Hæreticos plurimos, quos jam tunc ex Fidelibus seductos in Ecclesiam armaverat, signatos per tertiam Stellarum partem, è cœlo Draconis cauda tractarum, conversioni Romanorum quantùm poterat obstabat: impedire tamen nequivit quin multi Christiani fierent, & toto

Claudii principatu,& sequente Neronis; in cujus etiam domo nonnullos tales Paulus, posteriùs Romam adveniens anno 4. Neronis, Christi 57. reperit ut ipse testatur ad Philippenses inde scribens cap. IV. 22. Conjunctâ inde operâ duorum Principum Apostolorum Petri & Pauli eo spatio quod à Neronis anno 4. ad ejusdem 14. & ultimum extenditur, quo ambo Apostoli martyrio sunt consummati, tanta Romæ hominum ex omni ordine multitudo in Christum credidit, ut absoluta tunc fuisse intelligatur institutio Romanæ Ecclesiæ Principis omnium cæterarum in ævum deinde omne duraturæ. Hic fuit fœtus mulieris parturientis: eventus is fuit prædictus his verbis Prophetæ nostri vers. 6. *Et peperit filium masculum qui recturus erat Gentes in virgâ ferreâ.* Gladius hîc vocatur *virga ferrea*: quid autem symbolicè gladius signet, exponit Paulus Ephes. VI. 17. *Galeam salutis assumite & gladium Spiritûs, quod est verbum Dei*: cur consequenter dicatur *filius mulieris raptus ad Deum & thronum ejus*: & *mulier fugisse in solitudinem*, vide declaratum in Enarratione, pag. 215. & seq.

II. EVENTUS.

Eventus alter priori superveniens, prima nimirum Ecclesiæ Persecutio à Nerone instinctu Draconis mali Dæmonis indicta, luculenter exprimi- 67.
tur vers. 15. his verbis: *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen ut eam faceret trahi à flumine.* Tacitus Annal. XV. postquam docuit; flagrasse Neronem invidiâ apud Populum ingenti, ex eo quod satis constaret, jussum ab eo procuratumque incendium quo magna pars Urbis
conflagraverat, hæc subdit: *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, &* 65.
exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Hinc quia extinguendæ publici odii flammæ quâ fama Neronis adurebatur, indicta in Christianos persecutio est, rectè hæc figuratur symbolo fluminis emissi ex ore serpentis, hoc est mali Dæmonis Idololatriam tuentis, cujus instinctu tam nefarium consilium Neroni ad omne scelus prompto venit in mentem. Subjungit Propheta noster: *Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum & absorbuit flumen quod misit Draco de ore suo* Hæc significant: aversam à Christianis crudelitatem in ipsos Romanos Ethnicos & Idololatras citò redundasse. Narrant Suetonius & Tacitus, detecta per id tempus conjuratione Romanorum in Neronem, iratum hunc ingentem numerum Primariorum Romæ trucidasse, non compertorum solùm criminis illius, sed innocentium quoque. En Suetonii verba, cap. XXXVII. *Nullus posthac adhibitus est delectus aut modus interimendi quoscumque libuisset quacumque de causâ.* Duratio quoque persecutionis Neronianæ à sacro Vate bis præfinita est: primùm vers. 6. *Diebus mille ducentis sexaginta*; iterùm vers. 14. *Per tempus & tempora & dimidium temporis*: utroque isto modo idem designatur spatium annorum trium cum dimidio. Hæc mensura est primæ hujus persecutionis; inchoatæ anno Nero-

67. nis 10. & ejusdem 13. desinentis in SS. Petri & Pauli martyrio; vide enarrationem pag. 217.

III. EVENTVS.

Domitianus, & secunda per eum indicenda persecutio peculiariter hoc libro prædicitur; at non statim consequenter ad Neronianam de quâ modò actum: verùm, pluribus interpositis, capite demùm XVII. cujus vers. 8. sic Angelus Joannem alloquitur: *Bestia quam vidisti* (viderat Bestiam coccineam superiùs vers. 3.) *fuit & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit.* Ut certiùs intelligatur describi hîc Domitianum, considerandæ sunt alia verba Angeli nunc Joannem alloquentis inferiùs posita versibus 9. 10. 11. *Reges septem sunt, quinque ceciderunt unus est, alius nondum venit, & cum venerit oportet eum breve tempus manere. Et Bestia quæ erat & non est, & ipsa octava est & de septem est, & in interitum vadit.* Agit Angulus de Imperatoribus sub quibus Romæ fuit Christiana Religio: septem hi numerantur usq; ad Domitianũ. Primus horum est Claudius, cujus anno tertio S. Petrus Romam veniens cepit ibi prædicare: secundus Nero, tertius Galba, quartus Otho, quintus Vitellius. Hos omnes ait jam *cecidisse*, hoc est, morte violentâ periisse; manifestè id verum, cum certum sit Claudium veneno extinctum esse; Neronem, Galbam, Othonem, Vitellium periisse gladio. Post illos tunc cum hæc Joanni loquebatur Angelus, imperabat Romæ Vespasianus, sextus à Claudio. Imperare cepit Ves-
69. pasianus statim à nece Vitellii (quæ anno Christi 69. contigit) sed in Oriente dumtaxat, ubi moras inde biennio traxit, locum ejus in Italia interim tenente Domitiano minore filio, dum ipse cum Tito primogenito bellum Judaicum consummat, quod ante annum Christi 70. non potuit confici. Anno demùm Christi 71. Imperii sui tertio, Vespasianus cum Tito
71. majori filio Romam adveniens Domitianum in ordinem redegit; de quo propterea hîc dicitur *Bestia quæ fuit & non est*, vers. 8. & vers. 11. *quæ erat & non est.* Ille igitur de quo dicit Angelus, *quinque ceciderunt unus est*: ille inquam *unus* est Vespasianus anno Imperii tertio Romæ præsens & imperans; post quod annis adhuc solidis septem Imperium tenuit: mortuus anno demùm Christi 79. succedente ipsi Tito majore natu filio, de quo verè prædicit Angelus, fore ut *breve tempus* in Imperio *maneat*: obiit enim anno Chr.
81. 81. cum imperasset annos duos, menses duos & dies viginti, veneno, ut est creditum, peremptus à fratre Domitiano: qui propterea fortasse hîc dicitur ascensurus *de abysso*, hoc est, malis & stygiis artibus perventurus ad Imperium. Eundem rectè pronunciat Angelus futurum octavum, utique à Claudio, quod manifestum est, ac nihilominùs *de septem* fuisse: delibaverat enim Imperium primo & secundo Patris absentis anno, sed ita ut idipsum imputaretur Imperio Patris; cui item ac fratri cedere locum oportuit simul atque in Italiam venerunt. Quod postremum addit bis repetens *& in*

interitum ibit vers. 8. *& in interitum vadit* vers. 11. significat Domitianum (prout verè contigit) tragicâ morte periturum.

IV. EVENTVS.

Eventus per hæc tempora notabilis in paucis, & magni ad Religionem momenti, fuit incendium Ædis Jovis Capitolini: quæ sedes erat, & velut Arx, Romanæ superstitionis. Id accidit civili Flavianorum contrà Vitellianos intrà ipsam Urbem gesto bello, ut fusè Tacitus & alii temporum illorum Historici referunt. Hunc prædicit Joannes cap. XIII. 3. his verbis: *Et vidi unum de capitibus suis* (hoc est Bestiæ quam septicipitem viderat vers. 1.) *quasi occisum in mortem*, cap. XVII. 9. Angelus Joanni dicit: *septem capita septem montes sunt*: septem nempe colles in quibus sita erat Roma, omnes falsis Diis dicati, sed inter omnes eminebat Capitolium Templo Jovis insigne, hujus conflagratio famâ per orbem vulgata magnam securim infligebat causæ Idololatrarum divinitatem Jovis contrà Christianos propugnantium. Ideò ingens procerum Romanorum cura incubuit in restaurationem illius Templi Principes qui tunc erant domûs Flaviæ Vespasianus & Titus id sedulò egerunt. Sed rei perfectæ decus in Domitiani principatum dilatum est: quod illi magnæ gloriæ apud Idololatras Orbe toto causa fuit. Id docent hæc nostri Prophetæ verba cap. XIII. 3. 4. *Et plaga mortis ejus curata est, & admirata est universa terra post bestiam, & adoraverunt Draconem qui dedit potestatem Bestiæ: & adoraverunt Bestiam dicentes. Quis similis Bestiæ?* 83.

V. EVENTVS.

Deinceps sequitur persecutio Ecclesiæ secunda à Domitiano mota. Hujus prædictio in his verbis latet vers. 5. capitis XIII. *Et datum est ei* (Bestiæ persecutores post Neronem uno symbolico corpore signanti, cujus caput fuit Domitianus) *os loquens magna & blasphemias, & data est illi potestas facere menses quadraginta duos.* Primæ Neronianæ persecutionis indicavit spatium Joannes *per dies mille ducentos sexaginta*, & per *tempus* sive annum unum, & *tempora*, hoc est annos duos: prætereaque *dimidium temporis*: nempe semestre, aut partem mediam unius anni, parem durationem signant menses *quadraginta duo* cum, ut notum est, menses duodecim annum compleant ac consequenter menses triginta sex triennium exactè conficiant, quibus si addas menses sex ad numerum 42. summa excrescet: tantum duravit Domitianea persecutio, non continuè quidem, sed interpositis intervallis, quæ causa est cur per menses digeratur. Vide Enarrationem pag. 241. causam persecutionis adumbrant illa vers. 5. *Os loquens magna & blasphemias*, & vers. 6. *Aperuit os suum in blasphemias*, &c. Vocans se Deum, ut talem coli jubens, & credi filium Minervæ Virginis, ad quæ cum parùm morigeros haberet Christianos, eos conatus est exscindere. 93. 96.

Incepit persecutio Domitiani anno Christi 93. desiit nece persecutoris anno Christi 96.

VI. EVENTVS.

Magia post Domitianum sub Nervâ, Trajano & secutis hos Cæsaribus usque ad Constantinum prodiit in auxilium Idololatriæ à Christianismo periclitantis. Hoc prænunciat Joannes cap. XIII. vers. 11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terrâ: & habebat cornua duo similia Agni: & loquebatur sicut Draco: & potestatem prioris Bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus, & fecit terram & habitantes in eâ adorare Bestiam primam cujus est plaga mortis, & fecit signa magna: ut etiam ignem faceret de cœlo descendere, &c.* Quæ sequuntur ad finem capitis, quæ quàm aptè conveniant iis quæ ab Apollonio, & hujus discipulo Damide, gesta per hæc tempora referuntur, à Philostrato: & quæ posteà à Plotino aliisque Magis, in variis leguntur libris, præsertim apud Porphyrium, Lucianum, Hieroclem, & hujus confutatorem Eusebium, accuratè declarat Enarratio à pag. 256. ad 284. cepit ista gratia & potentia Magorum apud Romanos Imperatores, incumbens in perniciem Christianorum, ab initiis Principatuum Nervæ & Trajani, & duravit usque ad Diocletianum. Principium tantùm ejus hîc Chronologicè notamus.

VII. EVENTVS.

Dehinc Propheta noster vers. 2. & deinde vers. 6. cap. XIII. ad 9. summatim repræsentat Cæsares persecutores Christianorum post Domitianum, unâ omnes signans imagine symbolicæ bestiæ: cujus caput & os Leoninum erat, armi & venter referebant Pardum, pedes, quibus figurabantur Diocletianus & ejus in Imperio collegæ plures, pedum Ursinorum similitudinem præferebant. Sicut numero priori multa & varia Magorum pro Idololatriâ contrà Christianismum acta per duo circiter sæcula sparsa, quasi uno spectanda obtutu proponuntur: sic & Imperatorum tanto illo spatio persecutiones variæ in unum compinguntur simulacrum velut chimæræ monstrosæ multis è feris belluis concretæ, Leone, Pardo, Urso. Adjunguntur pœnæ de persecutoribus sumptæ, à vers. 9. ad 11. Hujus chimeræ symbolicæ Leoninum os Domitiano convenit. armi, dorsum, alvus, Trajanum, Adrianum, Severum, Decium, Valerianum, & alios, usque ad Diocletianum, cum quo Maximianus, Galerius, Maximinus, Maxentius, Licinius, pari flagrantes in Christum odio, pedes bestiæ Ursinos referunt. Horum longo sparsorum ævo momenta insigniri Chronologicâ methodo nequeunt, sufficiat nobis initium Imperii Tajani, primi post Domitianum Christi hostis in hoc abaco temporario ponere: cujus Joannes nomen per numerũ 666. designat sub finem capitis XIII. Id exactissimè congruit in vocabulum ΟΥΛΠΙΟC, quod erat nomen ejus viri proprium, ut pote medium inter

prænomen & cognomen: cepit autem Ulpius Trajanus præesse rei Romanæ anno Christi circiter 99. vide Enarr. à pag. 285. ad 290. 99.

VIII. EVENTUS.

Capite XIV. 19. *Misit Angelus falcem suam acutam & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus est lacus extrà civitatem: & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* His prædicitur eventus valdè notabilis stragis ingentis rebellantium contra Romanos Judæorum Trajano & Adriano Imperantibus facta, ne illi, pro suo in Christum odio, lætari possent persecutionibus Christianorum per eadem tempora exercitis. Narrat, Dio lib. XVIII. & Eusebius Hist. Eccl. lib. IV. cap. II. Rebellantes adversùs Trajanum Judæos, misso contra eos ab illo Martio Turbone cum validis copiis, internecione fuisse deletos. In Mesopotamiâ quoque tumultuantes alios Judæos à Duce pariter Romano Quinto Lucio cæde immani fuisse prostratos: quando & Alexandrini quotquot apud ipsos & in finibus ipsorum Judæi reperti sunt, (erant autem plurimi) trucidarunt. In Cypro denique ingens Judæorum multitudo, qui eo confugerant deleta est; occisis ad unum omnibus: legéque exinde sancitâ, ut cuicumque Judæo appulisse in Cyprum, etiam impulsu tempestatis, capitale foret: hæc postremis Trajani annis, initio ducto à XVIII. qui fuit Christi 115. contigerunt. Adriani quoque anno XVI. 115. qui Christi numerabatur 132. Iudæi qui triennio ante iterùm rebellarant, iisdem Dione & Eusebio referentibus, tot tantisque sunt cladibus contriti, ut quingenta octoginta eorum millia eo bello periisse Dio affirmet, quem numerum Judæus, autor libri cui *Echa Rabathi* titulus est, auget usque ad octingenta millia. Rabinus vero Salmanticensis usque ad duodecies centena millia. Hùc pertinent illa ultimi oraculi nostri verba: *Et exivit sanguis usque ad frænos equorum per stadia mille ducenta.* Hæc est longitudo regionis à Iudæis habitatæ; quæ sic tota redundans cruore pingitur. quod priùs erat dictum: *& calcatus est lacus extra civitatem*, characterem habet proprium istius Iudæorum sub Adriano cladis: quâ ii in perpetuum excluſi sunt, non modò habitatione, sed & ingressu, quin & eminùs conspectu civitatis Hierosolymæ; quæ etiam Colonia Romanorum est facta, mutato Hierosolymæ in Æliam nomine.

IX. EVENTUS.

Post indictas & sævè exercitas in Christianos persecutiones à Romanis Augustis, immisit Deus, pro more gubernantis mundum Providentiæ, in Urbem & Imperium universum multas & graves calamitates & clades, in ultionem impiè ac crudeliter fusi Christiani sanguinis. eæ prædicuntur cap. XVI. quo repræsentantur effusiones Phialarum iræ Dei septem, per toti-

dem ad hoc missos Angelos. Prima his verbis exprimitur vers. 2. *Et abiit primus & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus savum & pessimum in homines, &c.* Hæc fuit pestis quam inguinariam vocant, af-
165. flatu & contagione latè propagare se solita cum ingenti strage Populorum. Imperantibus M. Antonino Philosopho & Lucio vero, Lucius idem è bello parthico victor rediens luem talem Babylone haustam in Romanas Provincias & Urbem ipsam intulit, ex quâ innumerabilis ubique hominum omnis ordinis, ætatis, sexûs multitudo periit. Hanc primò signari hâc prophetiâ credo: sed cum aggregatione syllepticâ multarum post secutarum, quas vide enumeratas in Enarratione, pag. 323.

X. EVENTVS.

Versu mox tertio sic scribitur: *Et secundus Angelus effudit Phialam suam in mare: & factus est sanguis tamquam mortui: & omnis anima vivens mortua est in mari.* Mare ut sæpe dictum est, in hâc Prophetiâ Urbem Romam signat. Exprimitur his immanis crudelitas Commodi qui Patri Antonino in Imperio succedens quotidianis & horrendis cædibus in omne
180. genus hominum Romæ grassatus est, summam interim pacem Christianis præbens. His per syllepsim ex retrò actis accensentur, Neronis & Domi-
192. tiani similes proscriptiones: itemque post Commodum secutæ aliæ non paucæ: tum ipsorum Imperatorum cædes Romæ patratæ; puta Neronis, Galbæ, Vitellii, Domitiani, Commodi, Pertinacis, Iuliani. Vide Enarr. à pag. 324. ad 328.

XI. EVENTVS.

Sequitur vers. 4. *Et tertius Angelus effudit Phialam suam super fontes aquarum & factus est sanguis.* Ut maris symbolo Roma exprimitur, ita fluviorum & fontium imagine Urbes, Oppida Provinciæ Romani Imperii adumbrantur. Commodum Pertinax excepit, & hunc Julianus, utrique intra sex mensium spatium necato successit Severus. Per hujus Imperium anno-
196. rum duodeviginti universæ Orbis Romani Provinciæ bellis atrocibus quà civilibus quà exteris ferè continuè cruentatæ sunt, Deo videlicet, ut Pro-
198. pheta noster hîc innuit, justè ulciscente iniquas & impias Christianorum persecutiones, quæ non in Urbe Româ solùm, sed etiam in cunctis ei subjectis regionibus crudelissimè exercitæ fuerant usque ad Imperium Commodi. sentiri quoque ceperat id flagellum statim post primam ejus causam Neronis persecutionem, flagrare subito incipientibus bellis Civilibus, quo Italia, Gallia, Hispania, Germania, infensis contrà se invicem incursibus Galbæ, Vindicis, Othonis, Vitellii, Antonii primi, Vespasiani absentis partes in Italia tuentis, commotæ funditus & sanguine inundatæ sunt: unde illæ quoque veteres Provinciarum Imperii cruentæ vastationes ad hujus

Vaticinii

Vaticinii significatum ex mente sacri Vatis aggregatæ sunt uti & quæ posteriùs creberrimæ contigerunt usque ad Licinii exautorationem, & Constantini magni plenam Monarchiam. Vide Enarr. à p. 329. ad 331.

XII. EVENTVS.

Pergit Ioannes vers. 3. *Et quartus Angelus effudit Phialam suam in Solem: & datum est illi æstu affligere homines & igni.* Indicatur his quartum flagellum in Romam persecutricem Christianissimi divinitùs immissum. Id fuit sterilitas agrorum, ac messium corruptio ex intemperie tempestatum orta, maligniſque influxibus Solis ac siderum: unde procedentes fames horrendæ, strages passim ingentes populorum, & desolationes Urbium ac regionum ediderunt. Imperante Commodo oppressam fuisse Romam & Italiam fame miserrimâ docet Herodianus lib. 1. A Commodo usque ad Galli & Volusiani Principatum, multas extitisse in Romano Imperio fames testatur S. Cyprianus, anno tertio istorum Imperatorum contra Demetrianum scribens; itemque Dionysius Alexandrinus, & ex eo Eusebius Hist. Eccl. lib. VII. cap. XVII. qui etiam lib. 1. de vitâ Constantini, meminit famis horrendæ per Urbem & Provincias grassatæ: *qualem anteà* (verba illius sunt) *unquam fuisse nemo viventium meminerat.* Vide eumdem Hist. lib IX. cap. VIII. de fame suprà modum horribili quæ Romanum Imperium afflixit in manifestam confutationem jactationis vanæ quâ Maximinus quodam edicto vulgaverat: neminem posse negare quin beneficio Deorum, ubertas ubique frugum existeret. Vide alias multas in Enarratione loci hujus enumeratas à me ex idoneis testibus fames, à pag. 333. ad 335. 190.

XIII. EVENTVS.

Aliam quoque ultricem persecutionum calamitatem hìc indicat Propheta, adjectâ mentione *ignis*, nempe incendiorum. Narrat Herodianus lib. 1. conflagrasse Romæ Templum pacis igne divinitùs immisso. Zosimus lib. II. meminit incendii alterius, item divinitùs orti, quo fortunæ Templum consumptum est. Alia incendia hùc aggreganda vide in Enarratione à pag. 335. ad 337.

XIV. EVENTVS.

Versu 9. additur: *Et æstuaverunt homines æstu magno: & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas; neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.* Aggrega hùc quæ vers. 10. & 11. his similia leguntur. Eventus his verbis notabilis prædicitur obdurationis Ethnicorum in malo sub ictu flagellorum quibus ad pœnitentiam invitabantur: pro quâ ipsi è contrario addebant novas in Deum blasphemias, imputantes fames, pestes, incendia, bella, tyrannicas oppressiones, ipsi Religioni Christianæ,

in cujus iniquè vexatæ ultionem ea se pati mala, facilè, si attendere vellent, intelligere poterant. Vide quæ in hujus versus enarratione ad hoc quod modò dixi probandum testimonia recitantur Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Zosimi, Symmachi, Prudentii. In Enarr. p. 337. 338. 342.

XV. EVENTVS.

Versu 10. *Et quintus Angelus effudit Phialam suam super sedem Bestiæ: & factum est regnum ejus tenebrosum.* Sedes Bestiæ hic dicitur Augustale solium Monarchiæ Romanæ totam vim suam conferentis ad tuitionem & propagationem Idololatriæ & extinctionem Christianismi: ob quas meruit ex summâ per Orbem claritate in tenebras pudendæ obscuritatis labi, per vitas abominandis flagitiis & sceleribus infames quorumdam Imperatorum:
256. puta Commodi, Caracallæ, Eliogabali, præterea captivitate, servitute miserâ, longa & inultâ Valeriani; tum discerptione Imperii per viles Tyrannos, quales sub uno Gallieni Imperio ad Triginta Romanam purpuram profanaverunt: denique debilitate probrosâ & passim irrisa ultimorum Cæsarum Anthemii, Majoriani, Augustuli, qui ad nutum Gotthorum, aut Erulorum dominantium producebantur aut deponebantur, à Barbaris dedignantibus Augusti Romanorum titulum sibi sumere, cum ad manum haberent, tamquam rem vilem & possidenti probrosam. En quò splendens Augusti primi majestas, Trajani felicitas, M. Aurelii Antònini sapientia, ad extremum reciderunt, justo Dei judicio exequentis quod promisit 1. Reg. 11. 30. *Qui contemnunt me erunt ignobiles.* Hæc est obscuratio tenebrosa sedis & Regni Bestiæ hoc loco memorata. Enarr. à pag. 338. ad 341.

XVI. EVENTVS.

Effusio sextæ Phialæ à vers. 12. ad 17. perscripta, Bellum Maxentianum, & famosam Constantini ad Pontem Milvium victoriam prænunciat: sed schematibus & symbolis valde obscuris, vers. 14. capitis XVI. Innuitur belli causa & apparatus ex parte Maxentii his verbis: *Et vidi de ore draconis, & de ore Bestiæ, & de ore Pseudo prophetæ exire tres Spiritus immundos in modum*
312. *ranarum.* Ex locis Zosimi & Eusebii in Enarratione descriptis pag. 347. & s. constat Maxentium auguriis, extispiciis, & fallorum oraculorum responsis, quæ undecumque avidè captabat, magnoperè confisum, in præceps fuisse consilium impulsum prælio decernendi cum exercitu Constantini. Auspicia ergo extispicia & oracula tres hic dicuntur immundi spiritus exeuntes ex ore Draconis, hoc est diaboli primi autoris istarum superstitionum, deinde Bestiæ, hoc est, Maxentii persecutoris Christianorum: postremò Pseudoprophetæ, quo uno nomine syllepticè colliguntur Augures, Extispices, falsorum è corruptis Sibyllarum libris oraculorum Interpretes, qui magno numero circumstantes Maxentium fiduciam ei audendi magnam ins-

parabant. Eadem hæc ei erant instrumenta belli apparandi: jactandis enim præsagiis victoriæ per auguria, extispicia, & oracula ostensis, pelliciebat Duces & exercitus Romanos per Africam & alias regiones ad societatem belli contrà Constantinum. Id exprimit sacer Vates noster his verbis, vers. 14. *Sunt enim spiritus Dæmoniorum facientes signa: & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Campus in quo fuit ordinatus in aciem exercitus Constantini, memoratur vers. 16. ubi sic legitur: *Et congregabit illos in locum, qui vocatur hebraicè Armageddon*: hic est locus ultra pontem Milvium respectu Romæ, vasta & æqua, ex porrecta in longitudinem & latitudinem ad multa milliaria planities; à dextris habens protensam longam altitudinem collium. è janiculo perpetuà serie continuatorum, qualem situm campi qui hebraico vocabulo è scripturis mutuato velit exprimere, næ is haud sane aliud reperiet aptius quàm *Armageddon*, nomen conflatum è duobus, *Mageddon* & *Ar*. Mageddo nomen memoratum libris Josuæ, Judicum & Regum, cui Zacharias Propheta Nun finale adjungens Mageddon format: ex origine hebraicâ significat æquor campi magnæ aciei ordinandæ aptum. Talis fuit in Galilæâ campus magnus latissimè patens Esdrelon, præliis celeberrimis & nece in iis Regum pugnantium famosus; sub appellatione Mageddo, nam ibi Josuæ XII. 21. Rex Mageddo occiditur. libri Judicum cap. IV. Exercitus Jabini Chananæorum Regis deletur, ipso ejus ductore Sisarâ in fuga interfecto. IV. Reg. cap. IX. Ochosias & cap. XXIII. Josias Reges Juda ibidem occumbunt, apta omnia præsagia comminandæ neci Maxentii Constantino victori succubituri. Jam quia campus ubi fuit instructa cis Tiberim Constantini acies, hoc habebat præ planitie Galilææ Mageddo dicta, quod monte à dextris longo, ut dixi, terminaretur, propterea Joannes vocabulo Mageddo, *Ar*. præponit, quâ syllabâ hebraicè Mons signatur. Ad extremum successus ipse prælii quo internecione deletus Exercitus Maxentii unà cum ipso, machinâ quam in ponte paraverat fractâ, devoluto, cadaveribus ita Tiberis alveum opplevit, ut Constantiniani mortuos calcantes, pede sicco trajicere amnem potuerint, graphicè, describitur vers. 12. ubi Phiala sexti Angeli effusa fuisse dicitur *supra flumen illud magnum Eufraten*: ita ut, *siccarit aquam ejus*, hoc est pede transmeabilem, quasi esset siccata, reddiderit. quo *præpararetur via Regibus ab ortu Solis*, hoc est Constantino & ducibus exercitus ipsius, qui ab ortu, nempe Christo, cui in sacris libri proprium nomen est *Oriens*, missi, & autorati per miram Crucis apparitionem, & certam victoriæ sponsionem, veniebant. Tibris Eufrates vocatur per continuationem allegoriæ quâ Roma Babylon est dicta, hujus libri cap. XVII. 5. XVIII. 2. vid. Enarr. à pag. 344. ad 350.

XVII. EVENTVS.

Eventus exinde in paucis notabilis fuit pax Ecclesiæ per Constantinu

jam plene Imperii Romani potentem post victum exautoratumque Licinium, data. Ea mirabiliter exprimitur cap. xx. per alligationem Satanæ in mille annos: quâ significatur, toto mille annorum spatio non futuram in Orbe terrarum potentiam Ecclesiæ infensam Imperio Romano parem: quod evenisse verissimè, omnis tam Ecclesiastica quàm extera tractûs temporum illius manifestè demonstrat Historia. Licinius redactus in ordinem paulóque post mortuus est anno Christi 325. Anno sequenti Constantinus totam Imperii vim ad muniendam Religionem conferens edicta promulgavit triumphalia in exaltationem Christianismi & depressionem Idololatriæ quàm potuit efficaciissima, quæ recitat Eusebius lib. II. de vita Constantini à cap. xxv. ad LX. In iis insigne illud quod capite XLV. describit, ubi disertè meminit libertatis Ecclesiæ redditæ, & dejecti Draconis, hæc ergo indubitabilis
326. Epocha est initii pacis istius millenariæ Christianismo datæ, à quo millesimus vertens est annus Christi 1326. Othomani primi Autoris Imperii Turcorum auspiciis Christianæ Religioni funestus; prout sacer Vates admonet infra vers. 7. prædicens post mille annos solvendum Satanam, seducturum Gentes... Gog, & Magog: per quæ verba signari Turcorum Imperium quale ab annis trecentis floret magnis successibus, clare demonstratur in Enarratione loci illius, à pag. 343. ad 350.

XVIII. EVENTUS.

Cap. XVIII. 4. ait Joannes: *Et audivi vocem aliam de Cœlo dicentem: Exite de illâ* (Româ vetere periturâ) *Populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis non accipiatis, &c.* Hæc Prophetia est notabilis Eventûs pertinentis ad hoc tempus: nempe fundationis per Constantinum factæ novæ Romæ Constantinopolis merè Christianæ, in quam Imperator Christianus Romanos Proceres pariter Christianos secum transtulit: relictis apud Romam veterem Idololatris cunctis. Actum id à Constantino, ut vitaret necessitatem exercendi ritus Idololatricos ad quos veteri consuetudine Cæsarum antiquorum, & suggestione ægrè recusabili Senatus & Populi majori adhuc ex parte avitis superstitionibus defixi, trahebatur. docet Zosimus in Enarratione citatus. Sic igitur Christiani tam Cæsares quam Populus Romanus qui Christi Religionem profitebantur novam Romam in veteri Byzantio conditam ab omni contagione superstitionum paganicarum remotam, sedem & patriam habuerunt; primò, ne participes fierent delictorum Romæ veteris, cooperando, (quod vitari vix poterat) ejus ritibus & cerimoniis Idololatricis: deinde ne involverentur pœnis direptionum, & extremæ desolationis in Romam veterem persecutricem Ecclesiæ decretis, ut hic dicitur: quod utrumque successit; nam & novæ Romæ cives in summâ libertate, sine offensione ulla, Religionem exercuerunt, & in summâ prosperitate statum Imperiumque tenuerunt, Romæ veteri captæ, destructæ incensæ superstites per annos fere mille.

XIX. EVENTUS.

Non longè post Imperium Constantini ceperunt nationes Barbaræ usur- 330.
pare sibi Provincias Occidentalis Imperii Romani, & in iis regna sua constituere. Hic eventus comparandus est cum ejus Prophetiâ hoc libro perscriptâ cap. XVII. à vers. 12. ad finem capitis. Ibi dicitur: decem cornua quę apparuerant in septicipiti bestiâ coccineâ, esse decem Reges qui regnum nondum acceperant Imperante Vespasiano, quando illa visio oblata Joanni est, ut in Enarratione demonstro: sed accepturi erant: quod contigit senescente Imperio jam tum postremis annis Honorii, & multo plus sub ejus successoribus in Imperio Occidentali, usque ad Augustulum. Gentes hæ decem fuerunt: Vvisigotthi, Ostrogotthi, Vandali, Gepidæ, Eruli, Longobardi Burgundiones, Hunni, Franci, Anglosaxones. Hæ primum subjectæ Cæsaribus, sub iis militarunt. hoc docet Angelus vers. 13. his verbis: *Hi unum consilium habent, & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent: hi cum Agno pugnabunt.* Sequentur superstitiones Romæ Idololatræ, & ejus exemplo Christianos persequentur: sed, uti mox additur: *Agnus vincet eos*, hoc est, illi omnes decem Populi Christi Religionem amplectentur, quin, ut additur vers. 16. *Hi odient Fornicariam*, hoc est Romam, ab ejus Imperio rebellantes. *Et desolatam facient illam & nudam*, capientes sæpiùs & diripientes eam. *Et carnes ejus manducabunt*: Romani occidentalis Imperii membra præcipua Africam, Hispanias, Gallias, Italiam invadent, occupabunt ut propria, & in iis regna sua stabilient.

XX. EVENTUS.

Restat ultima Catastrophe destructionis & desolationis extremæ Romæ veteris, primùm Prophetata verbis his statim post modò descripta sequentibus: *Et ipsam igni concremabunt*, quod fecit Totila, quando & illud impletum est quod prædicitur cap. XVI. 19. *Et facta est civitas magna in tres partes.* Nam Procopius in Enarratione recitatus testatur: omnium qui Romæ fuere quo tempore illam Totila obsedit, trifariam hanc fuisse partitionem. Plurimi fame, ferro, morbis durante obsidione perierunt, superstitum Urbi captæ, duæ partes & sortes fuerunt. Nam Senatores & primarios quosque Totilas in Lucaniam movens secum duxit. Alios cives omnes cum uxoribus liberis & familiis in Campaniam abducendos curavit, solum destructæ Romæ prorsus vacuum, sine ullo homine relinquens. Potest etiam hæc tripartita desolatio conferri ad ædificia & muros Romæ: nam Procopius idem qui tum præsens rem spectavit: affirmat *tertiam partem murorum eversam à Totilâ duas reliquas semirutas relictas fuisse.*

XXI. EVENTUS.

Mille annis post pacem Ecclesiæ per Constantinum datam, quo toto spatio nulla fuit in Orbe Dynastia Christo infensa Romæ Idololatricæ comparabilis in Imperii latitudine ac potentia, fundatum est Othomanicum Imperium ab annis plusquàm trecentis florens summâ Christianissimi pernicie. Hujus rei vaticinium legitur illustre cap. xx. 7. his verbis: *Et cum consummati fuerint mille anni solvetur Satanas de carcere suo, & exibit & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor Angulos terræ Gog & Magog*: Per Gog & Magog hîc Othomanidas intelligi, evincit Enarratio. Addit Joannes de Gog & Magog: *Et congregavit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris.* Turci semper bella gerunt copiis numerosissimis. sequitur vers. 8. Et ascenderunt super *latitudinem terræ*. Signant hæc primum Turcorum ex Asiâ in Europam transitum sub Orchane Othomani filio & successore: vide Enarr. p. 441. Addit sacer Vates: *& circuibunt castra Sanctorum*, hoc est Hierosolymam & terram Sanctam non solum dominio tenebunt: sed & undique amplectentes, hinc Ægypto, inde Cypro, aliunde Syriâ & Mesopotamiâ sub ditione suâ positis, ut iter ad loca Sancta Christianis omnibus intercluſum sit, nec quisquam peregrinantium pietatis causâ eò possit penetrare nisi precariò acceptâ à Turcis licentiâ. subdit denique Joannes: & 1452. *capient civitatem dilectam* Hanc Constantinopolim interpretor à Mahomete II. expugnatam.

XXII. EVENTVS.

Ultimum hîc eventum ponam cultum SS. Martyrum vindicatorum, hoc est judicio Ecclesiastico declaratorum in fide & caritate tormentis pro Christo subeundis vitam clausisse. Talibus non ab ipso Ecclesiæ initio novimus habitum honorem, ut sub altaribus eorum Reliquiæ conderentur. Nam nihil tale in Protomartyre Stephano factum legimus in Actis cap. VIII. ubi tamen ejus funus religiosè curatum sacer narrat Historicus. Hoc igitur cum Joannes Apocalypsim scriberet nondum institutum, instituendum posteà præindicat, primò cap. VI. 9. ubi ait: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium*; in Græco originali, διὰ τὴν μαρτυρίαν, *propter Martyrium*. nondum corpora Martyrum reponebantur tunc sub Altaribus, quæ in illis cunabulis recens natæ Religionis nulla adhùc nisi instabilia, & furtim posita, propter metum Persecutorum, erant. Animæ tamen eorum jam eum locum suis corporibus præsagè hic præoccupasse referuntur. Primus omnium Felix Romanus Pontifex, qui sub Aureliano Martyr occubuit anno Christi 275. constituisse legitur: ut *Missæ suprà memorias & sepulcra Martyrum celebrarentur*. Id fiebat prævio examine de caritate & perseverantiâ finali Martyrum. Id, *judicium*, vocat S. Joannes, his verbis capitis xx. 4. *Et vidi sedes, & sedentes super eas, & ju-*

dicium datum est, & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter Verbum Dei. Hîc Animæ Martyrum quasi actrices repræsentantur pro suis corporibus petentes, ut honos eis habeatur, qui & decernitur his expressus verbis: *Et vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis, cæteri mortuorum non vixerunt mille annis, hæc est resurrectio prima.* Ex his apparet, honorem sacrum Martyribus decretum in eo consistere, quod vita jam nunc iis quædam moralis in memoria & veneratione viventium hominum tribuatur: & quod *regnent cum Christo*, in altaribus ubi ipse sub speciebus Eucharisticis residet, & à Fidelibus adoratur, ei considentes ipsi quoque, culti non *latriâ* ut ipse tamquam verè Deus, sed inferiori cultu, quem *duliam* nominant, ut servi Dei. quod hæc Resurrectio prima, & Regnum cum Christo, duratura dicantur annis mille, inde est, quia decretus licet ille cultus sacer ab anno circiter Christi ducentesimo fuerit, tamen in usum propter persecutiones induci non potuit, usque ad pacem Constantini; à quâ millesimo anno vertente, extitit Imperium Othomanicum Alcorano addictum honores Reliquiis habitos reprobanti: extitit & paulò post Hæresis Vvicleffi, in Hussitas postmodum ac tandem in Lutheranos, Calvinistas, &c. propagata 1372. qui magnam Europæ partem à cultu SS. averterunt. Vide Enarrationem à 1540. pag. 429. ad 439.

INDEX BIBLICUS.

LOCA EXHIBENS 'E SCRIPTURIS cæteris in hâc Apocalypsis Enarratione allegata, & non semel illustrata.

GENESIS.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
I.	14.	94.
II.	10.	28.
III.	1.	424
	6.	28. 391.
IV.	2.	62.
	10.	380.
V.	2.	192.
VI.	6.	110.
	7.	110.
IX.	13.	64.
XIV.	21.	390.
	18.	10.
XVII.	1.	298.
XVIII.	28.	304.
XXII.	17.	218
XXIX.	18.	304.
	20.	304.
XLII.	36.	433.
XLIX.	9.	72.
EXODUS.		
I.	14.	127.
III.	2.	470.
XI.	5.	397.
XII.	37.	201.
XIII.	2.	62. 298.
XXIV.	16.	321.
XXVIII.	38.	15.
XXX.	18.	65.
	34.	158.
XXXII.	23.	48.
	32.	48. 484.
XXXIII.	22.	18.
XXXIV.	29.	73.
XXXVII.	17.	22.
	25.	157.
LEVITICUS.		
VI.	10.	15.
XI.	13.	310.
XVIII.	22.	144. 156.
NUMERI.		
VIII.	16.	62.
XX.	12.	26.
XXIV.	23.	408.
DEUTERONOMIUM.		
IV.	24.	470.
XVII.	1.	141.
XXXII.	2.	294.
	23.	90.
XXXIV.	1.	202.
JOSUE.		
VI.	14.	110.
JUDICES.		
XVIII.	29.	105.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
	RHUTH.	
I.	20.	127.
	LIB. I. REGUM.	
II.	6.	19.
III.	7.	62.
	11.	177.
XV.	23.	219.
	LIB. II. REGUM.	
XII.	8.	454.
	29.	416.
XX.	25.	51.
	LIB. III. REGUM.	
IV.	5.	51.
	10.	322.
VIII.	23.	65.
	62.	322.
X.	11.	386.
XVIII.	21.	55.
XIX.	18.	197.
XXII.	27.	86.
	LIB. IV. REGUM.	
II.	11.	192.
III.	15.	110.
VI.	17.	347.
XXIII.	25.	331.
XXV.	29.	352.
	LIB. I. PARALIP.	
XXIV.	17.	64.
	LIB. II. PARALIP.	
IV.	2.	65.
	7.	194.
V.	14.	321.
	TOBIAS.	
VIII.	4.	422.
XIII.	2.	452.
	24.	462.
	JUDITH.	
II.	2.	364.
	ESTHER.	
II.	13.	405.
	15.	405.
IV.	1.	127.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
	JOB.	
I.	6.	219.
II.	6.	243.
III.	14.	216.
IV.	18.	319.
XL.	12.	218.
	PSALMI.	
I.	2.	67.
II.	3.	10.
	6.	168.
VII.	10.	41.
XVII.	13.	81.
XVIII.	5.	17.
	6.	173.
XXIV.	10.	174.
XXVIII.	9.	303.
XXXIII.	22.	324.
XXXV.	9.	479.
XXXVIII.	21.	219.
XLIV.	3.	82.
	4.	82.
	6.	415.
	10.	18.
	14.	406.
	17.	193.
XLVIII.	8.	162.
LIV.	7.	222.
	16.	92.
LV.	6.	455.
LVI.	1.	317.
	3.	317.
	4.	317.
LVII.	11.	185.
LIX.	3.	174.
	6.	82.
LXVI.	8.	70. 402.
LXVII.	5.	345.
	11.	185.
	13.	297.
	34.	101. 345.
LXVIII.	3.	467.
	29.	48. 484.
LXIX.	12.	52.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
LXXI.	13.	219.
LXXVI	10.	174.
LXXVII.	49.	163.
XCII.	1.	16.
XCIV.	10.	168.
XCVI.	3.	445.
CIII.	3.	95.
	4.	162.
CVI.	23.	393.
CVIII.	6.	219.
CIX.	1.	173. 176.
	24.	416.
CXIX.	4.	10. 81.
CXXV.	6.	421.
CXXVI.	4.	81.
CXXXVI.	8.	380.
CXLIII.	6.	81.
PROVERBIA.		
III.	32.	145.
XII.	22.	145.
XV.	9.	145.
XV.	5.	145.
XXX.	27.	140. 141.
ECCLESIASTES.		
III.	5.	391.
VII.	2.	45.
CANTICUM CANT.		
I.	16.	101.
II.	10.	451.
III.	7.	201.
	8.	201.
	9.	202.
	10.	202.
V.	11.	319. 470.
VIII.	6.	283.
	7.	57. 315.
	8.	186.
SAPIENTIA.		
I.	7.	476.
V	1.	92. 303.
VIII.	1.	317.
XIII.	24.	362.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
ECCLESIASTICUS.		
X.	8.	398.
XXIII.	28.	16. 412.
XLIV.	16.	192. 194.
XLV.	14.	27.
XLVIII.	9.	198.
	10.	193.
ISAIAS.		
I.	1.	4.
II.	2.	459.
	3.	462.
III.	4.	339.
IV.	3.	48. 484.
VI.	13.	198.
VII.	8.	192.
IX.	2.	490.
	3.	421.
X.	6.	172.
	8.	228.
XI.	3.	306.
	5.	16.
	9.	485.
XIII.	5.	179.
	6.	179.
	9.	179.
	10.	179.
XVIII.	2.	299.
	21.	376.
XIX.	1.	173.
XXVI.	5.	356.
	11.	403.
	18.	304.
XXVIII.	4	391.
	16.	466.
XXIX.	1.	26.
XXX.	20.	86.
XXXIV.	4.	95.
XXXV.	13.	376.
XLII.	14.	92.
XLIV.	5.	283.
XLV.	4.	172.
XLVII.	7.	382.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
XLIX,	10.	108.
LVIII.	2.	316.
LX.	1.	52.
LXIII.	2.	414.
	3.	416.
	8	418.
JEREMIAS.		
III.	16.	203.
VII.	34.	391.
IX.	14.	99.
XIII.	23.	231.
XVI.	9.	395.
XVIII.	21.	92.
XXI.	14.	101.
XXII.	24	18.
XXV.	10.	326.
	13.	125.
XXXIII.	11.	391.
LI.	1.	99.
	2.	99.
	63.	395.
THRENI.		
III.	29.	77.
IV.	3.	376.
	8.	85.
BARUCH.		
II.	23.	
EZECHIEL.		
I.	1.	62.
	28.	64.
II.	9.	184.
IV.	6.	86.
V.	12.	357.
VIII.	3.	63.
IX.	6.	26.
XI.	24.	63.
XIII.	9.	148.
XIV.	12.	423.
	16.	27.
XXIV.	21.	27.
XXVII.	13.	389.
	36.	385.
XXXII.	7.	129.
XLIV.	2.	50.
DANIEL.		
V.	1.	227.
VII.	2. 99.	227.
	6.	230.
	8.	240.
	13.	209.
	20.	240.
	25.	191.
VIII.	26. 407.	493.
X.	3.	27.
XII.	3.	206.
	4. 407.	493.
XIII.	9.	493.
OSEE.		
I.	2.	62.
IV.	8.	421.
XI.	19.	405.
XII.	12.	394.
JOEL.		
II.	10.	129.
	18.	486.
III.	14.	129.
AMOS.		
V.	24.	485.
VIII.	9.	129.
MICHÆAS.		
III.	11.	305.
NAHUM.		
II.	10.	85.
HABACUC.		
I.	8.	231.
III.	2.	174.
SOPHONIAS.		
I.	12.	376.
II.	15.	382.
ZACHARIAS.		
III.	1.	219.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
III.	8.	51. 101.
IV.	2.	22.
VI.	12.	51. 101. 345.
XI.	3.	
MALACHIAS.		
III.	1.	172.
IV.	5.	192. 193.
LIB. II. MACCAB.		
II.	2.	347.
III.	4.	50.
IX.	4.	240.
EVANG. MATTHÆI.		
V.	14.	45.
	16.	482.
	22.	26.
	33.	215.
VI.	10.	108. 215.
	24.	55.
	25.	392.
VII.	19.	487.
VIII.	19.	297.
X.	2	465.
	21.	84.
	27.	299. 486.
	34.	18. 84.
XI.	10.	299.
	17.	383.
XII.	43.	375.
XIII.	30.	494.
XIV.	24.	271.
XV.	16.	393.
XVI.	18.	225.
	19.	51.
XVII.	2.	175.
	11.	192.
XVIII.	6.	42. 396.
	18.	447.
	20.	294.
XIX.	21	297.
	28.	59. 217.
XXI.	33.	99.
XXII.	7.	99.
XXIV.	2.	180.
	22.	103.
	24.	192.
	40.	396.
	47.	144.
XXV.	23.	18.
	34.	203.
	41.	449.
	46.	303.
XXVI.	29.	479.
	39.	381.
	53.	167.
	64.	174.
XXVIII.	18.	20.
	19.	306.
	20.	81. 294.
EVANG. MARCI.		
III.	17.	79. 471.
IX.	45.	309.
X.	30.	12.
XI.	23.	119.
XVI.	16.	306.
EVANG. LUCÆ.		
I.	9.	188.
	17.	193.
	31.	54.
	36.	45.
	51.	173.
	78.	51. 375.
II.	23.	298.
	34.	215.
VI.	48.	224
VIII.	30.	162.
	31.	139. 425.
X.	22.	10.
	23.	408.
XI.	21.	208.
	35.	101.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
XIII.	27.	24.
XIV.	33.	11.
XV.	32.	45.
XVI.	8.	374. 490.
	23.	303.
XVII.	21.	108. 215.
XIX.	12.	83. 167.
	14.	403.
	41.	78.
XXI.	5.	96.
	45.	162.
XXII.	53.	97.
XXIII.	30.	314.
	31.	114. 146.
XXIV.	25.	418.
	26.	75. 167.

EVANGELIUM JOANNIS.

I.	12.	207.
	14.	243.
	18.	10. 72.
	29.	4.
	51.	167.
III.	5.	46.
IV.	13.	108. 454.
	34.	418.
V.	19.	6.
	21.	482.
	22.	25. 59. 74.
	31.	67.
	35.	307.
VI.	44.	215.
VIII.	12.	175. 490.
	24.	88.
	29.	6.
	30.	72.
	34.	207.
X.	10.	155. 246.
	16.	105.
XI.	48.	219. 269.
XIII.	35.	54.
XIV.	23.	108.
XVIII.	11.	381.
XIX.	11.	243.
XX.	28.	475.
XXI.	22.	30.

ACTA APOSTOLORUM.

I.	7.	6. 162. 404.
	15.	47.
II.	45.	11.
IV.	12.	207.
	37.	11.
V.	36.	59.
VIII.	1.	215.
	9.	218.
	23.	126.
X.	38.	155.
	42.	59. 74. 448.
XI.	26.	11.
	27.	85.
XII.	2.	471.
	5.	158.
XIII.	26.	299.
	33.	10.
	48.	143. 246.
XIV.	26.	52.
XVII.	30.	300.
XIX.	40.	13.
XX.	29.	24. 212.
XXI.	38.	140.
XXVIII.	22.	205.

EPISTOLA AD ROMANOS.

II.	18.	30.
VI.	9.	19. 460.
VIII.	17.	456.
	18.	455.
IX.	2.	186.
	6.	30.
	7.	6. 51.
X.	15.	21.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
XIII.	12.	205. 490.
	14.	51.
I. AD CORINTHIOS.		
I.	23.	173.
II.	9.	490.
III.	6.	294.
	11.	466.
	12.	465.
	16.	482.
IV.	4.	26.
	15.	207.
VI.	3.	449.
X.	4.	407. 474.
	13.	109.
	18	311.
XI.	4.	70.
XV.	51.	435. 436.
	52.	157.
XVI.	9.	52.
II. AD CORINTHIOS.		
VII.	4.	109.
XII.	2.	63.
AD GALATAS.		
III.	14.	6.
	27.	51. 175.
IV.	19.	207.
	28.	6.
V.	22.	487.
VI.	16.	311.
AD EPHESIOS.		
II.	4.	174.
	20.	460.
III.	17. 51. 108. 207. 294.	
IV.	9.	167.
V.	22.	17.
	27.	25.
	31.	405.
VI.	12.	374.
	17.	215.
AD PHILIPPENSES.		
II.	1.	186.
	6.	417.
III.	20.	215.
AD COLOSSENSES.		
I.	24.	416.
II.	9.	201.
III.	3.	215.
	5.	219. 496.
	12.	186. 351. 407.
I. AD THESSALONICENSES.		
IV.	16.	25.
	17.	25. 437.
V.	8.	351.
II. AD THESSALONICEN.		
II.	5.	5. 351.
	8.	291.
I. AD TIMOTHEUM.		
III.	1.	24.
V.	6.	29. 45.
II. AD TIMOTHEUM.		
II.	5.	455.
IV.	1	24. 200.
AD TITUM.		
I.	12.	
AD HEBRÆOS.		
IV.	13	16.
VI.	4.	22.
VII.	24.	49.
IX.	4.	158.
X.	32.	23.
XI.	1.	467.
XII.	2.	76.
	22.	200.
EPISTOLA JACOBI.		
III.	2.	
I. PETRI.		
III.	19.	167.
IV.	17.	26.
V.	13.	301.
II. PETRI.		
I.	13.	243.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
II.	4.	139. 447.
III.	1.	42.
	12.	444.

I. JOANNIS.

II.	18.	212.
III.	14.	54.

Cap.	*Verſ.*	*Pag.*
V.	4	31. 221.
	8.	446.

EPISTOLA JUDÆ.

	2.	298.
	6.	447.
	13.	212.

INDEX AUTORUM
QVI ALLEGANTVR IN HAC Enarratione Apocalypſis.

ABbas Joachim, 9. 54.
Abulenſis, vide Toſtatus 472. 476.
Achmes, 129.
Ælianus, 283. 469.
Ælius Spartianus, 233. 272.
Agathias, 371.
Albertus Magnus, 472.
Alcaſar, 9. 172. 467. 478. 479.
S. Ambroſius, 9. 39. 208. 290. 435. 460. 476. 499.
Amianus, 165.
Ammonius, 482.
Andreas Cæſarienſis, 192.
Andreas Cretenſis, 287. 290. 317. 319. 499.
Ansbertus, 290. 319. 409. 445. 499.
Anſelmus, 39.
Aquila, 303. 390.
Arias, 379.
Aretas, 192. 287. 290. 317. 470. 499.
Ariſtides, 31.
Ariſtophanes, 283. 295. 342. 377.
Ariſtoteles. 232.
Ariſtoxenus, 232.
Arnobius, 488.
Artemidorus, 129. 130.
Athanaſius Kircher, 66.
Athenæus, 86. 391.
Athenagoras, 275.
S. Auguſtinus, 64. 208. 209. 217. 303. 337. 343. 379. 445. 449. 455. 460. 468. 471. 487. 488.
Aurelius Victor, 213. 240. 251. 252.
Auſonius, 352.
Autor Actorum S. Sebaſtiani M. 284
Autor Concionis exegeticæ in feſto Ss. Innocentium, 295.
Autor Paneg. Maximiano dicti, 330.
Autor Paneg. Conſtantino dicti 252.
Autor Reſponſionũ ad Orthox. 279.
Autor Vitæ S. Majoli, 80.
Aymo, 9. 290. 319. 409. 445.
Baluzius, 249.
S. Baſilius, 142. 415.
Baronius, 23. 60. 107. 105. 241. 247. 251. 284. 321. 343.
Ven. Beda, 92. 172. 192. 288. 290. 319. 323.
Bellarminus, 93. 191. 434.
Benedictus, 60.
Benedictus XII. 92.
Berchorius, 472.

S. Bernardus 43. 417.
Beſſonus 39. 40. 44. 91. 94. 95. 103. 104. 202.
Bollandus 28. 30. 32. 44. 284. 433.
Breviarium Romanum 431.
Cæſarius 192.
Caietanus 191.
Capitolinus 323. 328.
Caſaubonus 36.
Caſſianus 55.
Caſſiodorus 328.
Catellius 433.
Cedrenus 251.
Celerinus 107.
Celſus 56.
Calcondyles 439. 441.
Cheſnæus 433.
S. Chryſoſtomus 165. 173. 483.
Cicero 100. 117. 189. 210. 231. 237. 295. 302. 398.
Claudianus 373. 382.
Claudius Robertus 433.
S. Clemens Rom. 33.
Clemens Alexand. 33. 298. 488.
Climacus 55.
Concilium Tridentinum 496.
Conſtantinus Porphyrogenitus 249. 251. 390. 425.
S. Cyprianus 22. 191. 217. 337.
S. Cyrillus Alex. 17. 196. 197. 231. 485.
Cyrillus, Hieroſolymitanus 142.
Dabir Arabſ. 231. 232.
Diogenes Laërtius 86.
Dion Caſſius 94. 230. 245. 312. 313. 323. 369.
Dionyſius Alexandrinus 333.
Dioſcorides 460 468. 475.
Dorotheus 33. 55. 80.
S. Dionyſius Areopagita 37.
Eccleſia in Divinis Officiis 6. 107. 294. 477. 488.
Edictum Maximini 333. 334.
Emanuel Sa 60.
Ennius 430.
S. Ephreni 192.
S. Epiphanius 13. 26. 32. 212. 473.
Evagrius 335.
S. Eucherius 27.
Euſebius Cæſarienſis 28. 33. 44. 94. 144. 164. 172. 173. 190. 240. 248. 251. 273. 307. 312. 328. 333. 348. 425. 485. 488.
Eunapius 261.
Euſtathius 128. 463.
Eutropius 248. 252. 290. 323.
Fauſtus Nayronus 43.
Ferrandus 181.
Ferrarius 80.
Feſtus 363.
Florus 209.
Frontinus 44. 189.
Gagnæus 60.
Galenus 323.
Galeſinius 284.
Gamaliel 60.
Gaufridus Monachus 498.
Gelaſius 335.
Gellius 240. 321.
Gloſſæ Baſilicorum 390.
Gregoras 439.
S. Gregorius Magnus 192. 207. 404. 409. 498.
S. Gregorius Nazianzenus 45. 165. 334. 488.
S. Gregorius Nyſſenus 334.
Gruterus 284. 287. 288.
Hegeſippus 217. 240. 241.
Henſchenius 28. 30. 32. 256. 284. 413.
Herodianus 323. 325. 326. 327. 328. 333. 336.
Herodotus 86. 395.
Heſychius Grammaticus 28. 283. 377.
Hierocles 261. 273.
S. Hieronymus 32. 142. 190. 216. 231. 301. 307. 314. 374. 378. 451. 468.

S. Hilarius

S. Hilarius 32.
Hippocrates 86.
S. Hippolytus 33. 105. 192. 290.
Homerus 117. 128. 295. 380. 386. 462.
Horatius 11. 17. 48. 121. 154. 320. 355. 389. 395. 396. 397. 430.
Hugo Grotius 13. 38. 39. 287. 288. 461.
S. Ignatius martyr 32.
S. Joannes Damascenus 192.
Joannes Hessels 284.
Joannes Presbyt. Nicomediensis 255.
Jornandes 371.
Josephus 60. 89. 96. 97. 109. 115. 118. 120. 121. 122. 127. 130. 132. 134. 136. 137. 138. 144. 145. 146. 148. 149. 151. 153. 159. 160. 162. 168. & sequentibus octo. 178. 179. 183. 184. 186. 189. & s. 195. 196. 198. 206. 208. 210. 264. 368. 408. 486.
S. Irenæus 32. 176. 212. 287. 290.
Isidorus 192. 233. 471. 473. 477.
Isocrates 393.
Julianus Apostata 233.
Julianus Africanus 488.
Julius Cæsar 110.
Jus Civile Romanum 13. 281. 284. 335.
S. Justinus martyr 278. 311. 470. 488.
Juvenalis 71. 214. 258. 259. 336. 389. 392. 407.
Lactantius 235. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 340. 488.
Lampridius 325. 327. 339.
S. Leo 281. 364. 438. 439.
Leontius 102.
Leunclavius 428. 441.
Liturgia Mosarabica 80.
Lorinus 60. 80.
Lucanus 228.
Lucianus 259. 261. 263. 278. 280. 283. 307. 389 440.
Macarius Magnus 58.
Malvenda 105. 166. 191. 192. 291.
Marcellinus 371.
Martianus Capella 284.
Martialis 181. 210. 236. 238 239. 289. 369. 386 396.
Martyrologium Romanum 32. 323.
Mathiolus 478.
Menologium Græcorum 32.
Mercerus 191.
Minutius Felix 488.
Monachus Anonymus 284.
Nazarius 344. 346.
Nicephorus 33. 439.
S. Nilus 45. 46. 424. 497.
Oecumenius 80.
Oleaster 191
Origenes 184. 488.
Ovidius 91. 95. 209.
Pachymeres 427.
Pagninus 64.
Pantenus 66.
Papebrochius 413.
Papias 66.
Paulinus 190.
Paulus Orosius 252. 311. 323. 328. 371. 378
Pausanias 8. 210.
Pererius 39. 191.
Persius 36. 397.
Petavius 28, 94. 96. 147. 162. 202. 241.
Phemonoë Sibylla 8.
Philo 90. 345.
Philostratus 257. 261. 262. 266. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276 277.
Phrantzes 439.
Pionius 28. 29. 30.
Plautus 396.
Plinius Junior 35. 71. 239. 246. 281.
Plinius Senior 17. 35. 45. 46. 57. 64. 94. 95. 111. 126. 141. 209 210. 234. 273. 389 387. 440. 468. 474. 475. 477. 478.
Plutarchus 35. 70. 86. 106. 232. 465.
Pollux 385. 389.
Pomponius Lætus 373.
Porphyrius 264. 265.

Primasius 9. 39. 172. 192. 290. 317. 445. 499.
Procopius in Isaïam 283.
Procopius Historicus 357. 358. 372. 383. 392.
Propertius 210. 353.
Prosper 192. 457.
Prudentius 91. 282. 338.
Pseudo-Esdras 106. 109.
Pythagoras 86.
Rabbi Abenezra 202.
Rabbi Abraam 64.
Rabbi Chanina 54.
Rabbi Joannes 165. 312.
Rabbi Salomon 202.
Rabbinus Salmaticensis 312.
Rescriptum Constantini 475.
Rescriptum Trajani 35.
Ribera 39. 172. 191. 342. 410.
Richardus Victorinus 172.
Rigaltius 189.
Rueus 477. 478.
Rufinus 165.
Rupertus 9. 39. 290. 429. 459.
Salianus 60.
Salvianus 360.
Saussayus 433.
Scholiastes Hesiodi 17.
Seneca 383.
Serenus Samonicus 376.
Serrarius 191.
Servius 17. 81. 284.
Sibillyna Oracula 291.
Silius Italicus 83.
Sixtus III. 80.
Smyrnenses 28.
Socrates 165. 334.
Solinus 473. 475. 477.
Sophronius 80.
Sozomenus 335.
Spartianus 247.
Specimen sapientiæ Indorum veterum 471.
Spondanus 427. 428. 439. 441.
Statius 31. 236. 238.
Stephanus Menochius 397.
Strabo 47. 53. 275. 287.
Suarez 191.
Suetonius 34. 37. 214. 226. 230. 236. 238. 247. 271. 286. 321. 336. 360. 366. 369.
Suidas 17. 47.
Surius 251.
Symmachus 337.
Symmachus Interpres 390.
Tacitus 224. 225. 226. 235. 236. 325. 335. 336. 360. 365. 368. 369.
Tatianus 488.
Tertullianus 13. 142. 190. 192. 217. 229. 233. 241. 242. 301. 305. 308. 321. 337. 488.
Theodoretus 33. 56. 85. 142. 165. 231. 488.
Theophilus 488.
Theophrastus 386. 387. 472. 477. 479.
S. Thomas 9. 191. 488. 499.
Thomas Valdensis 431.
Tibullus 397.
Titus Livius 100. 128. 160.
Tostatus 46. 191. 472. 476.
Trebellius 233. 323. 329. 340.
Tychonius 445.
Valerius Flaccus 170.
Valerius Maximus 126. 209.
Varro 210. 321. 363. 387.
Vegetius 283.
Victorinus martyr 9. 287. 290.
Villalpandus 101.
Virgilius 10. 17. 70. 95. 112. 114. 128. 129. 139. 152. 160. 177. 200. 210. 225. 240. 286. 343. 344. 353. 354. 382. 386. 389. 395. 424. 441. 442. 454. 488. 499.
Vitruvius 34.
Vopiscus 249. 279. 330.
Xenophon 385.

Xiphilinus 94. 163.
Zonaras 251.
Zosimus 323. 335. 337. 342. 344. 347. 349. 350. 376. 379.

INDEX IV.

PERSONARUM ET RERUM MEmorabilium, quarum mentio fit in hac Enarratione Apocalypsis.

A

Aaronici Sacerdotii à Chriſtiano diſcrimen 7. 49. 50.
A & Ω cur Chriſtus dictus 12. 494.
Abaddon quid ſignificet 154. 155.
Abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto, Templo Hieroſolymitano, quæ intelligatur à Chriſto & Daniële 144. & ſ.
Abonitichus Patria Alexandri Magi, ubi oracula vendebat 278.
Abſynthium cur nominetur Stella cadens de cœlo, deſignans Impoſtorem 125. & ſ.
Abſynthii ramum Iſiaci olim præferre ſoliti 126.
Abſynthio cur cibandos Pſeudo-Prophetas Deus per Jeremiam minetur 127.
Abyſſus ſignificat Infernum & puteum Tartari 139.
Achilles, licet dudùm occiſus, tamen vivere adhuc affirmabatur ab Apollonio Mago; qui & ejus cultum tanquam Dei promovebat, 275.
Adamas, quem Jaſpim Joannes vocat, ab indomabili duritie nomen græcum invenit; Hebræis conſimili etymo dictus Jahalam 63. 64.
Ægyptius Impoſtor memoratus à Lucâ in Actis, ſignatur à Joanne ſymbolo Stellæ caducæ 125.
Æſculapius Pergami cultus: propter quod dicitur à Joanne, ibi eſſe ſedes Satanæ 31.
Æſculapius in ſerpente vivo exhibitus ab Alexandro Mago 278.
Alexander Magnus ſpecie Pardi Daniëli oſtenſus, quot quamque ſingulares habuerit cum Pardo ſimilitudines 231. 232.
Alexander Magus Apollonii alumnus 261.
Oraculo confecto illudit M. Aurelio Philoſopho, bellum ad Iſtrum gerenti, clade inde ſecuta viginti millium Romanorum 263.
Amen, nomen hebraicum, tria hæc vocabula colligens, Dominus, Rex, Fidelis; 54. 55.
Amen adverbium affirmandi jungi-

tur à Joanne cum *etiam* : ſicut à Marco & Paulo Abba cum Pater 11. 12.

Amethyſtus cur gloriam æternam ſignet 479.

Angeli nomen Chriſto tributum, 172.

Angeli quatuor priùs ligâti ad Euphraten, poſtea ſoluti; ſunt quatuor Romanæ Legiones limitem Imperii ibi tueri ſolitæ 159.

Anguli caput in quod provectus dicitur Chriſtus, lapis myſticus, quid ſit 474.

Anchialum per quod jurare Verpum Martialis jubet, videtur ſcriptum pro Amchiolam 181.

Animæ Mancipia dicuntur 389.

Animalia ſervi dicti reperiuntur 390

Apertio Oſtii in cœlo Joanni viſa, ſignificat primam omnium eam fuiſſe ipſi oblatam viſionem 62.

Apertiones ſigillorum Libri damnationem Judæorum continentis varias ejus damnationis cauſas & gradus ſignant 78. & ſ.

Apocalypſis uno ſingulari nomine colligit multas Apocalypſes ſive revelationes 4.

Apollonius Magus ſuccenturiatus à Lucifero Simoni 259.

Priùs cornu ſecundæ Beſtiæ à Joanne memoratæ 259.

Cooperatur promovendis ad Imperium Nervæ & Trajano 262.

Curat per Veſpaſianum edi falſa miracula 272.

Comparatus & prælatus Chriſto ab Emiſſariis Diaboli, præſertim Hierocle. 261. 273.

Signa multa & magna feciſſe dicitur 269. & ſ.

Mortis ejus modus verus de induſtriâ occultatus, falſus à Philoſtrato confictus 268.

Apollyon cur vocatus Angelus abyſſi Zelotas regens 155.

Apoſtoli ſoliti arcanò communicare Fidelibus Prophetias imminentium eventuum, clâm haberi interim juſſas 5.

Aquila per medium cœlum vociferans Væ, væ, væ, quid præſignet 132.

Arcis Antoniæ deſcriptio 17. & ſ.

Armageddon, quàm aptè vocatus à Joanne campus in quo Conſtantinus Maxentium vicit 523.

Articuli Symboli duodecim Apoſtolis reſpondentes ingeniosè figurantur per gemmas totidem 466. & ſ.

Aſſis Romani diviſio in decem particulas vera eſt: licet ſolæ tres proportionales recenſeantur 461.

Aſcendens in cœlum Chriſtus rectè ſignatus per Chryſolithum 474.

Avaritia ſub Idololatriâ comprehenſa 496.

Aurum ſymbolum divinitatis 474.

Autophona Oracula Æſculapii ab Alexandro Pſeudomante carò vendita, quæ fuerint 278.

B

Babylon ſymbolicè vocata Roma imperans, Idololatra, Perſecutrix Chriſtianorum 364.

Baptizatorum omnium collectio ſive Eccleſia, ſignatur per mare vitreum 65.

Bartholomæus Apoſtolus, priùs Nathanael vocatus 473.

Apté de signatur symbolo gemmæ Sardii 474.
Basterna lectica manualis ab Animalibus, hoc est, servis emptitiis portata 390.
Bellum Romanum contra Judæos, sub Nerone inchoatum, à Vespasiano adhuc privato gestum, cum successu destructionis Urbis ac Templi Hierosolymæ: Judæis tamen sæpe deinde rebellantibus renovatum sub Trajano, Hadriano, Severo, Constantino, solùm memoratur in Apocalypsi. Reliqua eventa Judaicæ Genti per Orbem exulaturæ usque ad finem mundi occursura, etsi Joanni per septem tonitrua indicata sunt, tamen ea non scripsit, Christo vetante 178.
Beryllus gemma, sine auro melior: ideò symbolum Matthæi è telonio conversi, clarioris post opes rejectas 475.
Bestia quæ fuit & non est, designat Domitianum 368.
Bestia quæ habet plagam gladii & vixit Apoc. XIII. 14. quid significet 359. 360.
Bilibris tritici mensura cibi homini diurna 86.
Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario pariter taxatæ quid indicent *ibid.*
Bucolus verisimiliter fuit Episcopus Smyrnensis ad quem inscribitur Epistola in Apocalypsi 37. 38.

C

Calcedonii gemmæ dotes ad usum symbolicæ indicationis 470. & s.
Candelabri nomine cur Ecclesia signetur 15. 21. 22. 26.
Candor capillorum Christi apparentis ad exercendum judicium quid significet? & cur lanæ ac nivi comparentur? 16.
Catholicæ Epistolæ Autorem fuisse Jacobum Majorem Joannes indicat, & alii testes affirmant 79. 80.
Caucasus Mons à Gog qui in eo habitavit, & metallis ex eo eruendis operam diuturnam impendit. Nomen invenit, dictus *Gog chasan* Arx Gogi: unde *Caucasus* 439. 440.
Cedrinæ & Citrinæ mensæ Romanis antiquis pretiosæ, ex quo ligno fuerint 387.
Christus cur autor Apocalypsis dicatur, uti & Evangeliorum 5. 6.
Christus cur testis fidelis appellatus 9. 10.
Cur idem dictus primogenitus mortuorum 10.
Chœnix victus hominis diurnus: Chœnici insidere vetans Pythagoras, quid indicaret 86.
Chrysolithus Christi glorificati symbolum 474.
Chrysoprasus lapillus decimũ symboli Apostolici Articulum signat 477.
Clavis David quid sit? 50. 51.
Claves mortis & Inferni quid significent & in cujus manu sint 19.
Constantini victoria de Maxentio, signata effusione Phialæ sexti Angeli.
Vide Synops. Chron. Ev. XVI. partis secundæ.

Eâ fiduciâ omittuntur multa in hoc quarto Indice, quia satis in illo primo notata sunt.

Corpora dicuntur Personæ ingenuæ & liberæ : Vernæ autem & Servi Animæ vocantur 388. 389.

D

Daja priùs & patrium nomen Maximini, deinde Cæsaris, teterrimi Persecutoris 250.

Mors ejus miserrima 253.

Damis discipulus Apollonii ab eo missus ad Nervam Imperatorem 262

Decius dirus Ecclesiæ persecutor citò extinctus 248.

Desiderium objectivè sumptum pro cibo specie ipsâ gulam acriùs irritante 27.

Diocletianus cum Collegis ab eo adscitis, pedibus ursinis bestiæ mysticæ designatus 234.

Vetat ne quis emat aut vendat nisi priùs thus Idolis adoleverit 284.

Infelicissime in summis ærumnis & angoribus moritur 251. 252.

Domitianus os leoninum bestiæ mysticæ 230.

Cur dicatur, Bestia quæ fuit & non est; quæ de septem est & erit octava, & ascensura de abysso, & in interitum itura 366. 368. & s.

Adorari se ut Deum jubet 238. & s.

Ejus persecutio trium annorum cum dimidio 241.

E

Eleazarus Anani filius autor & pertinax defensor pravi dogmatis signatus per stellam cadentem 134.

Ephesina Episcopalis sedes subjectas sibi alias sex habuit 23.

Episcopi cur Angeli dicantur 21.

Epistolæ Catholicæ Jacobi autor, etsi Jacobus minor vulgò creditur : tamen eam Majori gravia testimonia vindicant 79. 80.

Evangelium Joannis quando scriptum & editum fuerit 7.

Id factum ante publicatam Apocalypsin ipse Joannes indicat ver. 2. cap. 1. 6.

Europa cur à Joanne dicta latitudo terræ 441.

Execrati qui dicantur à Joanne, 456.

F

Fluvius ex ore serpentis missus in mulierem amictam Sole, significat persecutionem primam Neronis 223. & s.

Fluvius idem absorptus à terrâ adjuvante mulierem, designat conversam in Romanos Neronis crudelitatem 225. & s.

Folia ligni ad sanitatem Gentium, significant libros scriptos & vulgatos à Doctoribus Christianis olim ad coarguendam falsitatem Idolorum 488. & s.

Formatarum litterarum, quæ erant olim tessera communionis Catholicæ, artificium 27.

S. Fulcrani corpus post annos à morte quingentos integrum, ab Hæreticis conjectum in ignem, nec à flammis læsum, ab iisdem in frusta conciditur 432. 433.

Fundamenta Ecclesiæ Apostoli tantùm secundaria in Christo primo fundamento fundata 466.

G

Galerius, vide Maximianus Armen-

tarius.
Genſericus meritò inter Antichriſtos relatus nomen habet per numeros æquivalens nomini Antichriſti *666.* 290.
Geſſius Florus Judææ Præſes iniquiſſimus cauſa belli Romani 89. 90.
Gladius utrinque acutus cur dicatur ſermo Chriſti 18. 420.
Gloria æterna ; quâ ratione verè dicatur gratis dari ; cum tamen certò conſtet, eam rependi meritis, & in remunerationem reddi 454. 455. 499.
Grammatias dicta gemma Jaſpis perfectiſſima 469.
Grammatici Canones ab Apoſtolis græcè ſcribentibus interdùm neglecti 8. & 9.
Gygea dicta Lydia, à Gyge, ſive Gog. ibi olim dominato 439.

H

Hadriani Auguſti deſperatiſſima mors 247.
Hieruſalem nova de cœlo deſcendens eſt Eccleſia militans in terris 458. & ſeq.
Hyacinthus gemma hodie diverſa ab ea quam Veteres eo vocabulo ſignabant 478.
Eſt ſymbolum pœnitentiæ *ibid.*

I

Jahalam nomen Hebraicum Adamantis ſignificat etiam ex origine illius linguæ, duritiem incudes & malleos frangentem 63. 64.
Jaſpis juxta quoſdam etiam adamas dicitur, aut propter duritiem de genere adamantum eſt 64.
Jaſpidis gemmæ, primi fundamenti novæ Jeruſalem, conſideratio 468.
Jezabel Joanni memorata cap. 11. 20. quæ mulier fuerit 38. & ſ.
Incēdia, præſertim divinitùs immiſſa, ut id quo Pacis, & aliud quo Fortunæ Templa cōſumpta penitùs ſunt, pars fuere cladium Romæ Ethnicæ immiſſarum in ultionem fuſi Chriſtiani ſanguinis 315. 316.
Joannes Evangeliſta bis relegatus in Patmon Inſulam 13.

L

Liber vitæ qui dicatur 480.
Liber vitæ ſcriptus ab origine mundi quid ſit 245. 246.
Libri Scripturæ *Teſtamenti veteris* ad numerum litterarum Hebraicarum digeſti 12.
His, ut adæquaret numerum duabus unitatibus audctiorē Alphabeti Græci, videtur Joannes adjunxiſſe Novum Teſtamentum in duas diviſum partes ; hoc eſt in Chriſti & Apoſtolorum dicta 12.
Licinius aliquando auxilio Chriſti manifeſto victor; deinde ingratiſſimè in Chriſtianorum perſecutorem mutatus, à Conſtantino victus & Imperio privatus, relegatuſque in Galliam, eo itinere Theſſalonicæ moritur 254. 256.
Luciferi vincula mille annorum, quo anno ceperint, quove deſierint 424. 427.

M

Magog Syris dicta Hieropolis 440.
Mare unde mortui redditi dicuntur Ap. cap. xx. quid significet 446.
Maximianus Galerius Armentarius Ursis homines devorandos per ludum dabat 250.
Diocletianum diù invitum compulit ad conatum exscindendi Christianismi 249.
Vi ac minis Diocletianum adegit ad abdicandum Imperium 249.
Mors secunda interdum vocatur resolutio cadaveris in tabum aut cinerem 31.
Mors prima hujus respectu est separatio animæ à corpore *Ibid.*
Sed hæc plerumque allegoricè dicuntur de totidem mortibus animæ quarum prior est, lapsus in peccatum mortale; altera impœnitentia finalis 31.

N

Nathanaël idem cum Bartholomæo Apostolo 473.
Nicolaüs è septem Diaconis, non fuit autor Hæresis Nicolaïtarum, 32. 33.
Nomen Dei tetragrammaton cur ineffabile dicatur 8.
Constat quatuor literis initialibus totidem vocabulorum; hæc sunt *erit, est & fuit* 8.
Quomodo id Joannes expresse vers. 4. cap. 1. & cur in eo efferendo quippiam immutaverit 89.

O

Oculi Christi cur potiùs flammæ ignis comparentur quàm radiis Solis 16.
Olympionicarum honores & præmia 34. 35.
Onesimus successor Timothæi in Episcopatu Ephesino 23.
Opus Episcopi *bonum* à Paulo dictum, quid sit 29. 30. 31.

P

Pedes Christi cur auricalcho liquefacto comparentur 17.
Pergamus peculiari ratione dicta sedes Saranæ propter cultum ibi præcipuè vigentem Æsculapii 39.
Phemonoë Sybilla versu recitato à Pausaniâ in Phocicis, nomen Dei tetragrammaton exprimit 9.
Polycarpus nondum erat Episcopus Smyrnensis, quando edita à Joanne Apocalypsis est 28. 29.
Poderes quid sit 15.
Poma desiderii quæ dicantur 27. 391.
Prometheus à Græcis vocatus Gog quem fabulantur, ignem è cœlo furatum, ideoque affixum Caucaso, quia primus invenit & exercuit in illo monte artem eruendorum & liquandorum metallorum 439. 440.

Q

Quinque Menses Zelotis ter concessi ad vexandam Hierosolymam ex Josepho indicati 146.

R

Restitutio Regni Israël sperata Apostolis Act. 1. fuit constitutio Ecclesiæ in mundo 5. 6.
Rogatianus Prætor Romanus mirabiliter addictus Plotino 265.
Rutilianus gratiosus apud Imperatorem M. Aurelium Antoninum, introducit

introducit ad eum Alexandrum Pseudoprophetam Magum, ingenti rei Romanæ pernicie 263.

Idem adeo deditus Alexandro Mago ut ad eum Roma mitteret, & ægrè se teneret, ne relicto exercitu cui præerat, ad eum iret, 278.

S

Sacerdotium legis novæ quare Regium vocetur 10.

Sacerdotium regale memoratum à S. Petro Ep. 1. 11. 9. an & quomodo omnes æquè Fideles amplectatur 11.

Saphyrus gemma symbolum Andreæ Ap. 469.

Sardius gemma Resurrectionis index 473.

Sardonix gemma quinto Symbolo adaptata 473.

Scorpionibus similes Sicarii & Zelotæ dicti propter gladios in capite recurvos quibus cædes in turba clàm faciebant 141.

Septem Ecclesiæ Asiæ, quarum est mentio initio Apocalypsis, universas Orbis Ecclesias repræsentant, 21. 22.

Septem Spiritûs pluraliter memorati vers. 4. cap. 1. unum S. Spiritum designant 9.

Simon Magus rudimentum Luciferi Antichristum facere discentis 259.

Smaragdus signat Passionem Christi 472.

T

Tabernaculum Dei vocatur Christus 242.

Testimonium duplex Christo redditum à Joanne, ut ipse dicit cap. 1. 2. fuit perpessio immissionis in dolium fervens, & scriptio Evangelii 6. 7.

Tesserula velina quid sit apud Persium Sat. v. 36.

Timotheus si fuit Episcopus Ephesi vulgante Apocalypsim Joanne, quadragenarius in eâ functione tunc fuit 30.

Tonitrua septem cap. x. prædicunt res eventuras Genti Judaicæ post bellum Romanum, 1. Vespasiani, deinde Trajani, Hadriani, Severi, Constantini 177.

Cur ea, licet à se audita, Joannes scribere vetetur.

Topazii gemmæ dotes 476.

Trajanus in quo similis Pardo 232.

Tribus terræ omnes, quo sensu dicatur Ap. 1. 7. fore ut se plangant super Christum 11.

V

Virtus deliciarum cap. XVIII. quid sit, 377. 378.

Virtus Solis dicitur meridianus ejus & innubis splendor, 18.

Visiones multæ in Libro Apocalypsis, uti & in Libro Isaïæ, uno singulari nomine signatæ 1. 2. 25.

Ordo ipsarum inter se 25. 26.

Vox Christi cur comparetur voci aquarum multarum 17.

Vulnera in Christi corpore post Resurrectionem cur aperta servata 24.

Z

Zelotæ figurati per Locustas è puteo Abyssi erumpentes 140.

Eorum scelera & flagitia horrenda, à pag. 141. ad 155.

FINIS.

Extrait du Privilege du Roy.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre; A nos amez & feaux, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de nôtre Hôtel, Prevôt de Paris, Baillifs, Senéchaux, & autres Prêvots, leurs Lieutenans: Nôtre bien-amé le Pere POUSSINES de la Compagnie de JESUS nous a fait tres-humblement rémontrer, qu'il a composé un Livre intitulé, *Apocalypſis Enarratio*, lequel il deſireroit faire imprimer, s'il nous plaiſoit luy en accorder la permiſſion, requerant ſur ce nos Lettres Patentes neceſſaires, qu'il Nous a fait tres-humblement ſupplier de luy octroyer. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons, par ces preſentes, de faire imprimer ledit Livre par tels Libraires & Imprimeurs, en tels volumes, marges, caracteres, & autant de fois que bon luy ſemblera, pendant le tems de ſix années conſecutives, à commencer du jour qu'il ſera achevé d'imprimer; iceluy vendre & debiter par tout nôtre Royaume, pays & terres de nôtre obeïſſance. Faiſons deffences à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Livre, ſous quelque pretexte que ce ſoit, méme d'impreſſion étrangere, ni autrement, ſans le conſentement dudit Expoſant, ou de ſes ayans cauſe; ſur peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, amande arbitraire, dépens, dommages & interets. A la charge de mettre dudit Livre deux exemplaires en nôtre Bibliotheque publique, un autre en nôtre Cabinet des livres de nôtre Chateau du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher & feal le ſieur le Tellier, Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente. Comme auſſi de faire imprimer le ſuſdit Livre ſur de bon papier & en bons caracteres, ſuivant les Reglemens faits touchant la Librairie & Imprimerie, à peine de nullité des preſentes. Du contenu deſquelles nous mandons faire jouyr ledit Expoſant: & ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement: ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empéchemens au contraire. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre l'Extrait des preſentes, elles ſoient tenües pour deüement ſignifiées: & qu'aux Copies collationnées par un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme au preſent original. Commandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent faire pour l'execution des preſentes tous exploits requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion. Car tel eſt nôtre plaiſir. Donné à Verſailles le trente-uniéme jour de Decembre, l'an de grace mil ſix cens quatre-vingt trois, & de nôtre Regne le quarante-uniéme.

Par le Roy.

DUGONO.

c. 6.x